









HISTORIARUM CATHEDRALIS ECCLESIÆ ZAGRABIENSIS
PARTIS PRIMÆ
TOMUS I.

Præmissis Præliminaribus, continens Seriem Episcoporum ab anno M.XC.I. ad annum MDCIII. & tam Episcoporum, quam & alias Notitias.

Studio, Labore, ac Impensis

NOBILIS ET REVERENDISSIMI DOMINI

BALTHASARIS ADAMI KERCSELICH DE CORBAVIA

Apostolicæ-Regiæ Majestatis Clementiâ Abbatis Infulati SS. Apostolorum Petri & Pauli de Kács: & in Regnis Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclavoniæ Tabulæ Judiciariæ Cojudicis, & Assessoris, nec non ejusdem Cathedralis Ecclesiæ Zagrabiensis humilis Canonici.



Ex Privilegio Regio, & Superiorum facultate.

ZAGRABIÆ

Typis primò Rainerianis, dein Zerauschegianis, ac demum Antonii Jandera Typographi Vbl. Cap. Eccl. Zagr. in Nova Villa.


BRITISH MUSEUM

LECTORI SALUTEM



Decimus sextus decurrit annus, quod opus hoc incoatum, jacere debuerit. Origo ejus tam ex mea in hanc Ecclesiam obligatione processit; quam & Patronorum Ecclesiæ voluntate, ad obviandum illi murmuri, cur Ecclesiæ hujus res, sinuntur neglectæ? Præsens vero labor, collectio est verius, atque specimen quodam, a me celerrimè compilatum, ad obtinenda a Principe quodam Viro, copiose transcripta Romæ, dum is isthic ex parte Germaniæ fuisset. Ad consignanda illa, exorari nequivit; quoadusque non videret cujuspiam diligentiam, in aliquarum rerum Ecclesiæ hujus editione. Hinc quia opus perfectum, non evasurum prævidissem, Titulum operis, *Historiarum Ecclesiæ Zagrabiensis* censui præfigendum. Conceperam autem tribus partibus dividendum opus. Prima Episcoporum seriem, cum gestorum notitiis, ut exprimat; Altera Capitulorum, Cathedralisque Basilicæ Historiam, cum Veterum modernorumque Conventuum notitiis; Tertia, quæ ad alias fors pertinent Ecclesias, communicationem. Sed quia intellecti connatus mei, ex suspicionibus variis, mihi non solum incommoda; verùm quævis ad finem necessaria media, obicesque innumeros peperissent, non modo meditatum opus negligere oportuit, at unà mecum sepeliri. Exemplaria quæ Typographo fuêre permissa, postquam continuare opus impeditus fuisset, ultro citroque dispersa sunt, liberque non obstantibus indefinitis mendis atque erroribus, quæ ob mei absentiam, correctoris verò, sive incuria sive adulatione irrepserunt, requiri ab exteris, probis cumprimis, doctis eruditisque incepit. Plurimorum ego accepi epistolas, pro submittendo opere; At famulari illis, ob iniqua non potui tempora; odium præterea tantorum, ob res studiaque similia. Quare mutatis temporibus atque circumstantiis, opus hoc in lucem prodit, ex quo videat orbis, num prodantur arcana Ecclesiæ, aut ad ejus gloriam publicumque utile illustretur? Facto attamen meo non evenit, ut secundum præconceptam mihique propositam idæam non prodeat, ast partem I. dividere oportuerit, atque hanc annô 1603. terminare. Polliceri nequeo, an residuum Partis hujus aliquando edatur, cum & media mihi desint & vires; nec vel reminisci operis hujus valeo, quin mortali corripiar dolore. Præterea Doctissimus Farlattus Tomo V. Ecclesiæ hujus Historiam ederet; cui, uti scio me nulla ratione esse comparandum, ita opere illius, exprimendam perfectam Ecclesiæ hujus Historiam non dubito, tum ob illius singularem doctrinam, cum & ob descripta olim per Levakovichium Ecclesiæ hujus monumenta, & quæ deerant successivè Riceputtio communicata; atque ideo ad Serenissimæ Reipublicæ Venetæ terras submissa. Proinde cum Operum meorum continuationem; necessariam non videam, nec aveam multiplicari odia, quævis operis hujus seposui. Facilius profecto, continuari a quovis poterit, dum ab anno 1603 plena sunt Tabullaria monumentis.

Quod orem lectores, est: Ut I. indulgeant tam meis, quam & typi erroribus. Hi mea non subintrârunt culpa. Quoad *annos*, epocharum observatione, mederi non erit difficile; quod *voces* attinet: si unquam eveniret, nova editione mederi poterit. Meis porro erroribus partim infra, partim in fine operis consultum volui. In opere quoque alio, quod inscripsi: *De Regnis Sclavoniæ, Croatiæ, Dalmatiæ Notitiæ Præliminares*, cujus operis, cum hoc, tanta est connexio: ut alterum sine altero cognosci vix queat.

II. Agnosco omissa esse plurima, partim ob ignorantiam tum talium; partim quod perfecto operi scribendo, non intenderim, ex præinserto motivo. Denique ob motus quibus circumdabar, suspiciones item invidorum, quibus opprimebar. Hinc fateor esse plurima, quibus opus hoc, possit valeatque adaugeri.


)(Non

Non exhausi mineram, at aperui. Si vovere optareque licet, cupio ardentissime: ut Ecclesiæ hujus res, Historia, Ritus illustrata reddantur. Multi hoc tentârunt desudâruntque; Ausus attamen nullus est. Sed mei quoque connatus, a texentibus præcisi sunt, faxit misericors DEUS! ut qui Ecclesiam hanc, stabilitate servabat, servet etiam ad lumen, Veteris Ecclesiæ Hungaricæ conservandum, illustrandumque. Ab Apostolicis Hungariæ Regibus, tum ob reverentiam SS. Regum *Stephani* ac *Ladislai*, Ducis item Sclavoniæ *S. Emerici;* cum & ob jura Regum, & Ecclesiæ, S. Coronæ defensionem, speciatim protegebatur, eratque olim hoc meriti; fateorque me non comperisse sive legem sive statutum, per quæ veterum merita, crimen reddita haberentur.

Reflectere demum lectores volui, sperari non posse descripta illa Romæ à memorato Principe; cum is interea, è mortalium transivisset numero, ut Passaviensis Antistes. Pagina 77. insuper, ad dedicatoriam provoco epistolam, quam etiam mors Excellentissimi Comitis *Leopoldi à Nadasd* impedivit. Singularem is, operis hujus egit Patronum, non solum Ritterianorum MSS seu Manuscriptorum olim, impetratione; verum etiam de obtinendis ad finem mediis, patrocinio. Sed quia mors quoque eum sustulisset, nec moris esset, mortuis dedicandorum operum, sponte sua cessavit dedicatio. Interim ne ingratus sim vel in defunctum, vel in pervetustam Familiam, ex qua, *Prodanus I.* Capitulo huic primus prospexit consuluitque, Ejus antiquitatis meminisse volui.

Familia hæc, si quæpiam ex Illustribus alia, in antiquitate potest exultare. Enimvero si ex paritate Insignium, seu armorum firma est deductio, *ex genere* Buto, seu Butco rami omnes descendunt. Totius hujus generis, seu Familiæ *anas* scutum est. Butonum seu Butconum, anas duplici ornatus corona, lateralium hujus, una; ut hodierna exprimunt insignia. Verosimile est agnomen ipsum ab anatre acceptum, dum Croatæ ac Dalmatæ *Batca* vocarent anatrem. Butonum vero quam vetus sit familia, videre est ex Inscriptione relata lib. 12. cap. 7. a Lazio, ubi *In Cæmeterio S. Ursulæ* Iggy, *Veitroni Buttoni* &c. Item *Bujo Brocci* &c. Pro more recepto veteri; Vel ad alias terras transitu; vel ex bonorum divisione, novam constituentes ejusdem generis lineam, atque ramum, agnomina accipiebant usurpabantque nova, à locis, vel à facto. Hoc non solum in tot intuemur familiis, ut Frangepaniana, qui Comites de Veglia vocati primum sunt, dein Familiæ ejusdem Rami, *Szlunski* a Szluin, *Tersacbky* a Tersacto, *Torquati* &c. fuêre compellati. Ad sciendam attamen originis stirpem illud *de genere* addebatur, ad cognoscendum genus, ex quo specificatæ aliis agnominibus familiæ processerunt. Constant hæc ex Anonymo, Thuroczio aliisque Scriptoribus, ubi sæpius occurit *de genere* - - - Hoc Nadasdianæ quoque evenit Familiæ, quæ de genere *Butto* est, ramusque originalis viguit longissimè, in Liburnicis Dalmaticisque Croatiæ oris, dum Comites fuêre Corbavienses, Bani maritimi, Dalmatiæ quoque Croatiæque. Ramus hujus à *Nadino*, Nadast est appellatus, alias subinde etiam appellationes sortitus, pro sæculorum illorum more. Nam *Prodani* etiam, à Prodanicz condam in Crisiensi Comitatu, fuêre compellati. Atque hi, a Nadast vocatæ familiæ descendentes. Equidem Belæ III. in monumentis Quinque-Ecclesiensibus factum ab Andrea II. transumptum, in metis seu terminis terræ *Maza* habet: *Et ibi incipit vicinitatem terræ tenere cum terris Prodanorum de Nadasd* &c. Ut hinc elucescant priora, vetustasque Familiæ hujus. Quæ perpetuo sic eminuit, ut expleverit illud Ciceronis *Reipublicæ utile est Nobiles esse homines, dignos majoribus suis.* Ecclesiæ hujus Zagrabiensis, duo *Prodani* fuêre Zagrabienses Eppi; Primique magna ubivis est memoria. Dignitates Coronæ, tot tantique habuêre. Scriptores etiam hæc dedit illustris Familia. Quamvis porro P. Stephanus Kaprinay, p. 333. celebre *Mausolæi Regum Hungar.* opus, nomine *Francisci de Nadasd* editum, adimere huic nitatur, attribue-

tribuereque *Francisco Lanczmar*, suæ professionis viro; me nihilominus non convicit. Nam qui credam? Virum tantum tamque illustrem, illudere sic publico voluisse: ut rem alienam, suam faceret. Testificatio P. Alexandri Szöreny, nec de scitu est, nec causam refert testimonii. Præterea legum dispositione insufficiens, ut fidem enervet publicam, Nadasdio opus attribuentem. Quæ sit *Leopoldi*, ac hujus Fratris *Francisci*, Mareschalli, & Ordinis Theresiani Militaris Majoris Crucis Equitis, Banique actualis Regnorum horum Dalmatiæ, Croatiæ & Sclavoniæ; Parentis quoque horum Excellentia, palam publiceque est cognitum. Horum singuli expleverunt illud Ciceronis adversus Salustium: *Ego meis Majoribus virtute mea præluxi, ut si prius noti non fuerint, à me incipiant initium memoriæ suæ.* Quivis mentionatorum, virtutibus suis sic eminet, eminuitque: ut æternam memoriam; Familiæ vero suæ perennaturum decus, promeruerint. Hæc pauca sint, cum gratæ obligationis tessera; tum ad satisfaciendum lectoribus, mentionatæ paginæ 77. DEUS Te Lector optimè, salvum & incolumem quam diutissimè servet. Vale.



X 2 PRÆ-

PRÆ - MONITA.

Multa sunt in opere hoc, quæ augeri posse agnosco. Multa sunt, quibus aliquando adaugeri, a feliciori Scriptore poterit. Quædam in fine retuli, at non satis. Hinc quorundam meminisse, hic quoque lubet. Caput octavum, adauctum invenies, tum in opere Notitiarum Præliminarium, cum & a 327. infra in Appendice.

II. Ex Diplomate Geisæ Regis relato pag. 158. in opere Notitiarum Præliminarium de Regnis Dalmatiæ, Croatiæ & Sclavoniæ convincor: post Episcopum *Macellinum*, Ecclesiæ hujus fuisse Episcopum *VERBLEN*. Hic ad annum 1143. hanc quod rexerit Ecclesiam, Diploma evincit. Quare *Gotsaldo* anteponendus est; adeoque p. 75. ponendus post Macellinum, VERBLEN.

Hujus porro accessione augenda series, emendandique numeri, qui occurrent, legendumque VI. *Gotsaldus* VII. *Bernaldus*, atque ita deinceps.

III. Singulari in obligatione perennaturoque cultu, a viris quibusdam eruditis, non solum de omissis per litteras admonebar, verum etiam de erratis. His immortales summasque reffero grates, quod me erudire dignati sint. Neglecta a me plurima esse, non diffiteor, tam ex insinuata ratione, scriptionis velocioris; quam & ex temporum circumstantiis: Neque istas, refferendas censeo. Si opus hoc aliquando reimprimetur, additiones spero ab eruditis, a me quoque si vixero, præjudiciaque lex positiva, non habeantur, fieri poterunt. Quod errata concernit, ad pag. 232. noveris: illud, *Anno igitur 1553. die VII. May nominatus Pauli Episcopi in Ecclesia Zagrabiensi Successor.* Errorem esse (quem exscripsi ego, ex Marcellevichio) a Viro quodam litterato doctove sequentibus edoctus sum.

Porro est quod Te de Wolffgango Gyulai moneam. Asseris p. 252. Eum, anno demum 1553. die 7. May Ecclesiam Zagrabiensem suscepisse providendam. Ego vero luculentissime ostendere possum, Wolffgangum hunc Gyulay, anno 1549. die 24. Februarii inauguratum fuisse Zagrabiensem Episcopum. Unde istud mihi constet quæris? Dicam: Incidi nimirum his diebus in orationem, tempore inaugurationis Wolffgangi Gyulai habitam, Viennæque eodem adhuc anno 1549. in 4to typis impressam, quæ nullum opinor dubitationi locum relinquit. En titulum integrum, de verbo ad verbum summa fide exscriptum: Oratio in introductione ac installatione Reverendissimi ac Amplissimi Domini D. Wolffgangi Gyulay Episcopi Almæ Ecclesiæ Zagrabiensis dignissimi. Ibidem in templo Cathedrali, per Rssimum ac eximium D. Paulum DD. Lectorem, Canonicum ac Vicarium ejusdem Ecclesiæ Zagrabiens. &c. in maxima doctissimorum Virorum, ac Optimatum Regni Sclavoniæ corona, populique frequentia habita. Anno salutis Nostræ 1549. die 24. Febr.

Georgii Petrovvinay Submontani Hexasticon.

Qui cupis eximii Lector pernoscere munus
Pastoris Sacrum, pagina lecta dabit.
Contemplare lubens venerandi Præsulis acta,
Et mores dignos posteritate, lege.
Hunc canit Orator præcellens divite lingua
Paulus, cum studiis, tum pietate valens.

Viennæ Austriæ Joannes Carbo, & Egidius Aquila excudebant Anno 1549.

Spoponderat orationem hanc integram mihi exscribendam. Hac ejus erga publicum benevolentia, frui nequiens ante præmissorum editionem, etiam pro memorata notitia, in cultu sempiterno summas illi habeo refferoque grates.

Instruebar ego in plerisque cæteris, à præstantissimis in rebus Patriæ Magistris, erga quos, quæ mea sit obligatio perspicio omnino, estò nullis verbis exprimere satis valeam. Venerabor in mancipatu, eorum in me voluntatem, perpetuaque veneratione, remereri contendam.

Stephanum II. de genere *Sol* fuisse; edoctus sum. Communicatum mecum instrumentum, a pag. 321. doctis eruditisque Viris invidendum non censebam. De pluribus Episcopi Draskovich orationibus admonebar, Thomæ item Bakács epistolis, &c. quæ cum a me desiderentur ut complura alia, exmissa sunt.

Ad Nicolaum III. hoc est Zelniczejum Zagrabiensem Episcopum, sequentem scriptam fuisse epistolam; æquè a Viro quodam, utilium litterarum ardentissimo, accepi. Hanc in commendationem Bononiensis Collegii, exscribo.

Epistola Nro 13. pag. 20.

Commendat Stobæus Episcopo Sagrabiensi, Joannis Nicolai Graboljeri filium, ut ille studiorum causa, in Hungaricum Bononiense Collegium admittatur, suo tamen sumptu alendus.

dus. Georgius Stobæus Episc. Lau. ad Nicolaum Episc. Sagrabiensem *Avebam iam diu habere ad Te scribendi occasionem, partim ut tester meum erga Te amorem, partim ut amicitiæ, quæ mihi Tecum intercessit antiquissima, renovem memoriam. Quam quærebam occasionem, en illam oblatam, & bonam, & ab amico sane bono. Nam ut Te pro filio Joannis Nicolai Grabori er Gravisy, litteris interpellarem, Comes à Nagaroll quanta potuit contentione verborum, me rogavit. Sed de qua tandem re? Quæ certe tanquam hedera cum pariete, arcte complicatur cum onere Reverendissimi, totiusque Sui Capituli. Studet enim ille Gabolieri filius Bononiæ efflorescens quotidie ad lauream iuris primam. Flos hic ut bene maturescat ad frugem, petivit filius à patre suo, Pater à Comite, Comes à me, ut sibi bona vestra venia, sed suo sumptu, sit Sedes aliquamdiu, in Collegii Vestri Bononiensis solo, pingui illo, & disciplinæ exercitiique calore probe ad frugem subacto. Roganti amico non debui negare hoc litterarum officium, maxime in re tam bona; & quæ facit æquè ad gloriam Tuam, si concedas; atque ad bonum rogantis si impetret. Siquidem ut gloriæ est Tibi, habere Collegium tanquam hortum Bononiæ à disciplina tam bene instructum, ut alienæ plantæ huc cupiant, ad meliorem frugem transferri: Sic maximum erit bonum hujus juvenis, si illuc tanquam planta meo rogatu, aut potius vestra gratia translatus, hauriat ex bona terra bonum illum suitum, quem sperat. Spero me exoràsse, vel rem tam bonam, vel juveni tam bene cupienti, vel à Te virtutis bonique publici semper faventissimo: maxime vero quod adolescens non sit futurus oneri Collegio, victurus semper suo sumptu. In his vero partibus si quid nos ad rem vestram vestrorumque opis operæque possimus adferre, intelliget Reverendissimus nos æquè promptos ad faciendum, atque accipiendum officium. Vale.*

Tandem, quia à p. 25. Veteris controversiæ facta haberetur memoria, item à pag. 34. Sequentes ex authographis exscribere voluimus.

I. Admodum Rdo in Christo Patri Chrisostomo Kovachich, Ordin. Minorum S. P. Francisci Regularis Observantiæ Prædicatori, Lectori Jubilato, ac Almæ Provinciæ S. Ladislai Ministro Provinciali, Patri ac Superiori Colendissimo. Varasdinum. In sigillo añus 1712. clarè est.

Adm Rde Pater Minister Provincialis Superior mihi Colendissime.

Neo advenientia Gloriosa Festa Resurrectionis Domini JESU, in annos quam plurimos feliciter attingere, peragere, superareque multos in annos, precor ex corde. Notifico Pat. A. R. Patres duos Augustinianos cum uno Fratre, die 23. Martii ad noctem, huc Canisam venisse. Et die sequenti statim, tam hic, quam ex parte altera administrare ceperunt omnia Sacramenta; Nobisque D. Grachich nunciavit, amplius ne nos ad ulla officia Parochialia immisceamus, cum partem alteram nolebamus administrare. Jam habet in utraque parte suos Parochos Augustinianos. Facta protestatione, & contradictione nihil aliud respondent; imo nec litteras aperire sibi scriptas volunt, sed in omnibus se relegant ad suum D. Grachich, neque habent quidquam ab Episcopo. Cum petiissem ut remonstrent si quas ab Episcopo litteras habent, sed nihil habent. Ego in persona ibo ad Illm. Eppum immediatè post Festa sive Vesprimy, sive Simeghini fuerit. Oretenus loquar, & quidcumque boni efficere potero, faciam, litterasque Pat. Adm. Rdæ eidem assignabo, uti meum expræssum hodie misi ad Plebanum Dnum Kazotiensem, ille jam sciet me de Episcopo informare. Hinc nunc agat Adm. Rda Paternitas cum Zagrabiensibus, propter quos amisimus etiam hic Plebaniam (hic forsice excisa est una linea seu membrum) *Nunc patet me non fuisse causam hujus negotii, sed inquietum Grachichium, & me nunc poterit Pater. Adm. Rda excusare, tam coram Excellentissimo, quam etiam coram Vbli Caplo Zagrabiensi, quod ego quæ fecerim, feci, propter hanc Parochiam nostram conservandam, quam nunc vix non perdemus. Sed si Zagrabienses cito facerent, & alteram partem defenderent, sic & nos hanc obtinere possemus: si verò illam administrabunt, consequenter & hic cunctanter manebunt. Litteris nil efficient, nam ullas litteras acceptare, neque legere volunt. Plebanus Szepetnekiensis debilis est pro illis, nisi si Abbas Legradiensis Rssimus delegaretur ad illos cohibendos & interdicendos, alias nihil fiet, quia sunt capitosi, una cum suo Grachichio. His maneo subditus obedientissimus Pater. Adm Rdæ, Canisæ die Magno Veneris 1717. Fr.* Nicolaus *Andrasi m.ppria.*

P.S. *Die Mercurii elapso in domo Civica celebravit unus ipsorum, alter vero in parte altera Canisiensi. Ego ipsos adhuc nec vidi, nec mihi quidquam illi nunciárunt, nec ad me venerunt, nec ego ipsos admisi, nec admittam. Feci facienda, contradixi, protestatus sum, & coram Civitate scriptotenus. Sed Civitas respondit se non velle immittere ad hæc, viderint Sacerdotes quid faciunt, & viderit D. Grachich; illi se indifferenter habent.*

Provincialis epistolam priorem, inclusit propriis, misitque utramque ad Episcopum Zagrabiensem, scribendo: *Excellmo Illmo ac Rssimo D.D. Emerico Eszterhazy, Comiti de Galantha, Dei & Apostolicæ Sedis Gratia Episcopo Zagrabiensi, B. V. M. de Topuszka Abbati, Comiti de Berszencza perpetuo, S. C. R. Mattis Consiliario Intimo &c. &c. Dno Dno & Patrono Obssimo Gratiosissimo Zagrabiam.*

PRÆ-MONITA.

Excellentissime, Illustrissime, ac Reverendissime D.D. Præsul Domine & Patrone Obsme Gratiosissime &c.


Cum admiratione intelligere debui, Patres Augustinianos de larga manica nuncupatos, a D. Krajassich loci Dno terrestri, Viennâ adductos, & Canisam introductos, prouti ex acclusis Patris Andrasy litteris sua Excellentia intelligere poterit, & in utraque parte cis & trans Lacum, Parochialia munia exercere, & administrare Sacramenta; & in Capella a sua Excellentia sub interdicto posita Missæ Sacrificium celebrare: quapropter obnixè supplico & rogo, quatenus sua Excellentia pro sua benignitate etiam præfatis Patribus Augustinianis tam administrationem Parochiæ in parte nobis prohibita, quam celebrationem Missarum in sub interdicto posita Capella, prohibere dignaretur. Quod aliena & non propria manu scribam, me excusatum haberi humillime rogo, actu itineri accingor Ormosdinum versus. His me gratiæ & favori Suæ Excellentiæ recommendo, & maneo. Datum Chaktornæ 2. April. 1717. Excellentiæ Suæ humillimus servus, Fr. Chrisostomus Kovachich Provin. S. Ladislai Franciscanorum Minister Provincialis m.ppria.


Bonis his viris, cura fuit unica pro administrandis Parochiis, de Jurisdictione, Diœcesiumque limitibus non angebantur. Hinc iturum semet ad Vesprimiensem, litterasque Provincialis sui assignaturum, prior detegit. Zagrabiensis Episcopus institit Regi suo Apostolico Carolo, sequentibus:

Sacratissima Cæsarea Regiaque Majestas, Domine Domine Clementissime!

Meo, Diœcesis, & Ecclesiæ meæ, totiusque Vblis mei Cleri nomine Majestati Vræ SSmæ, humillimè repræsento: Qualiter per resignationem oppidi Kanisæ, quidam Jacobus Grachich, ac etiam Dnus Eppus Veszprimiensis, me, Ecclesiam meam, & Archidiaconos; consequenter Clerum meum in pacifica hucusque imperturbate continuata ibidem in Kanisa respectu Capellæ ad hanc partem Kanisæ sitæ; consequenterque locis, in quibus mihi jurisdictionis Diœcesanæ possessionem habui, turbare: & loca eadem indebitè avellere nituntur. Demum qualiter ordo Melitensis non pridem evolutis temporibus, Ecclesiam Parochialem sub Novigrad, consequenterque Diœcesanæ meæ, ibidem pariter hucusque imperturbatè continuatam jurisdictionis possessionem, via facti, itidem me, jurisdictione privare, immo & spoliare adlaborat, ex certo litteratum Missilium, hisce annexo extractu, Mattas V. SSma sese benignè informare dignabitur. Cum tamen idem ordo ut ordo, sensu Art. 87. novissimæ Diætæ Posoniensis in Regnum necdum sit receptus, imò præcedentibus annis & temporibus, quibus ipsi Domini Melitenses Bona Novigradiensia possidebant, quæ & actu possident, ibidem ego cum Prædecessoribus meis, & Clero meo exercebam, & exercebamus jurisdictionem; quam memorati Dni Melitenses, hucusque semper agnoscebant etiam; meque ibidem pro suo habebant Ordinario. Jam verò & Parochiam Novigradiensem avellere, & a jurisdictione mea, tanquam ipsorum Ordinarii sese abstrahere satagunt. Hinc ne in ejusmodi attentatos, & in futurum via facti & potentiariè attentandos actus, jureque vetita spolia, quoquo modo consensisse videar, talibus & similibus actibus, & jure damnatis ausibus nunc pro tunc, humillime protestando, solenniter contradico, & contradicendo protestor. De genu supplicans Matti Vræ SScrmæ pro extradandis super contradictione & protestatione eadem solitis Testimonialibus: Et ne in legitima possessione amplius turber, vel incommoder benignis Protectionalibus benignè concedendis. Quam Mattis Vræ SSrmæ gratiam, fundendis ad DEum precibus promereri adnitar. Mattis Vræ Sacrmæ, Humillimus subditus & Capellanus Frater Emericus e Comitibus Eszterhazy, Eppus Zagrabiensis.

Fundamentaliorem hanc instantiam eccur Zagrabiensis Episcopus noluerit? quis constituet. Latere eum non debebant, constituti ab Andrea II. intra Vesprimiensem, Quinque-Ecclesiensem & Zagrabiensem Diœceses limites. Sigismundi quoque Decretum, relatum p. 35. Regestra antiquissima Diœcesis suæ, adeoque jurisdictionis usus. Post receptam à Turcis Canisam, PP. Franciscanorum eo introductio, sponsioque; quin Canisiensis Parochiæ, ab Episcopo Zagrabiensi facta collatio. Attamen nescio quid fuit? ut nec de læso interdicto suo, Patres Augustinianos argueret; nec facti eorum vel reminisceretur, quinimmo avulsam ex sua Diœcesi unicè Capellam ad partem hanc Kanisæ sitam, exponeret. Neque vel hanc sibi restitui supplicaret; verum in sustentativo remedio juris, testimonialibus videlicet interpositæ protestationis, officio suo semet satisfecisse credidisset. Vesprimiensem Sedem, cogitaverit tum, ad quam translatus fuerat, ex Zagrabiensi Esterhazius. Ne facto suo favisse videatur quæstioni, fors priora secutus est. Prima instrumenta ex autographis integra fide descripta sunt. Episcopi porro preces ex copia litteris adnexa.





HISTORIARUM ECCLESIÆ ZAGRABIENSIS PARTIS PRIMÆ.

CAPUT I.
De Fundatore hujus Ecclesiæ.



SAnctum Regem Ladislaum, Zagrabiensem fundâsse Ecclesiam, id est Episcopatum, plurima Veterum monumenta ostendunt Quorum, principem locum sibi vendicant, *Adjudicatoriæ* litteræ, Rssmi in Christo Patris FELICIANI Archi-Episcopi Strigoniensis, quæ hodiedum reperirentur, in hac verba:

In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen. Regnante Nobilissimo Rege Ladisclavo, Strigoniensis verò Ecclesiæ Primum Achâ gubernante, & Baaciensi Archi-Episcopo Fabiano existente, Besprimensi Episcopo Cosma, Palatino Comite Jula, Semegiensi Comite Grab, prædictus Rex Divinâ gratiâ inspirante, horum cæterorumque Nobilium Consilio Zagrabiensem constituit Episcopatum, videlicet ut quos error idololatriæ à DEI cultura extraneos fecerat, Episcopalis cura ad viam veritatis reduceret. Ad instruendam ergo hujus plebis ignorantiam, quendam Boemicum Venerabilis vitæ Virum, nomine Duh *idoneum reperit. quem eidem Ecclesiæ Pastorem per suum Capellanum Francicam delegavit, qui etiam eidem Ecclesiæ Officinarios de Semegiensi, & Zalensi Comitatu ordinavit, Præterea aliter Capellanus*, Cupan *nomine, præcepto ejusdem Regis dedit eidem Ecclesiæ Populum de Dumbroa cum terra & sylva appendente. Transactio igitur non parvo tempore, Regnante vero Stephano, Prædicto vero Francica illius Ecclesiæ Episcopatum tenente, à quodam Viro nomine* Sudengna *de prædicta Sylva Ecclesiæ injuria illata est. Quod Episcopus ægrè ferens ad Regis Patrocinium confugit, qui totam Causam Feliciano Strigoniensi Archi-Episcopo discutiendam Commisit. Illius ergo Ecclesiæ adversarii ad judicium vocati cum ad determinatum diem venire noluissent, nec L. pensas secundum legem terræ persolvere potuissent, Archi-Episcopi judicio prædicta Sylva per* Prestaldum Isaac *nomine, Ecclesiæ restituta est, ac quandiu Francica illi Ecclesiæ præfuit, nullis ei aliquam injuriam inferre præsumpsit. Defuncto ergo Rege Stephano Pyssimus Bela Divina gratia largiente Pannoniæ sceptra feliciter gubernanda suscepit, cujus gratia prædictus Francica ad Baaciensem Archi-Episcopatum translatum est. Zagrabiensi vero Ecclesiæ Macelinus Hierosolymitanus Canonicus, Episcopus ordinatus est. Tertio ergo Episcopatus sui Anno Adilberth frater Kaladini Comitis Semegiensis Comes una cum Clanisa, & Petro Fratre ejus & Sudengna aliisque quam pluribus ejusdem terræ melioribus de prædicta Sylva in Concilio Waradinensi, tempore Walterii Episcopi, ante Felicianum Strigoniensem Archi-Episcopum litigium renovavit. Cujus judicio duo Episcopi, videlicet Francica Baaciensis, & Macelinus Zagrabiensis, salva Episcopali Dignitate pro justicia Sanctam Ecclesiæ veritatem dixerunt, tres verè de Nobilioribus ejusdem Ecclesiæ scilicet Barkis, Mahal, Dersibna super Sacrum Altare Waradinensis Ecclesiæ in præsentia Canonicorum juraverunt, Augustino Strigoniensis Ecclesiæ Canonico existente Prestaldo. Quod factum est Anno Dominicæ Incarnationis M. C. XXXIII. Epacta XXIII, VI. Calend. Maji. Archi-Episcopus verò volens suum judicium immobile permanere alterum eis Prastaldum nomine Marcellum Filium Gira Comitis dedit, qui priori Præstaldo scilicet prædicto Isaac præmonstrante singulas metas renovavit, & Ecclesiæ Sylvam ea conditione restituit, ut nullus in ea omnino sine consensu Episcopi quicquam agere præsumat vel venando vel aliquid de ea auferendo, vel intromittendo. Hujus rei testes sunt Archi-Episcopi judicio assidentes Nicolaus Nitriensis Episcopus, Eucidinus Comes Desauniæ, Geuril filius Andreæ Comitis, Laurentius filius Salemonis Canonici Varadinensis Ecclesiæ Benedictus Custos, Opus Decanus, Sebastianus.*

Ex his genuinè transsumptis, D. Ladislaum Episcopatûs Zagrabiensis Fundatorum esse apparet. Authoritatisque magnæ Feliciani est testimonium; cum ipse quadragesimo à dor-

dormitione S. Ladislai Anno, hæc scriberet; consequenter recenti, rei à Ladislao gestæ, memoria. Sique Felicianus Annum Fundationis apposuisset, nil ab eo Præterea desideraremus.

De eadem fundatione, posterior ævo Andreas Rex suo in privilegio, dato per manus Magistri Vgolini Aulæ Regiæ Cancellarii Anno M. CC. XVII hæc, inter alia, testatur. *Præsentium atque posterorum notitiæ clarescere voluimus, quod cum essemus in exequendo itinere assumptæ Crucis, injuriam Crucifixi ulcisci volentes ad terram Sanctam proficiscendo, & venissemus ad Zagrabiensem Episcopatum, ac Monasterium Zagrabiense à Sancto* Ladislao *Rege Sanctissimæ recordationis prædecessore Nostro constructum, qui terram Sclavoniæ sive Banatum ab errore idololatriæ ad Christianitatem convertens Coronæ Hungariæ subjugavit, qui etiam in eodem Banatu Episcopatum instituit & Monasterium in honorem S. Regis* Stephani *construxit, per Venerabiles Episcopos dedicari fecissemus. Episcopus* Stephanus *& Capitulum ejusdem Loci nobis humiliter supplicando postulârunt, ut Nos omnia Privilegia super Prædiis, Possessionibus & Libertatibus aliisque redditibus, tam à* S. LADISLAO Rege Primo Fundatore Ecclesiæ, *tam etiam à Prædecessoribus Nostris, præsertim à Fratre Nostro Felicis recordationis Rege Emirico, quam etiam piè à Nobis collata Secretioris & Solemnioris Sigilli, videlicet Aureæ Bullæ munimine confirmaremus. &c.* Confirmans Episcopi & Capituli postulata Anno Regni sui XIII, salutis ut dictum est MCCXVII.

Sed & Idem Andreas in Privilegiis Ecclesiæ Quinque Ecclesiensis olim à se transumptis, ac denuo postea per Conventum Ecclesiæ Semigiensis, ex Privilegialibus Honorabilis Capituli Ecclesiæ Szekſardiensis (uti manifestè Legitur) transcriptis, postquam Primævas D. Stephani Hungariæ Regis, Ecclesiæ Quinque Ecclesiensis Fundationales retulisset, post earundem D. Stephani Fundationalium datum X. Kal. Septemb. Indictione VII. Anno Incarnationis Dominicæ MIX. actum in Civitate Jauriana, ita prosequitur *Verum quia paci, seu tranquillo Ecclesiarum Statui invigilare semper Congruit Regiam Majestatem, idcirco alias etiam metas & limites, quibus Zagrabiensis Ecclesia commetata est Quinque Ecclesiensi Ecclesiæ, à St. Rege Ladislao progenitore Nostro duximus inserendas hoc modo: Quoniam ultra Dravi Fluvium limes seu terminus Quinque Ecclesiensis Ecclesiæ nondum fuerat stabilitus cum Sanctus Rex* LADISLAUS *primus transierat Dravæ Fluvium & partes sibi Sclavonicas, Regno primum occupavit adjecto* Ubi & sedem fundavit Episcopalem videlicet Zagrabiensem *cujus Sedis Diœcesim à Sede Quinque Ecclesiensi super Lisnicsze Fluentum quod alio nomine Valko vocatur terminavit abinde per Savum descendendo, &c.*

Quod à me, plena fide, relatum hìc ideo: ut non solum eruditis communicarem quæ ex his colligent, sed demonstrarem etiam, ex alienis Privilegiis Lagislaum Episcopatus Zagrabiensis esse Fundatorem, consequenter antiquis de hoc nullum fuisse dubium. Andreæ porro Regis, tanto firmius credo testimonium: quòd is, non solum de his plene informatus fuerit, tanquam in his partibus olim diutius commoratus, & qua Hungariæ Rex plura Zagrabiæ expediens, sed ante coronam, Dux Sclavoniæ fuerit, hic & Toplicæ, hodie Topuszka residens; ut ex suis Abbatiæ hujus, ut vocamus Fundationalibus, est colligere, quas, Parte 3tia Historiam Abbatiæ de Topuszka nunc vocatæ, exposituri. DEO dante dabimus.

Bela quoque IV. ad Instantiam Timothei Eppi Zagrabiensis Andreæ Regis Patris sui confirmans inserénsque Privilegia S. Ladislaum Fundatorem Ecclesiæ Zagrabiensis affirmat, Anno Salutis MCC,LXIX. Kal. Januarii, Regni vero sui Añ. Tricesimo quarto.

Stephanus æque V. Supradicti Belæ Filius, ad preces memorati Timothei Eppi, & Capituli Zagrabiensis confirmando Patris Avíque Privilegia, ait: *Nos itaque Illustrium Progenitorum Nostrorum Regum Hungariæ vestigiis inhærendo ipsam Zagrabiensem Ecclesiam, ex Benignitate Celsitudinis Regiæ prosequi Cupientes præsertim ob devotionem Sancti Regis Ladislai, qui eliminatis gentilitatis erroribus in Ducatu Sclavoniæ Zagrabiensis Ecclesiæ institutor Sanctissimus exstitit & Fundator &c. Præfata Privilegia Avi scilicet Nostri, sub Aurea Bulla; & Patris Nostri subsequenter de verbo ad verbum inserta præsentibus in singulis Articulis concessa & traditæ libertatis ex Certa scientia rata habentes ex Regali munificentia confirmamus aureæ Bullæ nostræ characterem præsentibus in æternam rei memoriam propriis manibus Inserentes.* Ita ille, per manus Venerabilis Patris Stephani Archi-Eppi Colocensis, Aulæ Regiæ summi Cancellerii Anno Dominicæ Incarnationis MCCLXXII. XV. Kal. Julii. Regni sui Anno III.

Nec desunt Posteriorum Regum Diplomata in quibus S. Ladislaus Fundator Zagrabiensis Ecclesiæ refertur affirmaturque, quæ tamen missa facio, tum ne justo sim amplior, cum &, quod sese ad hæc quæ produximus referant, hinc nec Authores qui idem sentiunt commemoro, cum ex his sciam nominem aliter, quam assertivè Ladislaum Fundatorem statuisse, ob quod diversa ominandi scribendique, data aliis occasio.

Addo tamen Superius productis, Constantem Stabilemque totius Zagrabiensis Episcopatus, à majoribus ad nos usque derivatam Traditionem, qua, non alium, quam D. La-

Ladislaum Regem, Episcopatus hujus Nostri Fundatorem veneramur. Ex quibus quod initio proposui Capitis, manifestum evadere puto. Sanctum nempe Ladislaum Ecclesiam Fundasse Zagrabiensem.

CAPUT II.

De Loco, Fundationis.

De Fundationis loco, non vana est quaestio, constat quidem Zagrabiam Urbem, nunc hanc dici appellarive in qua scribimus, sed an D. Ladislai fuerit temporibus, incertum est. Profecto clarum, Zagrabiam ut hodie est, Ladislai temporibus non fuisse: licèt enim SORAGAM Ptolomaei, credant habeántve quidam, pro Zagrabia, conjecturantur attamen, & non probant. Ut opere alio demonstrabimus. Negare tamen non possumus, antea etiam infra Castrum, sive Arcem Locum quendam (qui Civitas Regia, vel Oppidum fuerit? non comperimus) exstitisse, in *Vico Latinorum* nunc sic vocato, & per Tartaros sub Bela IV. Rege, & Stephano Episcopo Zagrabiensi destructum Urbis instar, tam cis quam trans fluvium, situm. Istud enimverò, tam rudera quae eruuntur, quàm & veterum scripta demonstrant. Equidem ex Privilegiis Ecclesiae, & *Metalibus* litteris Joannes olim Archidiaconus de Gverche ita Notat: *Zagrabia incipit à loco qui dicitur Kerek ad rivum Czirkvenicza ex monte per valem ad fluvium Deze qui in fine montis influit fluvium Czirkvenicza qui per medium antiquam Zagrabiam fluit.* Hoc ex Privilegiis Andreae aliorúmque Colligitur. Proinde ante Ladislaum, fuit quoque Zagrabia, sed qualis? incertum. Vicum Italicum sive Latinorum post ruinas Veteris Zagrabiae, ab Italis à Stephano Episcopo illocatis, & Mercatoribus, ita appellatum, cum Benedicto Vinkovich, hoc ut scribit ex literis Privilegialibus, à Stephano II. Episcopo, Vicolatinis datis, erruente: censeremus. Interim Mons ille in quo Civitas hodie Regia sita est, ipsis testantibus Regum Diplomatibus, tantisque veterum monumentis, quae ob Notorietatem publicam recensere superfluum, *Grecs* nuncupatus est, qui Privilegio Belae IV. Regis in Castrum Civitatémque Liberam Regiamque, positis metis, elevatus, Anno MCCLXVI. Nono Kalen. Decembris, Regni sui XXXI. hodiedum Urbi nomen attribuit: quia Civitas haec *Montis Graecensis* cum addito Zagrabiensis appellatur, Proinde Zagrabia non est.

Quid tamen ubíve sit Zagrabia? vetus apud Eruditos Scriptores Quaestio. Bonfinius videtur sensisse, Latissimos fertilesque Campos, qui ad Zagrabiam forent tali à veteribus nomenclatura insignitos, dum Zagrabiam à fertilitate soli, terraeque foecunditate appellatam, cum pluribus, scribit. *Raphaël vero Levakovich* olim Zagrabiensis Canonicus, & Episcopus Samandriensis, dein D. Francisci Seraphici in Religione Alumnus in sua quam scripsit de Ecclesia Zagrabiensi Historia, Typis nunquàm edita, sed à me uti sua Manu scripta est, Viennae 1748. aquisita hac in Materia ita scribit: *Quae Savum & Dravum interiacet Regio, Interamnensis Panonia olim, item Riparia & Valeria, à Filia Diocletiani sic dicta appellata fuit, Postmodum vero Slavoniae nomen sortita, Banatus Ducatus, & Regni titulos accepit, secundum quod Bani, Duces, vel Reges ipsi eidem praefuissent. Hanc fermè per medium ab ipsis Stiriae Alphibus incipiens mons Secat, varios in ramos diffusus, antiquis ni fallor Albius dictus, junctusque claudio & scardo ad Aemum usque deducitur. Hujus ramus à Szuszed Arce ubi Crapina Savum influit, quasi cum Savo certans ad orientem procurrit paulatimque ad Septemtrionem declinans non minus pulchram ac fertilem planitiem relinquit Ivanichium usque sese extendentem. Appellatur Sclavonico vocabulo Medvednicza, Latino Ursinum nominares, ex eoque fluit rivus dictus, qui & in Privilegio Emerici Regis Hungariae, Dominico Zagrabiensi Praesuli dato, sub Anno Dni* 1201. *Czircunicza, (hodie Czirquenschak) vocaretur, intra quem & Vicum Italicum est Collis Zagreb vocata, à qua Civitati & Comitatui nomen, & non à terrae foecunditate, vel fonticulo ad radices ejusdem Scaturiente, uti quidam tradidère. Et in hac colle Sanctus Ladislaus Monasterium & Ecclesiam Zagrabiensem ad honorem S. Stephani Regis construxit, atque juxta eandem Capellam glorioso Proto-Martiri Stephano exaedificavit. Episcopatum quoque Zagrabiensem fundavit, & ad eundem Venerabilem Virum* Duch *ex Bohemia accersitum, promovit. Ex altera autem memorati rivuli Ripa mons est modernis Graecensis, antiquis vero* Grech *nuncupatus sicuti apparet ex Literis Belae IV. Regis, in quibus concedit Castrum in dicto monte* Grech *construi, nonnullaque eidem & Civibus Privilegia impartitur, & Metas praescribit, sub Anno* 1266.

Proinde Viri hujus, uti vides Sententia est: Collem hunc, in quo hodie est Capitulum Zagrabiense cum Villa-Nova (& quem ab occidente Vallis per quam praefatus fluvius Czirquenicza, sive Medvednicza decurreret, à Monte *Grech*, sive hodie Civitate Regia divideret, à Meridie vero idem fluvius suo decursu, ab Oriente autem Vallis alia, in

qua Piſcina eſſet Epiſcopalis, in cujus collis pede & termino, Reſidentia hodie Epiſcopalis, ac in hujus medio Zagrabienſis Baſilica eſſent, & poſt hanc Vicus Italicus) Zagreb ab olim dictum fuiſſe & ab hoc Zagrabiam appellari. Qui, ſi Sententiæ hujus ſuæ, rationes quaspiam adduxiſſet, vel eandem monumentis quibusdam roboráſſet, dubio Locum non reliquiſſet, at nunc aſſertivus plane videtur.

Interim hujus Cenſeo ſubſcribendum quoad nomenclaturam Collis ſententiæ. Et quidem *Primò*. Ob Viri hujus authoritatem, qui poſtea Archi-Epiſcopus Salonitanus fuerat, diligentiſſimusque ſcriptor, ut Farlattus in ſuo teſtaretur Illyrico Sacro, quem proinde purè aſſertivè hæc ſcripſiſſe nemo judicabit, ſed traditione majorum ad minus accepiſſe.

2dò. Ipſa Civitatis cum Addito *Montis Græcenſis* Zagrabienſis Appellatiò hoc indicare videtur, ſicuti enim Regia Civitas, Montis in quo ſita eſt vocabulum ſervat, ab eodemque nuncupatur: ita ly *Zagrabienſis* Vicinari illi Zagrabiam indicat, Et cum Capitulum ab olim & conſtanter ſine omni addito Zagrabienſe audiat, & Locus Reſidentiæ hujus Zagrabia vocitetur, conſequens eſt Collem hunc, ità ob olim fuiſſe vocatum, ab eodémque nuncupatum Capitulum.

3tiò. Ladislai de Loſoncz ſatis veteres Legi deſcripſique Litteras ex Copia authentica, in quibus ita ſubſcribit *Datum in Monte Græcenſi prope Zagrabiam die 1. Martii* 1387. Fuit autem idem, Regnorum Dalmatiæ Croatiæ Sclavoniæque Generalis Capitaneus, & Banus Zeurinienſis. Ex quibus Priora fundari videntur. Uti & ex pervetuſto libro Cathedralis Eccleſiæ, de Anno 1334. in quo inter Parochias Archi-Diaconi Cathedralis ita: *Primo videlicet Eccleſia B. Emerici Zagrabiæ ante Eccleſiam majorem, Item Eccleſia S. Antonii de Vico latinorum Zagrabiæ: Item Eccleſia S. Marci in Caſtro Græcenſi, Item S. Margarithæ de ſuburbio &c.* Cum autem S. Emerici Eccleſia fuerit in area Capitulari hodie ſic dicta, quæ ibi *Zagrabiæ* dicitur, locus iſte ubi Capitulum eſt, Zagrabia vocatur. Nec plura, vide ſis Caput VII. inferius, aliaque in hac, alteráve parte, rem hanc admodum confirmatura, quæ ideo miſſa facimus, ne longiorem de nomine litem, inſtituiſſe videamur.

Sed an hoc in loco Zagrabienſem fundaverit D. LADISLAUS Epiſcopatum, ut hunc eidem locum aſſignaſſet, Eccleſiam ædificáſſet, ita dubium eſt, ut vix affirmari poſſit. Perpenſisque omnibus, quæ pro utraque ſunt Sententia, Lectori proponendum ſtatui, ut quod placet, eligat, determinétque.

Ladislaum Zagrabiæ Epiſcopatum fundáſſe Eccleſiámve conſtrúxiſſe vel ipſa *Imo* denominatio indicat, cum, in Hungaria omnes (excepto Boſnenſi) Epiſcopi, non à Provincia, ſed à locis in quibus fundati fuerunt, ſuam acceperint, habeántque denominationem, uti conſideranti patebit ſic Strigonienſis à Strigonio, Nitrienſis à Nitria &c. à loco ſuæ Fundationis nominantur.

2do. Hoc ex ſupracitatis eruitur DD. Hungariæ Regum Diplomatibus. Andreæ. *Veniſſemus ad Zagrabienſem Epiſcopatum ac Monaſterium Zagrabienſe à S. Ladislao conſtructum*: &c ut ſupra. Stephani Item V. ſuperius relat. ubi S. Ladislaus dicitur fuiſſe: Zagrabienſis Eccleſiæ Inſtitutor & Fundator.

3tiò. Ex recenſito paulo ante Raphaëlis Levakovich teſtimonio, ubi clarè dicitur *Et in hac colle Sanctus Ladislaus Monaſterium & Eccleſiam Zagrabienſem - - - - exædificavit, Epiſcopatum quoque Zagrabienſem fundavit, &c.* Item Benedicti Vinkovich Eppi olim Zagrabienſem Viri Eruditiſſimi, qui in eadem eſt Sententia, dicens *Zagrabiæ à D. Ladislao Epiſcopatum & Eccleſiam Conditam fuiſſe quam & ſub Nomine Divi Stephani Regis Domino DEO Andreas II Rex Hungariæ in Anno Domini* 1217. *Hieroſolymam per Zagrabiam proficiſcens conſecrari curavit, uti ex ejus tunc temporis dato eliceretur Privilegio, Belæ Item Confirmatione in qua hæc lego: tandem revertentes ad Conſcientiam ob Reverentiam S. Ladislai Regis qui eſt Fundator ipſius Eccleſiæ &c. Stephani quoque qui Patris Avique Privilegia confirmans S. Ladislaum Zagrabienſis Eccleſiæ Inſtitutorem Fundatorémque fuiſſe dicit.*

Joannes quoque Mernavchichius dictus alias Tomko Epiſcopus Boſnenſis, ejusdem fuit Sententiæ, Imò hanc ipſam quæ hodie eſt Baſilicam opus D. Ladislai eſſe (licet minus fundatè, ut inferius probabitur) aſſerit. Franciſcus Ladany etiam in MSS. ſuis, huic adhæret ſententiæ, paſſimque alii, qui Eccleſiæ Zagrabienſis meminere, licèt ex profeſſo hanc non tractárint quæſtionem.

Contra S. Ladislaum Zagrabiæ in loco videlicet iſto, de quo quærimus, nec Zagrabienſem fundáſſe Epiſcopatum, minus erexiſſe Eccleſiam, loquuntur, non contemnenda, ſequentia.

1mò. Altum apud ſcriptores omnes Ladislao Cœvos, quin & poſteriores, hac de re ſilentium, imo nec Zagrabienſe Breviarium nec Legendæ ullæ Baſilicæ Zagrabienſis erectionem Ladislao attribuunt. Quis credat autem, tantæ pietatis opus, Regis Sanctiſſimi præ-

prætermissum fuisse, si vel traditio de hac erectione fuisset, quemadmodum Magno Varadiensis Ecclesiæ per S. Ladislaum fundatæ apud Scriptores omnes, reperitur memoria. Profecto nec Zagrabienses Eppi, S. Præcipue Augustinus Gazottus, qui Legendas Breviarii Zagrabiensis revidit per Synodum, hanc rem exmisisset, si Ladislaum Ecclesiæ Zagrabiensis Fundatorem comperisset.

2dò. Ex supra relato Andreæ Privilegio quo etiam Limites Diœcesibus imponeret, constat; Ladislaum primum transiisse Dravæ Fluvium, partesque Sclavonicas, Regno adjecisse Hungariæ. Et cùm Ladislaus Capellanos Csasmenses (uti ex tot Clarissimè eruereturr Privilegiis. Nec opus citare multa, sufficiat Ecclesiæ Quinque Ecclesiensi datum à S. Ladislao, in quo restitui in integrum jubet Quinque Ecclesiensem Eppum, ad primevos Diœcesis terminos, in quibus eum Desiderius Colocensis Sedis Episcopus turbaverat, adjudicatoria Sentea, quam ita concludit: *Primi & SSmi Regis Stephani, ejusdem Ecclesiæ concessorum instrumentorum scriptis & sigillo edocti, in unam eandemque Sententiam conducti Rex prædictus* (nempe Ladislaus) *& omnes optimates ejus Sancti quoque Metropolitanæ Urbis Archi-Episcopus cum omnibus suffraganeis suis, termini aquæductu qui Revoaroch dicitur, cum Cæteris pari Privilegio Insertis scilicet Schemon Boondii in perpetuum possidendi dijudicârunt, cujus Controversionis executores Comites duo præsent, & Csasmenses Capellani Thimotheus & Laurentius, Ministri Regum Petrus & Simon existentes supremam Sententiam administrârunt. Anno igitur Dominicæ Incarnationis Milesimo Nonagesimo Tertio Epacta XX. concurrentibus quinque judices Prima Dominica Resurrectionis quindecimo Kalendarum Maji in ipso Episcopatu Pente Ecclesiasticæ Sedis, Actio in Sanctis Episcopis* Fabiano, Cosma, Stephano *Comitibus vero Squigniensi* Rbab Skroch, *Capellanis Stribungi*, Erdeob, Samson, *Ministris autem* Petes, Serva, *Constantino hoc Privilegium à Thimotheo Capellanorum ultimo scriptum, ac Ladislai Regis gloriosissimi Sigillo sigilatum est.* Apud se pro Notariis habuerit, Capellani autem Ecclesiarum, fuerint quod hodie Canonici, cum Basilicæ Capellæ Regiæ dictæ sint, & dicantur. Sequitur Ladislai tempore, cum ipse Dravum Transivisset, Csasinam eundem appulisse, quæ trans Dravum respectivè ad Hungariam esset, ibidemque occupato Castello, quod Sclavoniæ sive Regum sive Ducum fuerit, Csasinæ habitantibus præsbytheris, & illi inservientibus Ecclesiæ, susceptus est, quos & solari sua volens clementia, & uti fors in neooccupato Regno Consiiis, suos constituit Capellanos, secúmque in Hungariam duxit. Atque ideo in loco qui nunc est Zagrabia Episcopatum, minus Ecclesiam errexit. Sed Csasinæ potius, quem tamen Episcopatum Zagrabiensem nominavit, à loco ad quem eum destinaverat, quíve in medio quasi fuerat Sclavoniæ, ubíve Arx etiam fuerat quæ inferius dicemus in Residentiam Episcopalem versa hodiedum Arcis nomen reservat.

Hæc nec improbabilis opinio fundatur Primò in superius citato Feliciani testimonio, quo non dicit Ladislaum *Zagrabiæ Episcopatum fundasse aut Ecclesiam errexisse sed horum Cæterorumque Nobilium Consilio Zagrabiensem constituit Episcopatum ubi constituit* idem videtur esse ac *ordinavit*. Dein eodem testante Feliciano, nec tantum temporis fuit Ladislao, ut ipse Episcopatum revidisset, vel nominâsset Episcopum, sed duntaxat medio Capellani sui Francica supra relatum Duch *Pastorem delegavit*. Hinc neque per Historicos, Fundatio Ecclesiæ Zagrabiensis Ladislao tribuitur, sed quidam Almo: alii Colomanno eam, atribuunt.

2dò. Donatio Ipsa superius recensita in Feliciani sententia, Zagrabiæ Ladislaum Episcopatum & Ecclesiam satis indicat non fundâsse, cum ibidem dicatur 1mò *Officinarios* de Comitatu Semeghiensi & Zalensi ordinâsse, 2dò populum cum terra & sylva de Dumbroa, quæ Dombra est contulisse, hæc autem Zagrabiâ satis distere notum. Potius ergò, si Zagrabiæ S. Rex Ladislaus Eppatum fundâsset, Eppo & Ecclesiæ quædam ad Zagrabiam Donasset.

3tiò. Vix aliqua aut est reperta unquam, aut reperietur Antiquiorum Episcoporum Zagrabiensium expeditio, sub Dato *Zagrabiæ*, sed vel *Dombræ* vel Csasmæ cum titulo tamen Episcopi Zagrabiensis, hinc si Sedem Zagrabiæ non habuerunt, quis credat eos Zagrabiæ à Ladislao fuisse Fundatos.

4tò. Cum *Croatensis* Eppi jurisdictio ad Dravum usque fluvium extenderetur, uti Histor. Salon. c. 15. Joan. Lucy p. 322. his verbis testaretur. *Voluerunt Croatorum Reges quasi specialem habere Pontificem, petieruntque ab Archi-Eppo Spalatensi, & fecerunt Eppum qui Croatensis appellabatur, posueruntque Sedem ejus in Campo in Ecclesia S. Mariæ Virginis juxta Castrum Tiniense: hic multas obtinuit Parochias, habuitque prædia & possessiones per totum pene Regnum Croatiæ: Quia Regalis erat Episcopus & Regis Curiam sequebatur, eratque unus ex Principibus Aulæ, & sua jurisdictio usque ad Dravum Fluvium extendebatur.* S. Rex Ladislaus Zagrabiæ vix errigere voluit Novum hunc Episcopatum, sed reperiens Csasmæ ut supra probatum, Capellanos, qui ante huic Croatensi Eppo subjecti fuerunt, Eppo Eorum, aut vacante, aut ob Gentilitatis per Idololatriam ritum, providere ipsis nequeunte, aut in illis motibus Ci-

Civilibus sese ad Dalmatiam recipiente, Ladislaus ad Præfatorum Csasmensium preces, de Consilio quoque Nobilium, & suorum qui cum eo erant, tam ad jus suum firmandum magis, quam & Idololatriam repellendam Novum constituit Eppum, quem Zagrabiensem appellavit, sanctè providéque Officinarios de Simegiensi & Zalensi, id est Saladiensi Comitatibus eidem ordinando, ut si nempe, aut Romani Pontificis Authoritate, aut aliâ de causâ constitutus Eppatus Zagrabiensis, permanere nequiret (respective ad Hungariam) trans Dravum, saltem cis Dravum firmus Stabilisque esset.

Ex quo Amice Lector vides, horum qui Zagrabiæ erectum negant à Ladislao fuisse Episcopatum & Ecclesiam. Hanc esse sententiam, videlicet: Postquam Ladislaus Dravæ transivisset fluvium, & ab Universo Clero populóque, Virtutibus ejus ita exposcentibus pro Rege eorum habitus, ut Sacræ, has partes, Coronæ Hungaricæ adjecerit, ad preces eorum, Episcopum ipsis Constituisse, quem Zagrabiensem appellavit. Quin Idem, Zagrabiæ eundem fundâsset, sed ad summum fundare intenderat. Ob perturbatum autem in sua Hungaria Statum eo redivisse, & Sacra præventum morte, opus quod moliebatur, Almo Colomano aliisque perficiendum reliquisse, hinc Ladislaum Fundatorem quidem Episcopatus esse dicti Zagrabiensis, hunc tamen neutiquam Zagrabiæ Fundâsse.

Sententiam hanc in suis MSS. tuetur, eamdem profitendo, Paulus Ritter. Fors ad eam respexit & Valvasorius, qui Zagrabiensem, Eppatum Siscio translatum scribit. Hinc idem Ritter Argumentis supra allatis pro affirmativa Sententia, ita respondet. *Quamvis ex Antiquissimo Capituli Strigoniensis testimonio Episcopatum Zagrabiensem, & ex Andreæ II. Regis Privilegio Zagrabiensem Episcopatum, & Monasterium Zagrabiense à Sancto Ladislao Rege constructum esse dignoscatur, neutiquam tamen vel Basilicam ab Eodem, vel Zagrabiæ erectum fuisse dignoscitur, quanquam Stephanus II. Ladislaum Zagrabiensis Ecclesiæ institutorem nuncupet, sed Ecclesiam Universitatem Fidelium, non templi aut Oratorii fabricam intelligit : siquidem Ladislaus terram Sclavoniæ sive Banatum ab errore Idololatriæ ad Christianitatem convertit uti ex eorum Privilegii, in Archivo Episcopi Zagrabiensis conservatis comperi.* Excusat dein Vinkovichium, qui amore Ecclesiæ suæ Oratorem potius, quam Historicum se exhibuit. Illud autem quod sub D. Stephani Hungariæ Regis Patrocinio, à S. Ladislao erecta fuisset, plane rejicit. *Ea quippe* Verba sunt Ritterii, *tempestate, qua Ladislaus in Illyrico egisse praetenditur. Publico Sanctitatis preconio Stephanus in Oratoriis necdum venerabatur. Primo namque Regnante Colomano prodiit Legenda de S. Stephano Rege & Patrono Regni Hungariæ id est Historia vitæ ejusdem B. Regis, à Chartuitio quodam Monacho, cujus frequens meminit Baronius, ad Colomanum scripta.*

Habes hîc Amicè Lector de Loco in quo sic dicta Zagrabiensis Ecclesia, à Ladislao fundata fuisset in utramque partem argumenta, quam placet sequâre sententiam, sive quidpiam solidioris, certiorisque repereris, communicare quæso né intermittas.

CAPUT III.

De tempore, Finéque Fundationis, Ecclesiæ Zagrabiensis.

CUm Ladislaum Ecclesiæ id est, Episcopatus Zagrabiensis Fundatorem superius adducta Monumenta testentur: inquirendum, quo Anno istum instituisset Episcopatum ? Cùm Fundationis Annus, nec ex Feliciani supra adducto testimonio, neque ab aliis regum Monumentis eruatur.

Sed nec repertæ hactenus D. Ladislai Fundationales hujus Episcopatus Literæ. Quæ vel temporum injuriis deperditæ, vel verosimilius à D Institutore in id nec Confectæ fuerunt. Hinc quæ probabilior Authorum opinio indagandum.

TOMCUS (cui Benedictus quoque subscribit Vinkovich) Annum Fundationis ponunt 1085. Sed tantorum Virorum pace, minus rectè, multúmque erronee, & ne multa repetere debeamus, quæ in alio opere nostro MSS. examinavimus & deduximus, Tomcum audisse, & multum aberrâsse convincemur. *Dalmatiæ tamen* (ita ille, prius asserens, à Principibus Germaniæ oblatum Ladislao, ac per eundem fuisse recusatum Imperium) *Croatiaque Regna, Ungariæ adjiciendi, tanquam cognatæ gentis occasionem noluit praetermittere. Maluit quippe perpetuo posteritatis ornamento, Benedictione Apostolica, Regna in Patrio solo constituta adire, quam alienæ gentis Imperio per ea tempora calamitatibus fœcundo, & sui nominis splendoribus tantummodo profuturo, sese immiscere. Cum enim ea tempestate authore Urbano II, excelsi vereque Apostolici animi Pontifice, Concilio ad Claremontem in Galliis coacto plures Europæ Principes. Pro recuperandis Sacræ Palestinæ locis, non ita pridem ab impiis occupatis, Sacræ Militiæ datis nominibus in Belli Societatem coivissent, Pontifexque Zvonimirum Regem Dalmatiæ, utpote Sedis Apostolicæ Beneficiarium Sacris Copiis præfuturum per Literas invitâsset, Rex morem gesturus summo Christianæ Reipublicæ Patri, in dicto Provincialium Conventu, recitatisque Literis Apostolicis, popu-*

pulares ad Sacrum bellum suscipiendum Cohortatur. Et per protervos quosdam proceres, Regiæ Vitæ pridem insidiantes exagerata difficultate negotii, Charorumque pignorum orbitate, dum extremo in orbe incertis exponerentur victoriis, ita à Consiliis pii Regis sunt absterriti, occultis & Seditiosis colloquiis, ut Sacrilego Parricido eidem Regi necem inferre sint ausi. Cujus morte proceribus Regnum pro libidine distrahentibus, Regina Vidua Lepa nomine, vitæ suæ Regnoque consultura Vladislai Fratris opem implorat, ille cellerrime Contractis Copiis ad Sororem accurit, victorque perpetuo sumpto de Parricidis supplicio pacatum Regnum Sorori reliquit. Verum cum iteratas in Dalmatiæ Croatiæque Victorias Sancto Regi Stephano post DEUM referret acceptas ex inferioribus Regnis, in Ungariam rediens in Ipsa ferè Savi Ripa in limitibus Slavoniæ Croatiæque Regnorum ad Vicum Italicum appellatum Basilicam Amplissimam, oppulentissimè ditatam innatæ pietatis immortale trophæum erexit, cui restaurato Amplissimè Urbis Siscienſis, in proximo agro inter rudera squallentis Sacro Præsulatu, authoritate Romanæ Sedis. Episcopum dedit omnium, Regnorum Hungaricorum Nostro Sæculo facilè Principem instituit. Singulari tutelaris Regis Patrocinio, titulo Zagrabiensis Ecclesiæ ad hanc usque diem semper eundem, ac proinde Vigilantissimorum Pastorum præstantissimorumque Senatorum perpetuo Nobile Seminarium. Verum enim vero cum plus Rex operam suam Urbano Pontifici Loco Sororis mortui - Sacro Bello ductando, cujus aviditate miro modo flagrabat, promptissime obtulisset, magno Urbani Principumque reliquorum gaudio, Dux Sancti Belli denunciatur, ac Insuper Apostolica authoritate, adquam jus Regni Dalmatiæ Croatiæque pertinet, eorundem Regnorum jure donatur perpetuo. Agebatur tum Annus Octuagesimus quintus undecimi Sæculi, quo Vladislaus novis Regnis auctus, imperioque Sacræ Militiæ insignitus, convocatis sui Regni ordinibus, & animi sui deliberatione exposita, Nobilissima Procerum manu ipsi adhærente, post dulces amplexus, & affatus Charorum, Regni cura Proceribus demandata, dum terrestrem Hierusalem Christi Miles, ex impiorum manibus eripere satagit, Divis quam hominibus gratior, ad Cælestem Hierusalem rapitur. Hactenus & ita TOMCUS.

At quam infundatè, & minus ac assertivè, quis non videt? Utve Cætera taceam, alio nostro opere MSS. demonstrata, quám quæso à Veritate alienum est Anno 1085. Urbanum fuisse Pontificem, quo Gregorius Salerni mortuus, huic Victor III. successerat, & Victori Urbanus II. Anno primùm 1088. IV. idus Martii.

2do. Ut Domesticos Scriptores Bonfinium Thurrozzium &c. taceam, Sigebertus Gemblacensis Monachus eorundem temporum Acta in Chronicon digerens, Anno Christi 1095. Ladislaum Hungarorum Regem mortuum adnotavit, Abbas quoque Urspergensis, ejus Ævi Scriptor ingenuè Chronico suo pro temporis conditione inscripsit *A. D.* 1095. *Ladislaus Rex Pannoniæ Misericordiæ operibus plènus, Vitam finivit in Domino.*

3tio. Claremontanam Generalem Synodum in Octava S. Martini Anno 1095. ab Urbano Pontifice institutam fuisse Cardinalis Baronius, ex Presbytero Domnizone & Bertholdo oculatis testibus, quia eidem interfuerunt, demonstravit, & Paulo ante citati Sigebertus, & Abbas Uspergensis (qui Profectionem Hyerosolymitanam Anno sequente 1096. factam, pluribus describunt) testantur. Quomodo ergo Zvonimirus, Dux Sacri Belli institui potuisset? jam mortuus antea; imo qua ratione Ladislaus operam suam Urbano obtulisset? cum & ipse, ante Incoatum Claromontanum Concilium, mensibus aliquod tertio nempe Kal. Augusti 1095. obyisset. Hinc Bonfinium quoque, ad hæc non respexisse apparet, qui Claromontana Synodo definita, scribit spem in Ladislao auxisse, ejusdem expeditionis Præfecturæ obtinendæ, *qua* inquit *nihil avidius anhelabat.*

Idcirco subsistere nequeunte Joannis Tomci sententia, mihi videtur credibilius Ladislaum Zagrabiensem instituisse Eppatum circa Annum Dominicæ Incarnationis 1091. Ob quod, oportet me repetere quædam ex nostris MSS., Historiam Civilem potius, quam Ecclesiasticam respicientibus, ubi accurate pertractatum, de omnibus, quæ Posteriores Authores Nostri, Ladislao attribuerent, haud tamen Ladislao tribuenda. Igitur Baronio teste, Zvinimirus Eodem fere Anno Regnare cœpit quo & Ladislaus, videlicet 1077, quod confirmant Diplomata apud Lucium Legenda, per Zvonimirum diversis concessa Hunc Zvonimirum Patriæ monumenta sub finem Anni 1087, aut statim sequentis initio, mortuum referunt, sine hærede masculo, non item Filiabus, ut in MSS. nostris probavimus. Huic quod successerit Stephanus 1087. aut 1088. Privilegia sequentibus Annis ab eodem expedita certò affirmant, hícve Stephanus cum nullum suæ posteritatis hæredem reliquisset, qui Croatorum Regno ritè succedere debuisset, optimates aliique in Varias Scissi partes, Regnúmque affectantes, causa fuêre, Ut quidam ex Magnatibus Sclavoniæ. ad Ladislaum recurreret, eúmque ad Capessendum Croatarum Regnum invitaret. Pro uti hæc Thomas Archi-Diaconus Spalatensis Ecclesiæ, atque ad ipsam Cathedram postulatus Sriptor tam antiquus, quam verax Anno 1200. natus, & ut ex Sepulchrali inscriptione, Lucius Cap. 32. adinvenit, 1268. mortuus, ad Belam IV. Hungariæ Regem

Legatus, magna rerum tam Civilium quàm Canonicarum Scientia prædìtus his Verbis testaretur. *Tota Regalis sanguinis deficiente prosapia, non fuit ulterius qui Regno Croatarum ritè succedere debuisset. Capit igitur inter omnes Regni Proceres magna discordia suboriri, & cum divisim modo hic, modo ille Regnandi ambitione sibi terræ Dominium vindicaret, innumerabiles Rapinæ, prædationes, Cædes, & omnium facinorum Seminaria emeserunt: Alter enim alterum insequi, invadere, trucidare, quotidie non cessabant. Verum his temporibus exstitit quidam ex Magnatibus Sclavoniæ, qui cum à suis esset contribulibus injuria multisque damnis attritus non sperans aliter se posse tantis resistere malis, ut in Ungariam profectus est. Vladislaum ingressus cum alloqui Capit, persvadens ei, ut ad capiendum Croatiæ Regnum, & suo dominatui subjugandum exiret. Dant ei plenam fiduciam, id facile posse complere, cum Regnum illud vacuum, & sine tutella Regalis Providentiæ remansisset. His ergo Ladislaus Rex inductus Consiliis, absque mora coadunato exercitu copioso venit & occupavit totam terram à Dravo Fluvio, usque ad Alpes, quæ dicuntur ferreæ. Post hac transivit Alpes & Cæpit impugnare munitiones & Castra, multaque prælia committere cum gentibus Croatiæ. Sed cum alter alteri non ferret auxilium, essentque divisi ab invicem, facilem victoriam Rex potuit obtinere, nec tamen usque ad Maritimas Regiones pervenit, sed audiens quod quædam Gens sui Regni fines intraverit, in Hungariam repedavit.* Ex qua Relatione videre est: Ladislaum Hungariæ Regem, non affinitatis, aut legati cujuspiam jure, sed nec prius unquam Sororio, aut Sorori opis ferendæ causâ Dalmatiam, aut partes Maritimas adysse: nam neque Angustiarum, aut viduæ Zvinimiri, neque Sorori Ladislai Archi-Diaconus meminit. Sed his tanquam ad hæc non spectantibus, omissis.

Quoniam Archi-Diaconus Annum, quo ab eo relata, Acta sunt: non expressisset, hunc Joan. Lucius Lib. 3. c. 1. Ex ejus temporis Publico monumento (à DRAGO conscripto, & apud Mon. S. Mariæ Jadren comperto) refert. *Anno Incarnationis JESU Christi D. N. 1901. Kyri Alexio Constantinopoleos Imperante, tempore, quo Vladislaus Pannoniorum Rex, Croatiæ invadens Regnum, Domum Almum suum Nepotem in illo Statuit Regem, Jadrensi vero Cathedræ Domno Andrea venerabiliter Præsolante, meque Drago Domini Prestantii Episcopi Nepote jam tertio Priorante.*

Anno ergo 1091. Partes has accepit Ladislaus, Coronæ eas Hungaricæ uniendo, ac eodem Verosimilius Zagrabiensem Episcopatum Constituit ordinavítque.

Sed quid? Quod in Sznodo, in Civitate Szabloch per D. Ladislaum XIII. Kal. Junii celebrata, nulla Partium istarum mentio? quis credat Ladislaum ita eas neglexisse, ut nihil de iisdem disponeret. Respondendum censerem, quod nec satis constet, synodum illam 1092. cellebratam fuisse, imò cum præter hanc in Corpore Juris nostri, Decretorum Libri duo alii, & Posteriores referantur, Ladislaum Annis Posterioribus singulis, Synodus celebrâsse affirmare deberemus, cum is 1095. piè obierit. Combinatis autem iis, quæ Historici referunt, videtur incredibile, Ladislaum tot bellis occupatum ultimis his vitæ suæ Annis, & tot bella gerere potuisse, & Synodus consequenter celebrâsse. Sed cedo, Anno 1092. in Civitate Szabolch Liber primus Ladislai Decretorum in Synodo conditus est. Quid quæso continent, quod his Croatiæ partibus non conveniret, Una eos Lege vivere voluit, nec opus erat, eos exprimere nominando, cum in tota Synodo res Fidei morumque pertractentur que omnes æqualiter obligabant. Demum Legès Historiam pro fine non habent (alias negandæ Ladislai facta omnia, quæ ibi non continentur) sed mores populorum.

At ex Producto Feliciani Cap. I. Testimoniô (cùm Jula sub Geisa I, Rege Anno 1076. uti Catalogus Palatinorum Hungariæ notat, Palatinus fuerit. Et Achas in serie Archi-Episcoporum Strigoniensium, Annum sui Pontificatus primum, 1085, Ultimus verò 1088. obtineat) quis credat? Fundationis Ecclesiæ Zagrabiensis, Annũ 1091. constitui posse? Respondeo. Authorem Catalogi Palatinorum Hungariæ, quô fundamento, Annum 1075. JULÆ pro exordio Palatinatû statuat, non referre. Hinc si Annus ille est, JULA pluribus Annis, vivere potuit vixitque, ex Feliciani relato testimonio. Quod Acham concernit; Quæ inter Scriptores de eo sententiæ, notum. Alii Seraphino Anteponunt, post ponunt ali. Neque constat, qùo Anno mortuus? quo Pontifex Strigoniensis factus? Si verum est, ut Inchoffer è Taqulario Romano depromptis, se legisse testatur, Acham 1085. Anno, Strigoniensem factum Pontificem, Vita ei, fuit trienniô, diuturnior. Sed quid immorandum? de Julæ Achæ annis incertum, & Inchoffer, Störényi, Aimon, de his conjecturando scribunt. Consentiunt. Consentiunt verò omnes, Ladislaum Ecclesiam, tunc fundâsse primùm, cùm in has venisset partes, proinde cum Publicum ejus temporis monumentum fidem faciat, Anno Domini 1901. Ladislaum Croatiam accepisse, verosimilius nobis est, Anno hoc & Julam Palatinum, & Acham Archi-Episcopum Strigoniensem, ac tum constitutum à Ladislao Episcopatum Zagrabiensem, hoc, vel sequenti-nec antea, Annis, fuisse.

Jam

Jam quis Finis Fundandi Episcopatum fuerit? Perquiramus. Profecto ex Veterum monumentis, Causa Episcopatus Zagrabiensis instituendi fuit Regius in eliminandis Gentilitatis erroribus, & Idololatriæ, cultu Zelus. Et hoc probant verba Andreæ Regis; *Quod cum essemus - - - venissemus ad Zagrabiensem Eppatum ac monasterium à Sancto Ladislao Rege - - - qui terram Sclavoniæ sive Banatum ab errore Idololatriæ ad Christianitatem convertens Coronæ Hungariæ subjugavit.* Item Stephani Regis Anno 1272. *Ob Devotionem S. Regis Ladislai qui eliminatis Gentilitatis erroribus in Ducatu Sclavoniæ Zagrabiensis Ecclesiæ Institutor - - -* nec non prænominati Archi-Eppi Feliciani. *Regnante Nobilissimo Rege Ladislao. - - - Zagrabiensem Constituit Eppatum, videlicet ut quos error Idololatriæ à DEI cultura extraneos fecerat, Episcopalis cura ad viam veritatis perduceret.*

At dices: videtur incredibile Idololatriam his in partibus viguisse, & ad Ladislai perdurâsse tempora, quoniam Sisciæ Episcopum fuisse, prouti & Stridonæ à multis scribitur. Quin Thomæ Archi-Diaconi supra relato testimonio, Croatorum Reges suum habebant Episcopum, qui Croatensis appellabatur, suaque jurisdictio ad Dravum usque Fluvium extendebatur, cui Csasmenses Capellani quos Ladislaus reperit, subjecti erant, adeoque Clero his in partibus existente Idololatriam Vigere nequivisse. Immo Zagrabiæ Ædes sacras templaque fuisse Historici referunt, quæ, in modernæ Basilicæ Zagrabiensis Fabricam serviverunt. Et Sacellum Divo Proto-Martyri Stephano Sacrum, illam hodiedum esse Ecclesiam, ad quam Episcopatus Zagrabiensis à Ladislao institutus est, traditio docet.

Crisii in Parochiali Ecclesia, exstat antiquissima Ara, inqua hæc Inscriptio ex ore depicti ibi Sacerdotis quasi profluens: *O Fili DEI miserere mei,* Anno M.L.XL. consequenter 1090.

Fateor gravem hanc mihi esse dificultatem, præcipue si Decreta S. Ladislai, Corpore Juris nostri contenta perlustro. Ex quibus Catholicam Viguisse & Regnasse Fidem, temporibus illis apparet, Longe enim distincta ab Andreæ I. Regis, Decreto sunt. Ut combinando Decreta, Lectorum quivis advertet. Ex quo assentiri Paulo Ritter non valeo, qui Catholicam fidem in Oppidis Urbibusque conservatam intra paucos fuisse ominatur, Gentilitatis autem errores & Idololatriam Religionem prædominantem fuisse, & apud Plebem in Vicis ut plurimum. Idolum *Lado.* Præcipuum fuisse ex Cantilenis suspicatur, quin Ladislaum ab hoc Idolo nomen accepisse, à *quo* ait ille *Sanctus ipse nomen accepisse argui potest, quasi Ladonis cultor* sed crederem ego Religionem Catholicam in Sclavonia etiam, sub Ladislao Prædominantem fuisse, & à rudioribus quibusdam duntaxat, Idololatriam, ex gravi ipsorum ignorantia observatam. Mihique argumento sunt. *Primò.* Sæpe relatum Feliciani Strigoniensis Archi-Eppi testimonium, ubi *Consilio Nobilium* Episcopatum Zagrabiensem constituisse dicitur Ladislaus. Ergo Nobiles, Catholicos fuisse oportebat, qui Eppatum svadebant Fundandum. Tum manifestè in eodem scribitur. *Ad Instruendam ergo hujus Plebis ignorantiam quendam* &c. Igitur Idololatria, apud ignorantem fuerit solùm plebem, adeoque Dominans nullatenus. *2do* Libri 1. Decret. Ladisl. cap. 22. Ubi hæc Statuta Leguntur: *Quicunque ritu gentilium juxta Puteos sacrificaverint, vel ad arbores & fontes & Lapides obtulerint, reatum suum bove luant.* Quæ satis indicant, Idololatriam apud miseriores Viguisse *bove luant.* Nec ut Andreas I. *Capite & bonis mulctetur*, quod tamen Ladislaus confirmare non neglexisset, si Nobiles, Bonorum capaces, Idololatræ fuissent. Item juxta *Puteos, Arbores, Lapides*, ritu Gentilium obtulerint, indicat Clancularium potius, ac publicum fuisse Idololatriæ exercitium. *3tiò.* Idololatria si prædominans fuisset, credibile non est, à Magnate illo Ladislaum Catholicum Principem, ad Capessendum Croatiæ Regnum invitari potuisse.

Sed nec Benedicto Vinkovich subscribere possum, qui *à temporibus Cupani* verba ejus sunt *Idololatræ Ducis Simigiensis, & Comitis Posegiensis usque ad tempora S. Ladislai, verisimiliter credi potest posteritatem ejusdem Cupani Ducis Idolatræ seditiosi, partes hasce Sclavonicas possedisse & Idololatriam servâsse.* Equidem Primò Incertum est, an non ly *Cupan*: appellativum sit potius, ac proprium nomen, accipiaturque pro Zupan, quod Comitem sive Provinciæ Judicem significat, uti utroque modo *Cupan* videlicet & *Zupan* in vetustò Senæ Civitatis Statuto, se Legisse, Paulus Ritter perhibet. *2dò.* Contra Domestica Patriæ monumenta Vicinorumque Scriptorum testimonia est, Sclavoniam suis Principibus à Stephano Rege, ad Ladislai Regnum caruisse. Hinc mea quidem sententia, cum Ladislaus Sclavoniæ Nobiles Orthodoxos reperisset, Clerum item Sacrásque Ædes. Plebem vero Idololatriæ mancipatam, ex ignorantia potius, quam Contumatia, Episcopatum Zagrabiensem constituit ad hujus Plebis instruendam ignorantiam, cujus, Successorumq; cura, jam Andreæ II. temporibus, cum eliminata fuisset Idololatria, jure ab Andrea, Stephano, terra Sclavoniæ sive Banatus ab errore Idololatriæ ad Christianitatem conversa fuisse perhibetur

Antea enim in parte solum fuit Catholica, S. Ladislai verò opera, Tota Orthodoxa, tota Christi effecta est, ac ita quidem ut præter Romano Catholicos Bona in Sclavonia tenere non possint alii uti Art. 23. 1687. Item 86. 1723, & 46. 1741. quô, Acatholicis; neque Officialibus Oeconomicis esse, fas est.

CAPUT IV.

De Episcopatibus qui in Sclavonia fuerunt ante Episcopatum Zagrabiensem.

APostolum Paulum in Illyrico prædicâsse S. tenet, Scribendo ad Marcellam, Hieronymus, Petrus item Damianus dum *respice* inquit *Paulum totum pervagantem Illyricum, suscitantem mortuos, subvertentem templa Deorum.* Gregorius quoque Nyssenus, sermone de S. Stephano, Dorotheus Tyri Episcopus, Aliique, quin imo S. Titum prædicâsse in Dalmatia S. Paulus 2. ad Timot. 4. v. 10. *Crescens in Galatiam, Titus in Dalmatiam* abiit testatur. Sed an hi ? ad hodiernam pervenerint Sclavoniam, definire non præsumo, Carens antiquorum Scriptorum testimonio, quamvis celebres temporibus illis in hodierna Sclavonia fuisse Civitates, Syrmium, Sisciumque præcipuè, & Authores gravissimi, & rudera quæ videmus, repertæque per nos etiam, in iis Inscriptiones, indubium firmumque faciant, prouti & tot SS. Martyrum Syrmii, Sisciæque memoria. Imò Georgius Ratkajus Lib. 2. pag. mihi 33. S. Marco Evangelistæ Prædicationem in his Sclavoniæ partibus attribuit etiam, dum scriberet: *Ex Petri autem Schola Marcus Evangelica Clarus Historiâ, in ea parte, quam Dalmatiam supra mare prope Carnos stylus Ecclesiæ Romanæ appellat (nos vero Croatiam vocamus) suam impendit operam.* Quod more suo, quamvis nullo fulciret documento, hinc asseruisse videretur, tamen hujus Rei, Majores nostros habuisse fidem, vetus mihi MSS. indicat Lites Capituli Zagrabiensis, cum Civitate Regia Montis Græcensis habitas, referens, in quo ita: *S. Evangelista Marci Patroni nostri, cujus Evangelica Prædicatione Salvatorem Christum primo cognovimus, ex cujus etiam reverentia rogantibus Civibus, Bela Rex, dum à tartaris vindicante peccata DEO, multa mala & ruinas accepisset Sclavonia, in Montem Græcum data turri locavit Canonicos, ut precibus, Divinas placarent iras, per Sanctum intercedendo Patronum, qui DEO nos genuit per Evangelium, & à Diluviis sæpe liberavit, ac modo protegit, ut ideo in medio Monte, quasi Sion in excelso loco prima hac Parochialis Ecclesia, suam cum Episcopatu habens vetustatem collocata sit ut ad eam confugiant in necessitatibus omnes quasi Filii ad Patrem, &c.* exagerans Excommunicationis sententiam, quam Joannes Eppus in Cives Montis Græcensis, de qua postea, tulerat. Interim an revera S. Evangelista Marcus in Sclavonia prædicaverit affirmare nequeo, licèt Thomas Archi-Diaconus apud Lucium pag. mihi 313. scriberet: *Hoc enim B. Petrus statuerat, ut Pontifices Christianæ Religionis sic disponerentur per Urbes singulas totius orbis, quemadmodum apud Gentiles fuerat antiquitus Constitutum, in illis enim Urbibus in quibus erant Gentiles Antistites, qui dicebantur Protoflamines fecit ordinari Episcopos --- Unde per Oras Adriatici Sinus tres direxit Pontifices: Apollinarem Ravennæ Æmiliæ; Marcum Evangelistam Aquilejæ, quæ præerat Venetiæ & Istriæ Dominium vero in Salonam direxit, quæ Caput erat Dalmatiæ & Croatiæ.* Quæ si ita sunt, cum Siscii Flamines fuisse per nos in confracto ex parte Lapide repertum sit, hac quamvis non Intregra Inscriptione:

F. P. ÆL. MARCIANO FLAM. --- PRÆF. AN. XX. --- AVVÆ MAXIMI ---. legi non potuerunt reliqua.

Sisciensem in Sclavonia Eppatum à S. Petri temporibus constitutum fuisse argueretur, quod quamvis affirmare non valeam, certum tamen est, hunc pervetustum fuisse Episcopatum, de quo antequam, quæ à me reperta sunt, recenseam sciendum. SISCIAM per celebrem olim fuisse Urbem, Coloniæ Romanæ jure fulgidam, referente his verbis l. 3. Cap. 25. Plinio: *Ad Septemtriones Pannonia vergit, finitur inde Danubio, in ea Colonia Æmona, Siscia.* Cap. autem 29. de Pannonia tractans: *Amnes memorandi* inquit *Colapis in Saum influit juxta Sisciam, gemino alveo Insulam ibi efficiens, quæ Segestica appellatur.* & alibi etiam. Meminit Sisciæ Strabo Lib. 7. Geograp. *Penes Segesticam* inquiens *Castelum est Siscia. --* Vellejus Paterculus Item Libro quem de gestis Tiberii Primi, conscripsit *Ipso* inquit *asperimæ hyemis initio regressus Sisciam Legatos inter quos & ipsi fuimus partitis præfecit hybernis.* Am. Marcellinus, Itinerarium Antonini, Eginhartus quoque Scriptor non ignobilis, bellum Ludovici primi Imperatoris adversus Lyndevicum Pannoniæ Saviæ Præsidem describens: *exercitus* inquit *de Italia propter Lyndevicum ad bellum conficiendum in Pannoniam missus est, ad cujus adventum Lyndevicus Siscia Civitate relicta ad Sorabos qua natio magnam Dalmatiæ partem obtinere dicitur, fugiendo se contulit.*

Civi-

Civitas hæc, Officinas Monetarias plures habuit, ut Nummi Veterum qui in loco reperiuntur ad hæcdum, testantur. Permagnam fuisse, comerciisque idoneam, rudera quæ hodiedum visuntur, & flumina quibus circumdatur, fidem faciunt. Magnorum eam Virorum fuisse receptaculum, Sepulchra, & tumbæ quæ eruuntur ex diversis Metallis plura (qualia Nos ipsi conspeximus) indicant. Cœterùm Plinii, Strabonisque superius relatis verbis, ac per Nos bene ruminatis, cum ad Sisciam Parochiam, *Szella* vocatam, ut Pastor per Sexennium moderaremur, arbitrari nos facit : Segesticam Insulam Locum illum fuisse, qui trajecto *Odra* fluvio, in calapim decedente (olim à Plinio *Noarus* appellato, *hinc* verba sunt Plinii *Noarus augetur accepto colapi qui ex Albio monte fluens* &c.) Planitiem pulchram efficit, quæ intra flumina est, equidem ab occidente est mox fatus fluvius *Odra* decurrens ad Colapim (qui à quibusdam *Cupa* dicitur) versus meridiem, & decurrendo per meridiem Colapis descendit ad Arcem quæ *Szisszeg* vocatur infra quam *Savus* ex parte Orientali, & respective Septemtrionali advenit, Colapim recipiens. Locum ergo istum Segesticam fuisse insulam puto, in qua Urbis instar locum fuisse Mœnia quæ etiamnum Visuntur indicant, non magna tamen Urbs fuerit. Conjicere licet. Hic & Christianorum, & gentilium sepulchra fuisse, docent tumbæ, quæ erutæ, etiam meis sunt temporibus. Et Christianorum quidem penes alveum Koczaricza dictum ubi hodie Domus Annonaria Regia est, cum ibidem Tumbam cum hac Inscriptione videre hodiedum sit. HUIC ARCHÆ INEST SEVERILLA FAMULA CHRISTI QUÆ CUM VIRO SUO VIXIT NOVEM CONTINUIS ANNIS, CUJUS POST OBITUM MARCELLIANUS HANC SEDEM VIDETUR COLLOCASSE MARITUS. Aliasque ex Diversis Metallis temporibus nostris signanter 1739. erutas. Gentilium verò statim trajecto ODRA fluvio, ubi me præsente 1745. erutus Lapis, in quo absque Inscriptione, Forma Viri fœminæque eleganter incisa fuere, & in fossa intus reperta mortuorum ossa, cum Laternis, triangulum referentibus operis Figulini, nec non Vitra duo, Vino plena, cum Numis duobus Ex quo credo Gentilium ibi fuisse Sepulchra. In Eadem hac Insula hortos fuisse svadent Asparagus qui Colliguntur, quamvis Sylvestres redditi. Hodie autem in ea est Parochialis Ecclesia sub Titulo SSæ Crucis, & Pagus satis in Longum supra ripam Colapis extensus ac in fine Ejusdem Capella Lignea S. QUIRINI. Ad Savi ripam Pagus *Galdovo*, & infine tandem, Arx, infra quam Colapis in Savum influit. Arcem hanc nolim putes Romanorum opus esse, cum hæc ad preces Nicolai Olahi, & Capituli Zagrabiensis, indultu Ferdinandi I. Anno 1544. concurrente etiam Ferdinando per Capitulum in Anno 1544. ædificari incoata sit, accitis ex Italia Magistris Murariis videlicet Petro de Castel novo, Dominico de Brescia, Martino de Novo loco, Petro de Mediolano cum quinque eorum Mechanicis, quibus adjuncti fuêre Domestici Octo. Sed de his accuratè Parte 3. in Historia Capituli Zagrabiensis dicetur. Nunc innuisse ex Monumentis Parte 3. producendis, sufficiat.

Sisciam autem Veterem, trans Colapim fuisse, Lapides qui ibidem eruuntur, suntque hactenus eruti, Manifestant. Fuisseque hanc Civitatem amplissimam ex iisdem colligere est Lapidibus, hodie Vineis, Arboribus, etiam, alicubi terris arabilibus, vetus hæc Civitas servit, Segesticanos sustentans. Et quia uno divisa fluvio Colapi, olim facile, sub Eodem accipiebatur nomine, prouti & hodie, tam Vetus Siscia, quam & Segestica Insula veniunt, vocatúrque Sclavonicè *Szissziek* Latinè *Siscia*, *Siscium*.

Inter reliqua Veteris Sisciæ Ornamenta est, Christianæ Doctrinæ eam Asylum fuisse, habuisséque Sedem Episcopii Antiquissimam. Ut hodiedum S. Quirini Eppi & Martyris celebretur memoria, de quo Carmine suo, Poëta Aurelius Prudentius ita canit;

Insignem meriti Virum
Quirinum, Placitum DEO
Urbis mœnia Sisciæ
Concessum sibi Martyrem
Complexu Patrio fovent.



Hic sub Galerio Duce
Qui tunc Illyricos Sinus
Urgebat Ditionibus
Fertur Catholicam Fidem
Illustrâsse per exitum.

Vir hic Fortis, Urbis hujus fuisse Episcopus creditur circa finem Sæculi secundi & initium tertii cùm Martyrium ejus ab aliis 303; ab aliis 309. (nobis Verosimilius 304.) contigisse feratur. Martyrol. Romanum Die 4. Junii. Hanc colit Quirini memoriam. *Siscia in Illyrico S. Quirini Eppi, qui sub Galerio Præside pro fide Christi, ut Prudentius scribit, molari Saxo ad Collum ligato in flumen Præcipitatus est ; sed Lapide supernatante, cum circumstantes Christianos, ne ejus terrerentur supplicio Neve titubarent in fide diu fuisset hortatus, Ipse ut Martyrii glo-*

 riam

riam assequeretur, precibus à DEO ut mergeretur obtinuit. Quæ bene considerata, Siscii Martyrio Coronatum suadent. Uti plures AA. tuerentur. Sed nulla exstante, loci in quo submersus fuisset apud Siscienses memoria; volunt alii, à Maximo Præside Sisciano, ad Amantium primæ Pannoniæ Præsidem submissum in Catenis fuisse, postquam Marcellus Custos Carceris ex splendore magno à se viso, à Quirino Baptizatus fuisset. Quæ si vera sunt, *Maximus* Præses non fuerit, sed Magistratus Urbis. Tum ab Amantio probatus variisque tentatus in Civitate Scarabatensi, quam hodiernam Sabariam fuisse putant, post Varias Passiones Molari lapide ad collum alligato de Ponte influvium *Sibarim* demergitur. Sed cum diutissimè supernataret, tandem orans ut mergeretur obtinuit. Sepultus ad Portam Basilicæ Scarabatensis. Videsis Cardinalem, Vincentium Ludovicum Gotti veritatis Xtianæ Tomo VI in Persecutione Diocletiani cap. 13. §. 39. fol. 523. aliosque. Illi qui Sisciæ Quirinum fuisse Martyrio affectum volunt, ad flumen *Colapim* demersum scribunt, & cum Pons olim in Colapi fuisse ex Ruderibus eruatur, non procul à loco illo, ubi hodie Crucis Signum exstat, in Vicinia illa submergi debuisset. Hoc autem tuentur Partim Martyrologii authoritate, Quod *Siscia in Illyrico* submersum dicit, partim quod *Maximus* Præsidis titulo etiam à contrariæ sententiæ Patronis decoretur, consequenter ad Amantium eum mittere non debuit MSS. de Sanctis Illyrii, quam habemus Historia, hæc de Quirino scribit. A Maximo Sisciæ Præside, ad Amantium ideo submissum fuisse ut decrepito Seni, iter hoc pro tormento esset, sed denuo ab Amantio Constantiam Quirini nulla arte labefactante Sisciam remissum, ut Exemplo mortis ejus, alii Christiani deficerent. In flumen *Colapim* Maximi Sententia præcipitatum, eo loco ubi Crux hodie est. Et reperto Sancto Corpore, in loco hodie exstantis Capellæ Sepultum, ædificata à Xtianis postea Ecclesia. Dein tempore incursionis Barbarorum, Romam S. Corpus deportatum fuisse, atque ad Cathacumbas ad S. Sebastianum reconditum, postea per Angilbertum Mediolanensem Archi-Eppum Mediolanum translatum, inque Ecclesia *S. Vincentii* conditum, adhuc magna Religione Coli. Quæ ex Inquisitione apud Siscienses Collecta se accepisse scribit. Nos integris sex Annis, ad Sisciam Commorantes, & de his satis indagantes, nil reperimus, nisi Pontis Rudera, à Sisciensibus nobis monstrata tempore magnæ siccitatis. Quare retulisse contenti, quod Lectori placet, tueatur. De MSS. autem nostro ex quo hæc accepimus, quamvis authorem ignoremus, Virum Magnum fuisse credimus, & cujus Opus si Typo daretur, ab eruditis etiam probandum speraremus. Cœterum de S. Corpore plures certant Ecclesiæ, *Mediolanensis* videlicet, *Aquilejensis* & *Tegerina* in Bavaria, nec litem dirimere Nostrum est. QUIRINOS plures fuisse notum, hinc quod unius est: alteri non tribuendum. Post vel ante Quirinum, qui in Sisciensi Sede fuerint, non comperi: ut fidedignè recensere possim. In Sardicensi tamen Concilio MARCUS Siscianus Præsul, Cornelii item Papæ Decretis, sub Decio Cæsare CASTUS, ac demum in Aquilejensi Synodo contra Palladium Arianum habita, Gratiano imperante *Constantius* Siscianus Præsul, apud Wolffgangum Lazium subscripsisse Leguntur.

S. ADALBERTUS Comensis Eppus, prouti & *S. Martianus*, sive *Martinianus* ut Legunt alii, Prioris in Episcopatu Commensi Successor, Sisciò Illyrici Urbe Oriundos fuisse, Sisciæque Cives in suis MSS. Ritterus notatum reliquit. Adalbertum per Calumniatores ad Bonifacium IV. accersitum Romam fuisse scribit, & per Internuncios exploratorésque Pontificis Innocentissimum repertum, Romæque sanitatem impetrâsse Bonifacio; A quo, gratitudinis ergò, Commi in dicato SS. Apostolis templo repositus est Adalbertus, Anno 615, die 3 Junii. *Martianus* verò Die 3. Septembris 628. Penes Adalbertum Sepultus Legitur.

Hactenus de Sisciensi Sede, jam Syrmiensi agendum.

SIRMIUM in hodierna Sclavonia esse, clarum est. Comitatui in Politicis: à Feliciter Regnante MARIA THERESIA Regina Nostra erecto verius; ac restituto: nomen, Prouti & Episcopatui Syrmiensi, dat. DUCATUS veniens titulo Familiæ ODESCALCHI. Olim verò, postquam ex Constantini Decreto, quatuor Præfecturæ, videlicet Galliarum, Illyrici, Italiæ, & Orientis institutæ fuissent, Et Ilyrici Præfectura, teste Zosimo, singillatim ex quibus hæc Præfectura formata sit referente, nempe ex Pannoniis utroque Norico, Dalmatia, Daciis, Mœsia, Dardania, Macedonia, Achaja, Thessalia, utraque Epiro, & Creta, Syrmium Pannoniæ secundæ Civitas, totius Illyrici Caput facta est, uti in Aquilejensi Synodo Anno Dñi CCCLXXXI. disertè *Anemius* Syrmiensis Episcopus fassus est: *Caput* inquiens *Illyrici non nisi Civitas Syrmiensis.* Ammianus verò, Matrem eam vocat Urbium, & Romanorum Principum Regiam seu Palatium fuisse docet Libro XXI. & XXVI. & Zosimus Lib. IV. Eodem Ammiano teste Lib. XV. Syrmium Præfecturæ Illyriciannæ sedes fuerat, quod etiam Justinianus annotavit Novella XI. *Antiquis temporibus Sirmii præfectura constituta, ibique omne fuerat Illyrici fastigium, tam in Civilibus quam in*

Epi-

Episcopalibus causis. His tamen non obstantibus, Chiffletius existimat, Sirmium nunquam fuisse Caput Illyrici, nisi ad summum triennio, videlicet CCCLVII, & duobus sequentibus annis, quibus Constantius Imperator, in ea Urbe moratus est. Secto dein in duas partes Illyrico, videlicet in Orientale & Occidentale. Et Orientis Imperio, adjuncta utraque Prima nempe & 2da Macedonia, Thessalia, Achaja utraque Epiro constans, ac Dioecesi Daciae. Occidentali vero sub dispositione Praefecti Praetorio Illyrici, cujus Sedes constituta Thessalonicae, adjuncta Pannonia, Noricum utrumque, Dalmatia coeteraeque Provinciae.

Disputatur inter Eruditos, quonam tempore facta fuit haec Illyrici divisio, nec injucunda est quaestio, sed cum Civilem respiciat Historiam, multáque recensenda Venirent, licét magnae eruditionis sint, ea praetermitimus, solum retulisse contenti, quod vero similius credamus, Divisionem Illyrici per actam fuisse CCCXCV. supremo Theodosii Senioris arbitrio: qui eo Anno moriens, & Provincias inter Honorium & Arcadium dividens, Illyricum Orientale Arcadio, occidentale Honorio commisit. Valentinianus III. tandem ducta uxore Eudoxia Theodosii II. Filia Illyricum occidentale, quod aegrè à barbarorum insultibus tuebatur, in Socerum suum transcripsit Anno 437. exceptis solum à Donatione Norico, Dalmatia & Valeria finitimis Italiae Provinciis, uti Donationis hujus Jornandes meminit. *Valentinianus data pro munere Socero suo tota Illyria, celebratis nuptiis ad Regna sua cum uxore recessit.* Sed secuto paulo post Syrmii excidiò, quod Anno CD.XLII. Longa obsidione cinxerat, Attila spretáque ad se Missa à Theodosio, uti docet *Priscus in excerptis*, Legatione, Vastavit: accidit *Apennium* Praefectum Praetorio Illyrici, sive is Vicarius fuerit, è Sirmio Thessalonicam profugisse, eóque & Praefecturae Dignitatem migrasse. Prouti observat Novella XI. Justinianus, *Postea autem* inquiens *Attilanis temporibus, eisdem locis devastatis, Apennius Praefectus pratorio de Firmitana Civitate Thessalonicam profugus venerat. Tunc & ipsam Praefecturam, & Sacerdotalis honos secutus est; & Thessalonicensis Eppus, non sua authoritate, sed sub umbra praefectura, meruit aliquam praerogativam.*

Plura de Sirmio & memoranda referre omitto, cum ad Civilem pertineant, Historiam, in qua, & Nos de illa veteri Civitate fusius. Rem quam tractamus, quod attinet, celeberimam in Urbe hac amplissima, fuisse Episcopalem sedem, indubium est, quae creditur, cum Catholicae Religionis Initiis, Sirmii posita. Quoniam *Eutherius* Sirmiensis Eppus, Sardicensi Concilio Legitur subscripsisse. In Aquilejensi Item *Amenius* Eppus Sirmiensis dixit: *Caput Illyrici non nisi Civitas est Sirmiensis. Ego igitur Eppus Civitatis illius sum: eum qui non confitetur Filium DEI aeternum, & coaeternum Patri, quod est sempiternum, Anathema dico.* S. Quoque *Irenaus* in hac Sede floruit, & Martyrio coronatus est, aliique plures.

Nobilitant quoque hanc pervetustam sedem, Primò tot SS. Martyrum sanguis, qui ibidem pro Xtò variis Cruciatibus affecti sunt, quorum numerum collegit Rssmus Sirmiensis Eppus Ladislaus Szörényi Libro *Vindiciae Sirmienses* inscripto, & frequens eorundem est memoria, in fastis BARONII, Galesinii, Adonis, aliisque Martyrologiis. 2dò Celebrata in ea Concilia, potissimum contra *Photinum* Syrmii Episcopum, qui Pauli Samosateni Virus, à Marcello Ancyrae Episcopo, Provinciae Gallatiae Metropoli hauserat. Et primo in Mediolanensi Concilio coram Romanae Ecclesiae Legatis celebrato, Damnatur haereseos Photinus. Valens & Ursacius Pannoniae & Moesiae Episcopi, Arianae factionis signiferi (antea in Synodo Sardicensi, ad discutiendam Athanasii & Marcelli, ac aliquot Episcoporum causam jussu Principum Congregato, à Communione Ecclesiae Catholicae abscissi) ab hac Mediolanensi Synodo pacem & veniam exorant. Biennio Elapso altera iterum Synodus ad pellandum Episcopatu *Photinum*, non Sirmii ut quidam existimant, sed Romae est habita, in qua damnatus Photinus est iterum, & Decretum ab occidentalibus *sicut mos poscebat* ad Orientales mittitur, *non injuria extorquendi*, inquit Hilarius, sed *instruenda Universorum Scientia consvetudine*, Libellus autem Valentis, & Ursacii oblatus JULIO Papae, non statim ad orientem delatus est, sed biennio postea uti testatur Hilarius. *Superioribus* inquiens *literis* Julio oblatis *Venia indulgetur, Orantibus reditus ad Catholicam fidem cum Communione donatur, maximè cum Sardicensis Synodi veritatem ipsa Orantium veniam litera continerent. Verum inter hac Sirmium convenitur.* Scilicet post Romanam Synodum. Quid autem Sirmii gestum fuerit docet Hilarius, Photinum nempe olim reum pronunciatum, & à communione unionis abscissum, ne tum quidem per factionem Populi Episcopatu amoveri potuisse, quamvis ut Vigilius loquitur ex toto Oriente fuerint Congregati Sirmii Episcopi.

Petes. An in hoc tam frequenti Concilio, casus OSII Cordubensis Eppi acciderit? Respondeo. Minimè, sed postea in altera Epporum Illyricianae Dioeceseos, & aliorum qui aderant in Comitatu Principis, Synodo Sirmiensi. Hoc mihi svadet 1ò exordium formulae. *Quoniam de fide Deliberationem aliquam fieri placuit, diligenter omnia tractata sunt & inquisita*

quisita Syrmii, præsentibus Valente & Ursacio ac Geminio, ac cæteris. Valens erat Mursæ in Mœsia Episcopus, Ursacius Singiduni in Pannonia, Geminius Sirmii. Civitatibus Illyricianæ Dœcesis. *2dò.* Magni Hilary testimonium in Lib. de Synod. ubi recitata Fidei formula edita in Synodo Sirmiensi, coacta contra Photinum, recenset alteram formulam Blasphemiæ apud Sirmium per OSIUM & Potamium conscriptæ, de qua disertè ait: *Eam non olim tunc cum Photinus Episcopatu dejectus est, Conscriptam esse.*

Petes 2do Quibus Annis supra insinuata Concilia celebrata? Respondeo. Ex Synodorum frequentia quæ Annis illis celebrabantur, tantam inter Eruditissimos clarissimósque Viros esse Controversiam, non solum de Conciliorum sive Synodorum Numero, sed & de Annis, ad quos referri debeant. Et licet Eruditissimæ sint hæ quæstiones, Nos eas Prætermitimus, ad Petavium, Sirmondum aliosque Lectorem relegando, solum retulisse contenti, quæ Nobis de his viderentur, arbitramur itaque Anno 346. Synodum cujus Liberius meminit Mediolanensem fuisse celebratam, dein.

347. Aut 348. Synodus Mediolanensis conflata ex Episcopis Catholicis, in qua damnatur Photinus, & Valens cum Ursacio in Communionem recipiuntur.

349. Synodus Romana sub Julio in qua Valens & Ursacius Communionem Athanasii amplectuntur, & de Photini expulsione tractatur.

351. Synodus Sirmiensis Plenaria, ubi Photinus ab Orientalibus condemnatur, cujus meminit Hilarius in Fragmentis.

355. Synodus Mediolanensis Arianorum, in qua Photinus, Marcellus & Athanasius damnantur.

357. Synodus Sirmiensis Illyricianæ Diœceseos, in qua Osius subscribit formulæ ab Ursacio, & Valente prolatæ.

Nobilitat tertio Sirmiensem Veterem sedem, quod Metropolitana fuerit uti passim gravissimi testantur Authores. Sed quando? aut à quo ad hoc fastigium elevata, confiteor non comperi. Ladislaus Szörenyi sub Constantino Magno jus Metropolitani consecutam dicit At Quæres *1mò.* Quos hæc Metropolitana, uti dicimus habuit Suffraganeos. Respondeo nec hoc certo constare. *Ladislaus Szörenyi* in suis Vindiciis Sirmiensibus hos recenset: *Singidunensem (nunc Samandriensem, Hungaris Vég-Szendrő) Petoviensem, Siscianensem, Cibalensem (valpo) Mursensem (Eszek) Dacia nunc Transylvaniensem Stridonensem præterea.* Lazius verò Pagi mihi 145. Plures refert, nempe Panoniæ Inferioris V. Diœceses Episcopales.

Mursiana cujus Valens in Tripartita Historia Episcopus celebratur. Singidonensis Ursatius *Cibalensis* Donatus sub Decio traditur. *Carpensis*, SECUNDUS eodem tempore. *Curtensis*, Crescens ibidem.

Pannoniæ Superioris vel Primæ tres Episcopi.

Sabariensis. Sacarbantinus, ubi Sedit Quirinus sub Philippo. *Vindobonensis*, Mamertinus sub Justiniano.

Pannoniæ Saviæ tres.

Æmonensis. Istriæ proximus locus ubi Maximus in Aquilejensi Synodo celebratur. *Novidunensis. Siscianas Marcus* in Sardicensi & *Castus* in Decretis DECII.

Valeriæ duæ Diœceses.

Petoviensis, Valens in Aquilejensi Synodo numeratur. *Celejana*, Tenax in Aquil. memoratur.

Norici utriusque quatuor Diœceses.

Laureacensis, is postea Metropolitanum jus est consecutus à Symmacho Papa (a) In qua Sede reperio Maximilianum sub Diocletiano, sub Justiniano Constantinum: Fuitque primus Archi-Eppus Theodorus, & ultimus Piligrinus sub Othone secundo.

Ovilabensis, haud procul à Laureaco, claruit Moderatus sub Justiniano.

Juvaviensis, Maximus eodem tempore floruit. Hæc Metropolitanum jus est consecuta sub Othone secundo, quod adhuc hodie retinet Salzeburgensis Ecclesia: hoc est Vetus Juvavia.

Solvensis, in Mediterraneis, ubi hodie Carinthia sita est, claruit ibidem S. Modestus, sub Pipino Rege Francorum.

Vindeliciæ Item Quinque Sedes.

Patavinensis, ubi S. Valentinus sub Zenone sedit, huic Laureacensis ditio est conjuncta sub Henrico Sancto, manetque hodie ad confluentes Oeni, & Danubii. *Quintaniensis*, Sylvinus sub Justiniano floruit. *Tiberiensis* S. Paulinus eodem tempore ibidem claruit. *Augustana*, infra Monacum, S. Fortunatus sedit. Civitatis Novæ; hæc Ratisponam ut locum proximum, à Beato Bonifacio sub Pipino translata fuit.

(a) verosimilius BENEDICTO I.

Hæc

Hæc ex quo descripsimus Lazius, præfatos Episcopos omnes, à Syrmiensi Metropolitano dependisse scribens. Sed an verè? non disputamus. De his perantiquis Ecclesiis, ex instituto non scribentes. Vel ipsam *Laureacensem* Ecclesiam, si non ex Apostolicis, profectò ex Antiquissimis esse, ex Epistolis Romanorum Pontificum *Symmachi*, Benedicti, Eugenii cognoscimus, ut ab Eruditis jure disputetur: *Sirmiensis*: an *Laureacensis* Metropolitano jure, Anterior. Utraque in Pannoniis fuit. Utraque Metropolis esse potuit. Et hac ratione peroptimè coalituras credimus Authorum sententias, credentes, fors ideo etiam, *Hungariam* postea duos, assumpsisse Metropolitanos, *Strigoniensem* nempe & *Colocensem* quod olim in Pannoniis duos habuerit: uti ex BENEDICTI I. apud *Lazium*, videre est Literis: ubi Antiquis temporibus, septem fuisse dicuntur Eppi. *Suique Archi-Episcopi* nec dicit, *suisque Archi-Episcopus*. At si subscribendum opinioni nostræ, non censeas Lector. Pace nostra, pro *Sirmiensi* vel *Laureacensi* faveas. Quocunque autem tempore, *Sirmiensis* in Metropolitanam elevata est. Nobis videtur credibilius Eppos Prætorii Illyrici Occidentalis, Sirmiensis Metropolitæ fuisse Suffraganeos. Sed qui nominatim illi fuerint? ab tantam in Illyrico mutationem definire nil valemus.

Quæres 2do. Quando Metropolitani jure, Sirmiensis orbata Ecclesia? Respondeo: Anno 442, quo ab Attila vastatum eversumque Sirmium, uti Justiniani Novella XI. superius relata testatur.

Quæres 3tiò. Num hæc Sedes, Thessalonicam translata sit? ita: ut hinc Thessalonicensis, in locum Sirmiensis Metropolitana effecta sit? ℞. Gravem hanc esse apud eruditos quæstionem, ac Licet ex Justiniani Novella XI. superius relata, hoc erui posse putetur, Existimo tamen, per Sirmiensis Sedis destructionem, Thessalonicensis Sedis Dignitatem, auctam quodamodo ad majus fuisse fastigium, non vero tunc, primò consecutam. Quoniam Thessalonicensem Sedem, unam ex Apostolicis fuisse, id est ex Ecclesiis illis, quas Apostoli Fide Christiana imbuerunt. Ex Actorum Cap. 17. item 1. ad Thessal. 1. colligitur, hinc Tertullianus Lib de Præscrip. cap. 20. 26. enumerans Ecclesias Apostolicas, à quibus cœteras dixerat traducem fidei, & Semina Doctrinæ mutuatas esse, inter has ponit *Thessalonicensem*, cùm paulò ante dixisset, apud ipsas suis locis adhuc Præsidere Cathedras Apostolorum. Ex hac Matricis dignitate profectum est, ut cum in Concilio Nicæno adesset *Alexander* Episcopus Thessalonicensis, cogitarentque Patres de mittendis per universum Orbem definitionibus, Sanctæ & Magnæ Synodi. Sicut Ecclesias Affricanas ab Episcopo Carthaginis, qui totius Affricæ Metropolitanus erat informari voluerunt, ita *Macedonibus*, *Græcis*, *Schytis*, *Illyriis*, *Thessalis*, & *Achais* insinuari curarunt per Alexandrum Thessalonicensem, ut testatur *Gelasius Cyzicenus*.

Scio *Gelasii* apud eruditos, non magnum esse testimonium, utpote sæpius à vero aberrantis. Sed Concilii *Sardicensis* Patres 347. celebrati, hanc cap 20. in Thessalonicensi Dignitatem agnoverunt. Prouti & *Theodoretus*, qui Thessalonicam Caput Macedoniæ appellat, aliique plures. Quare cum Clarissimo Joanne Morino Novellam Justiniani non ita accipiendam Credo, quasi desolatâ Sirmiensi Sede, tunc Thessalonicam honor Metropolitanus translatus fuisset, cùm *Leo* Papa, qui temporibus Attilæ vixit, testetur in Epistola ad *Anastasium* Thessalonicensem, Primatus Dignitatem Thessalonicensibus Episcopis, ab olim delatam fuisse. Verum amplificatam duntaxat Urbis Thessalonicensis, & Ecclesiæ fuisse Dignitatem post excidium Sirmij, quod nempe destructa hac Sede per Attilam, Thessalonicensis Eppus & Illyrici Occidentalis curam habuerit, habitusque pro Metropolita, donec Successivis temporibus, aliter à Sede Apostolica provisum fuisset.

Quæres 4to. Num per Attilam ita hæc Sedes destructa sit, ut amplius non surrexerit? ℞. Ad Dignitatem illam, jusque Metropolitani, nunquam amplius pervenisse Legitur. Attamen nutantibus in Illyrico postea rebus, variisque secutis jurisdictionibus (de quibus hic loci nihil) tandem cum Sirmium ad Regnum pervenisset Hungariæ, Ducatus Insignitum titulo, Apostolicus Regni Hungariæ Proto-Rex S. Stephanus Episcopatum Sirmiensem fundavit potius ac restituit. De quo ut fieri solet, controvertitur etiam. Sed ab hac præscindimus Controversia, *Sirmiensis* Eppatus Historiam non scribentes. *Stephanus* vel alter quispiam hunc fundaverit Eppatum: parum est, eum tamen in Hungaria floruisse certum, de quo plura, in Libro *Vindiciæ Sirmienses* sæpefati Episcopi Ladislai Szorenyi.

Hactenus de Sirmiensi veteri Eppatu. Nunc de aliis qui olim in hodierna Sclavonia, rectius in hodierno Eppatu Zagrabiensi, fuerunt.

Valeriam veterem, si non totam adminus partem ejusdem in Zagrabiensi Episcopatu esse indubium. In veteri autem Valeria, *Petoviensem*, & *Cellejensem* Episcopatus Legimus. Cellejensis Eppus *Tenax* Ann. 233. fuisse legitur. Item JOANNES Anno 579. in Synodo

do Gradensi, & idem in Maranensi Anno 590. Schismaticus. Et cum *Paulus Diaconus* apud Lazium Cellejam Slavorum Regionem appellet. *Hi sue tempore Slavorum Regionem quæ Zelia appellatur usque ad locum qui Mederia dicitur, possederunt.* Et ad hanc spectasse, in parte saltem, hodiernus Comitatus Crisiensis, atque Zagoriensis cùm ab eodem Lazio scribatur, consequens est, ex hoc quoque pervetusto Episcopatu, Zagrabiensem hodiernum constare, cum Zagoria, sit in Diœcesi Zagrabiensi.

PETOVII quoque Episcopatum olim fuisse constat; sub finem III. Sæculi VICTORINUS in Divinis scripturis doctissimus, floruit, cujus *Opera grandia sensibus* Hieronymi judicio, *sed viliora compositione verborum, quod non æquè Latinè, ut Græcè noverat.* Martyrio coronatus IV. Nonas Novemb. CCCIII. quem Baronius aliique Eppum *Pictaviensem* vocis similitudine abducti appellavêre. MARCUS: cui superpositus fuerat Julianus Valens, Arrianus, de quo ita PP. Aquilejenses Anno 381. ad Imperatores perscripsêre: *Sancto Viro Marco admirabilis memoriæ Sacerdoti superpositus fuerat, sed deformiter ejectus à Plebe, prodidisse Urbem creditus est: Ausus enim torquem (ut asseritur) & Brachiales impietate Gothica profanatos, more indutus Gentilium, in conspectum Exercitus prodire Romani. Eámque ob rem Aquilejam evocatus ad Sacerdotale Concilium ut eversæ Patriæ, perditorúmque Civium causas Sacerdotibus præstaret. Sed is judicium declinavit, post eversionem Patriæ Mediolani delituit, consimiles sibi associans, & Seminarium quærens suæ impietatis atque perfidiæ.* Anno 559. *Bergullus seu Virgilius* Petovione Episcopus, in Gradensi Synodo Legitur subscripsisse. Sed multis jam sæculis, utraque hæc Sedes, esse desiit. Stephanus Zagrabiensis Comes Petovium pro Hungariæ Regibus occupaverat & Regum nomine tenuit, cui & Bela IV. in subsidium contra Ottocarum Bohæmiæ Regem veniens, & Petovium obsidione premens, favit plurimùm. Spiritualem quoque Episcopi Zagrabiensis Jurisdictionem eo extensam volens, sed Deterritus fulmine Pontificis Bela, Urbem Salisburgensi Præsuli regendam reliquit uti Ritterus ex Joann. Archi-Diacono testaretur.

Stridonensis etiam Eppi, Quidam Authorum meminêre voluntque in Nicæna Synodo *Domnum* Stridonensem subscripsisse Eppum, huncve Laureacensis Metropolitæ Suffraganeum fuisse. Sed *Stridone* Episcopatum desiisse antea, vel ex iis eruitur, quæ ipsi sententiæ Patroni commemorant. Equidem *Stridon* à Gothis eversum narrant A. C. 383, & adeo quidem eversum, ut *post Barbarorum incursiones, nec humana ibidem manserit Creatura, nec Animal ex his quæ hominibus amicari, vel convivere consueverunt* quæ Verba, esse Hieronymi c. 8. in explicat. Oseæ dicunt. Jam si 383. adeo desolatum fuit Stridon, quis credat Episcopum remansisse, qui Laureacensis esse Suffraganeus potuisset? Quoniam sub Leone I. Papa, Attilam eversorem fuisse Urbium constat, & per hunc destructum Sirmium, 442, Dein si sub Symmacho Papa post Annum nempe 495. Laureacensis Ecclesia in Metropolitanam evecta est ut volunt quidam. Stridonensis Eppus, à Metropolita Laureacensi dependere non potuit. Hinc prudenter benéque inter Suffraganeos Laureacensis, apud Hanficzium Stridonensis Eppi nomen reticetur, Cœterúm ubi &, in quo loco Sedes hæc Episcopalis *Stidonensis* collocanda? tantum tamque magnum est dubium, ut nil valeat definiri. Certant intra se Authores gravissimi. Si tamen Verum est, uno Eodemque tempore Petovii & Stridone fuisse Episcopos, difficile est creditu, Stridonem illam, quæ hodie in Insula Murakősz Stridon appellatur, Sedem Episcopalem fuisse, ob magnam quæ est, intra Petovium & Stridon Viciniam; neque vel ominari possemus, qui tam Vicinarum *Celejensis*, *Petoviensis*, & *Stridonensis* Ecclesiarum fuissent Limites. Hinc illis, quibus in hac Stridone, Episcopalem Sedem Stridonensem defendere placet, rectius puto asserendum erit, si dixerint: tempore Concilii I. Nicæni fuisse Stridonensem Eppum, dein Gothorum immanitate eversum, Petoviū vel alio Sedem ejus translatam fuisse, ac dein à Loco Petoviensem aut aliter nominatum. Hoc tueri poterunt, & ex loci vicinitate, & jure quod Hungari in Petovium prætendunt; ac tandem anterioritate subscriptionum Episcopalium. Si quis vero postulaverit? Eccur Episcopatus hujus, Hieronymus non meminit? quod tamen si vel majorum relatione accepisset Sedem ibi Episcopalem fuisse, haud neglexisset, sed cum reliquis Stridone ruinis deplorâsset, ut ipsi volunt respondeant. Mihi certum, videretur Satius, ab illis qui in hac Stridone Insulæ Murakősz, Patriam, Nataleque solum D. Hieronymi fuisse, contendunt, ab constituendo in hac Stridone Episcopatu Stridonensi præscindendum, Equidem silentio Hieronymi, magis suas roborabunt conjecturas. Secus solidi quid respondeant nescio, si diceretur, Stridon sedes fuit Episcopalis, idcirco & Civitas, ac celebrior quidem locus. Quod tamen nec Hieronymus, nec ullus veterum scripsit. Episcopalis autem Civitatis mentionem fecissent.

Cùm

Cùm igitur in hac Insulæ Murakôsz Stridone, (quidquid sit de Patria D. Hieronymi) Episcopâtum illum Stridonensem nunquam fuisse putemus, ubi fuerit? postulamur. Nec respondere possumus. Cum loca plura, sub hoc venisse nomine, constet. Sunt, qui volunt Stridonensem hunc Episcopatum trans *Vunam* fuisse fluvium in MSS Equitis Pauli Ritter, ab Urbe Veteri Siscia, octo horarum itinere circiter dissitum, qui locus Turcico hodie paret Imperio, nec multum, à *Dobrolino* dissitus, quamvis eversus ita: ut sicut de Sirmii Veteris Loco, constare non possit sintque diversæ Conjecturæ, ita & de Stridone hac Veteri. Dicítque pervetusto huic loco ab Oriente fuisse Episcopum *Delmitanum* unde Dalmatia dictâ est. Ab Occidente vero Siscianum, ubi B. *Quirinus* Martyr quondam exstitit. Et hac ratione, putat peroptime Hieronymi Coherere Sententiam, *Natus ex Oppido Stridonis, quod à Gothis eversum Dalmatia quondam Pannoniæque confinium fuit.* Cùm enim Veterum Scriptorum fide, notissimum foret, Pannoniam Saviam nuncupatam fuisse tractum in quo est Siscia. Dalmatiam trans Colapim fuisse oportet, & *Stridon* (Episcopalis Sedes) in Pannonia Savia collocetur uti ex *Carolo à S. Paulo* inferius cognosces. *Stridon* Insulæ Murakôsz Episcopalis Sedes esse non potuit. At Variantibus de Dalmatia, Pannonia, Authoribus, neque nobis ex instituto de his Scribentibus, missa facimus, retulisse contenti.

Alter Locus Stridon dictus est da quo fusè P. Josephus Bedekovich: in Insula Murakôsz. Qui antiquitus & Primis Sæculis, an hoc Venerit nomine, multum ambigo cum nullibi apud Veteres vel memoria illius exstet.

Tertius in Liburnia locus *Sidrona* olim à Ptolomæo L. 2. Cap. 17. dictus. hodie Stridon ponitur. Cui Marcus Marulus assentiri videtur, imo & Lucius. Alii non procul ab Arce Klissa Stridonem collocant. Ut in tanta Varietate nil certo possit stabiliri.

Mursensis quoque ab Oppido *Murså* cum ad Dravum ponatur, & *Essekinum* pro *Mursa* habeatur, in parte saltem, ad hodiernum credimus Zagrabiensem spectat Episcopatum. VALENS sub Constantio legitur fuisse Episcopus. Et ipse ex Arii signiferis. DONATUS sub Decio passus: Et EUSEBIUS sub Diocletiano Martyr, cujus memoria 28. Aprilis haberetur, *Cibalenses* Leguntur Eppi. Qui locus cum intra Mursam & Sirmium constituatur facilè in hodie *Possegano* fuerit Comitatu. *Curtensis. Noviodunensis. Carpensis. Singidonensis* in hodierna fuerint Sclavonia, hinc in parte saltem; Episcopatu Zagrabiensi. Si verum est, ut Carolus à S. Paulo in Geograph. Sacra scribit: *In Pannonia inferiore Sirmium, Mursam, Curtam, Noviodunum, in Savia Carpium, Cibalim, Stridonem, Sisciam, Singidonum. In Pannonia Superiore Sabariam* &c. extitisse. Quod & Lazio visum.

Sed tam his, quam & Prioribus Episcopatibus, admodum nutantibus ob mutationem Civilis Politicæ jurisdictionis illis Sæculis frequentem, prouti & Gentium diversarum commigrationem, non minus & in Religionis negotio variationem, cùm multi Eppi Arriani fuisse Legantur, aliis quoque infecti erroribus ut Catholica fides, si non extincta, certum in his partibus exigua fuisse, judicari debeat Attestantibus istud, Romanorum Pontificum Viris, diversisque eorundem scriptis, quæ ex historia Romanorum Pontificum eruuntur. Uti Agapiti summi Pontificis apud Lazium circa Annum 535. Ubi in Privilegio de Metropolitano jure Juvaviensium Episcoporum *Constat quidem quod Canonicè singulis Provinciis, singuli ordinantur Metropolitani, proinde distribuere atque determinare ita Vobis Parochias bonum & Pacificum æstimamus, ut divisis duabus Noricæ Regionis Provinciis, Heraldo Archi-Episcopo Juvaviensi occidentalis Pannoniæ Cura commitatur, & custodia: Tibi autem & successoribus tuis. - - - providentiam Orientalis Pannoniæ, Regionemque Avarorum atque Maraborum, sed & Slavorum qui modo Christiani sunt, atque circa manentium credimus.* Ubi observa: *Atque Slavorum qui modo Christiani sunt.* Item Benedicti I. Romani Pontificis Literis, redarguentis Juvaviensem, quod Laureacensis Metropolitæ Diœcesim occupâsset, apud eundem Lazium. *Ad fructificandas DEO gentes ex Novitiis cultoribus Fidei Hungarorum atque Moravorum sive etiam aliis multis Slavorum sua Parochia finitimis illic ordinatis Episcopis, secundum quod Antiquitus dispositi erant, eis hunc Constitueremus Archi-Episcopum.* Et Laureacensem Ecclesiam à subjectione Salczburgensis absolvens, & ad honorem Metropolitanum sublimans, ac terminos Agapiti renovans subdit: *Sancta autem Laureacensis Ecclesia, in Inferioris Pannoniæ atque Mœsiæ regiones, quarum Provinciæ sunt Avaria, atque* Maravia *in quibus septem Parochiæ Episcoporum Antiquis temporibus continebantur suique Archi-Episcopi, &c* Ex quibus manifestum evadit, Veteres illos, primorum sæculorum Episcopatus, injuriis illorum temporum; extinctos fuisse & fors non nisi Petoviensem Eo tum viguisse cum hujus memoria reperiatur sub Joanne etiam IX. Romano Pontifice.

JOANNES Salonitanus Pontifex, qui apud Lucium Pag mihi 320. partes Dalmatiæ & Croatiæ peragrando, scribitur Catholicam hic restituisse fidem, an ad has etiam pervenerit partes? definire non audeo. Licèt eodem loco hæc scribat de Joanne Lucius, *Per Dalmatia & Sclavonia Regiones Circumeundo restaurabat Ecclesias, ordinabat Episcopos, Parochias disponebat, & paulatim rudes populos ad informationem Catholicam attrahebat.* Credo tamen Magnum hunc Virum, has etiam illumināsse partes.

Quamvis teste Thoma Archi-Diacono apud eundem Lucium; Croatarum Reges suum habuerint Episcopum, Croatensem appellatum; cujus Gregorius Chroatensis interfuisse scribitur Salonitanæ Synodo apud Thomam Archi-Diaconum temporibus S. Gregorii VII. Et Sedes Ejus in Campo, in Ecclesia B. V. Mariæ juxta Castrum Tinniense. Qui multas obtinuit Parochias & sua Jurisdictio usque ad Dravum fluvium extendebatur, ut superius relatum. Hic Archi-Episcopi Jure, quod sublimatus fuerit, ex Archi-Diacono videtur quibusdam. Etenim Regalis vocatur Episcopus, Regisque curiam sequens. Sed idem Archi-Diaconus postquam dixisset: *Et sua jurisdictio usque ad Dravum fluvium extendebatur* Mox. subjicit: *Ecclesia nempe Metropolis has sibi voluit Parochias retinere. Comitatum Cetina, Clevna, Clissa Massarum, Almisium, & Corbaviam & ultra Alpes ferreas, usque ad Confinia Zagrabia, totamque Maroniam.* Nomine autem Parochiarum Episcopos venisse antiquitus certum est, & Corbaviensis, ac Almisiensis Sedis Episcopos fuisse, ex titulis qui hodiedum conferuntur constat. Quare si Archi-Eppus fuit an jure Metropolitano gavisus fuerit legitime, definire nequeo, Et si ita: Gregorii VII. primum authoritate; quia Thomas Archi-Diaconus Cap. 16. inter Salonitanæ Metropolis Suffraganeos, etiam Chroatensem numerat. Credibilius tamen est. Metropolitanum non fuisse.

CAPUT V.

Num ex Præmissis Episcopatibus, Zagrabiam translatus aliquis.

SISCIENSEM unicum, Zagrabiam à S. Ladislao translatum fuisse, plures scribunt ex recentioribus. Imo Valvasorius apud Bombardi è Labacensi Archivio se eruisse profitetur, Sisciensem Episcopatum, in Zagrabiensem Ecclesiam translatum fuisse, nihil præter nudam assertionem in medium proferens. LAZIUS quoque Pagina mihi 1185. de Siscia veteri agens *fuisse* inquit *Et Episcopalem inibi Sedem, qua multis postea saculis à Stephano sive Geisa Hungaria Rege locum proximum Sagrabiam, hoc est Sogram Ptolomai translata fuit.* Pluresque alii, ut horum Authoritate usus sit, Comes Emericus Eszterhazius Eppus Zagrabiensis 1715. volens ob vetustatem Ecclesiæ Zagrabiensis, constanter Episcopis Zagrabiensibus post Archi-Eppos, in Generalibus Commitiis, sive Diœtis locum sive Sessionem deberi, quod tamen non obtinuit, cum ordine Senii Consecrationis, soleant Episcopi considere.

At tantorum Virorum pace, incredibile videtur, Sisciensem Sedem ad Ladislai usque tempora perseverāsse. Profectò si à Sisciæ casu, sive à Gothis, sive Attila causato, Sedes hæc Sisciensis restituta fuisset, Sedis hujus Episcopalis Mentionem aliquam posteriores fecissent Scriptores, adminus Thomas Archi-Diaconus vel ex auditu hujus Sedis meminisset. Cum igitur tantum tamque Constans sit de hac Sede à Sæculo V. apud Scriptores silentium, eam à Ladislao, Zagrabiam transferri nequivisse, credibilius. Partes omnino illæ, quæ condam sub Sisciensis Episcopi cura fuerunt, Zagrabiensi postea obtigisse, ipsa svadet vicinia; cum novem aut 10. horarum spatio *Siscium, Zagrabiâ* distet, sitque hodie sub Spirituali Eppi Zagrabiensis jurisdictione. Translationi huic opinandæ & asserendæ, occasionem præbuit facile, quod Siscium Capituli Zagrabiensis sit Dominium, in quo unus semper ex Canonicis morari consvevit. Præterea Thomæ Archi-Diaconi sententia qui Cap. 13. ita *Postquam autem per prædicationem prædicti Joannis & aliorum Præsulum Salonitanorum Duces Gothorum, & Croat. ab Ariana hæreseos fuerant Contagione purgati, præter Episcopos Dalmatia, in Sclavonia fuerunt aliqua Statuta Episcopales Ecclesia, videlicet ab Oriente fuit Episcopus Delmitanus, unde Dalmatia dicta est, ab Occidente fuit Episcopus Siscitanus, ubi B. Quirinus Martyr, condam extitit Præsul.* Quo ex loco Colligere est, veterem illum Sisciensem Episcopatum restitutum fuisse. Sed quidquid sit, tametsi à Croatiæ Ducibus, restitutus fuisset, adhuc tamen, etiam ita restitutum ad Ladislai tempora perseverāsse erui non potest. Quin Caput 15. Ejusdem Archi-Diaconi, dubitare facit an Siscitana fuerit restituta Sedes, cum eodem Capite Croatorum Reges, proprium habuisse, Croatensem nempe Episcopum de quo supra, reperiantur.

Sisciô ergo Zagrabiam sedes Episcopalis translata strictè non est, minus vero, quæcunque alia, qnod nec Authorum scripsit quispiam. Quamvis credam amplissimam hodier-

nam

nam Zagrabiensem Ecclesiam, ex multis superiori Capite relatis, aut saltem ex earundem partibus, constare. Enim vero, si ad *Cellejensem* olim Eppum, Comitatus Zagoriæ pertinebat, parsque Comitatus Crisiensis ; cum hi Comitatus hodie in Diœcesi sint Zagrabiensi consequens est, ex Cellejensi eundem constare. Quia vero *Cellejensis* tractus, superior olim Sclavonia diceretur, hinc est, quod hodiedum jus sacræ Coronæ ibidem prætendatur. De Veteri Petoviensi Episcopatu, an sit aliquid, in hodierno Zagrabiensi, decidere durum est, præcipue si Stridonensis Episcopatus in Insula Murakösz constituatur. Hoc autem verosimilius ibi nunquam existente, Partes Varasdinenses ab Eodem Petoviensi additas Zagrabiensi fuisse ipsa svadet Vicinia, prouti & relatum superius Bellæ IV. bellum. Quô Petovium sacræ Coronæ, & Zagrabiensis Eppi Jurisdictioni, addicere voluit, quam etiam Jurisdictionem Stephanus Episcopus Zagrabiensis exercuit, quousque Stephanus Comes Petovium tenuit.

Croatensis autem Posterioris Eppi Jurisdictio, Zagrabiam translata quoad majorem sui partem, rectius dici posset, cum illius Jurisdictio ad Dravæ fluvium extensa fuerit. Et cum idem ut superius observavimus, Regalis fuerit Episcopus, Regiámque sequens Curiam, pro Metropolita & Primate, adminus est habitus. Etiamnum etiam Zagrabiensis Ecclesiæ Præsul, à suis Primatis Croatiæ nomine decoratur, haud aliunde, quam quod olim Croatensi Eppo credunt convenisse, in isto tanquam Croatiæ Episcopo Venerentur, hinc si translatus Zagrabiam, dici potest, Veterum Episcopatuum aliquis, de Croatensi, hoc: dici posset. Cœterum actum fuit sæpius, de atribuendo Primatis Croatiæ titulo, Episcopo Zagrabiensi, sed alia ex aliis impediverunt, uti dicetur Inferius.

Sed cum hodie, & à Primordiis Episcopatus Zagrabiensis, Jurisdictio sese ultra Dravæ fluvium, quin & trans Muram extendat, cujuscunque antiquitus Eppi partes illæ fuerint, ex eodem etiam Zagrabiensis hodierna Ecclesia Coadunata est.

CAPUT VI.

De amplitudine Episcopatus Zagrabiensis.

QUæ à Principio statim, fuerit hujus Episcopatus amplitudo, non obtenti, ullis illorum temporum Literis, statuere nil possumus. Imò cum dubium sit an S. Ladislaus fundationales ut vocamus Literas dederit, æque de Statutis per eum metalibus nihil possumus definire. Quantumvis ex supra recensito Cap. I. Andreæ II. Privilegio S. Ladislaum Regem limites posuisse, deducatur, *idcirco* (ita ibi) *alias etiam metas & Limites quibus Zagrabiensis Ecclesia commetata est. - - - à SSmò Rege Ladislao progenitore nostro duximus inserendas* &c. Interim credibile est S. Ladislaum Regem partes à se Noviter occupatas, Novo huic attribuisse Episcopo. Hinc cum teste Thoma Archi-Diacono Cap. 16. *Uladislaus Rex inductus Consiliis absque mora coadunato exercitu Copioso, venit & occupavit totam terram à Dravo fluvio usque ad Alpes quæ dicuntur ferreæ, nullo obice resistente. Post hæc transivit Alpes, & Cæpit impugnare Munitiones & Castra, multaque prælia committere cum Gentibus Croatiæ Sed cum alter alteri non ferret auxilium essentque divisi ab invicem, facilem Victoriam Rex potuit obtinere nec tamen ad Maritimas Regiones pervenit sed audien- quod quædam gens sui Regni fines intraverat, in Hungariam repedavit.* Dein mortem refert Ladislai, nec commemorat illius in Croatiam, vel Dalmatiam reditum, sed Colomanum Ladislai Successorem, Dalmaticam expeditionem suscepisse scribit, & obtinuisse *cæteram partem Sc'avoniæ, quæ à Vladislao fuerat prætermissa*, & ad mare pervenisse, ut Civitates maritimas occuparet.

Sed quæ illæ Alpes sunt ferreæ Thomas Archi-Diaconus non perscripsit. Plura apud nos loca, vel *Montes*, vel *Porta* veteribus dicebantnr *Ferrea*, uti Mons nunc Maczeil, Item *Klek, Zeleznicza* prout scribunt veteres, quin non procul à Kalnik, & prope Pagum Oszeg dictum, hodiedum *Porta* vocatur *Ferrea*, sed an & mons iste Alpes ferreæ dictus sit, non comperio. Si ita: cum Alpes ferreas transivisse scribatur Ladislaus, quousque tandem Vincendo attigerit, non constat, conjicere tamen est facile, eum Campestrem hanc Sclavoniam occupâsse, & Zagrabiensem indubiè agrum. Imo mortuo Ladislao, Colomanum à Croatiæ proceribus, Crisii exceptum fuisse Ritterus commemorat, ubi eis Privilegium illud contulit, quod Thomas Archi-Diaconus in fine exhibet, de Anno MCII. Samoborienſibus vero in MCVIII. datum à Colomano, Bela IV. testatur in eorum diplomate.

Non compertis idcirco Primis illis, D. Ladislai Limitibus, ex quibus Primæva Diœcesis hujus amplitudo describi posset. Andreas Rex ita eandem ex parte Una, Metatur. *Quoniam ultra Dravi fluvium limes seu terminus Quinque Ecclesiensis Ecclesiæ nondum fuerat stabilitus, cum Sanctus Rex Ladislaus primus transierat Dravæ fluvium, & partes sibi Sclavonicas Regno pri-*

primum occupavit adjecto, ubi & Sedem fundavit Episcopalem videlicet Zagrabiensem. Cujus Sedis Diœcesim à Sede Quinque Ecclesiensi super Lisnicze fluentum, quod alio nomine Valko vocatur, terminavit, & ab inde per Savum descendendo. Quidquid autem Szava concludit fluvius, ad jus Diœcesanum & justam Decimam Quinque Ecclesiensis Ecclesiæ commetatur, & ab illo fluento Lisznicze totam circumeundo Posegam, & ad Quinque Ecclesiensem Diœcesim regirando revertitur directè ad metam seu terminum super Dravam ex opposito fluvii Olma *dicto, qui de parte Septemtrionali in eundem Drava fluvium cadens, ab occasu Solis Quinque Ecclesiensem Ecclesiam, à Wesprimiensi Ecclesia metaliter dividit & sejungit.*

Sed neque his, aut de terminis, aut amplitudine Diœcesis Zagrabiensis constat, Proinde cum hactenus ad Metarum Limitumque notitiam per quodam scriptum reambulatorium Diœcesis Zagrabiensis, non pervenerimus, aliunde, ex Fide dignis tamen, & authenticis scriptis amplitudinem Diœcesis hujus, metiri nos oportet.

Amplissimam ab olim fuisse Diœcesim, certum est. Et ut Raphaël Levakovich ex Statutis Sacrarii se excerpsisse scribit, *Latitudo Diœcesis Zagrabiensis Milliaria Hung 150. longitudo eadem*, quare nec mirum, quod ut idem scribit: *Al tempo di Osvaldo Vescovo erano Parochie 440. oltra le occupate da Quinque Ecclesiense. Ungari, è Patriarchi. Statuta Sacrarii. 1574. tempore Drascovicii interfuère Synodo Parochi 206, ut Synodus & Scheda, Vacabant Parochiæ 74, Infirmabantur Parochi 28, remanserunt pro suarum & Vicinarum Parochiarum cura, Parochi 180. ex libro Fiscali. De Præsenti sunt Parochi 317, Vacant ob Defectum Sacerdotum 65, Turcæ occuparunt Parochias 34 Desolatæ sunt 46, Invaserunt Valachi 49. ex visitatione Archi-Diaconorum.* Ex quo Parochiarum numero, amplitudo Diœcesis hujus satis concipi potest: præcipue cum Parochiæ in Diœcesi hac, sint fuerintque amplissimæ.

Præterea ex Archi-Diaconorum numerò Diœcesis hujus amplitudo satis eruitur.

Fuerunt olim Archi-Diaconi numero XV. ex quibus MURACENSIS per Synodum ab Augustino Sancto, uti *Stat.* Cap. 58. conjunctus cum *Bexin* est. Causam conjunctionis non Legimus. Nisi quam Ritterus, nescimus unde? Commemorat. *Discordiis* inquit *passim volantibus, nec pacifico Clero, pax fuerat. Corbaviensis, Aquilejensis, Aliique Vicini Episcopi, suas extendi Jurisdictiones procurabant, præcipue Stiriæ ad Dravum. Ut Salisburgensis, Hic, Decretis* Caroli, *Pipini Impp.* Eugenii *Item &* Leonis III. *Pontif Rom. prout &* Ludovici *Imp. & Ejus Filii* Ludov. *Bojorum Regis per manus* Angelmari *XIV. Kal Decembr. Anno* D. CCC. XXIX. *jus Ecclesiæ suæ Salisbur. Dravo terminari probabat. Sed Stephanus Eppus Zagrabien. Pannoniæ veteris urgebat terminos*, Belam *Regem interpellans. Qui per Stephanum Comitem Zagrabiensem, Stiriam occupavit; & ex Pacis, cum Ottocarò Rege tenuit Articulis. Anno 1260. die S. Margaritha Sacro, Ottocaro iterum obtigit Stiria. Denuò lites inter Episcopos. Tandem sub Apostolica sedis Legato Cardinal. Gentili, lis non definita, sed hac lege sopita est: ut quoad prætore judice definiatur, nec Zagrabiensis illarum partium Archi-Diaconum*, Muracensem *vocatum, nec Salisburgensis in suis Ecclesiis habeant. Hinc synodaliter Augustinus, Parochias cis Dravanas, penes Stiriam Archi-Diacono Bexin commisit, trans Dravanis pro interim Stiriæ relictis, & ita Archi-Diaconum Muracensem cum Bexin conjunxit.* De his vide Lector uberius infra, ubi de *Archi-Diaconatu Muracensi* agitur, hoc Capite, & Cap. XII. ubi de *Philippo* Eppo Interim.

Sunt hodie Archi-Diaconi in Ecclesia hac Zagrabiensi N. XIV. videlicet: Archi-Diaconus *Gorensis*: *Zagoriensis*: Qui duo Archi-Diaconatus Præposito Majori Regia etiam authoritate Uniti sunt, ut is qui Præpositus Ecclesiæ Major, etiam horum duorum Archi-Diaconatuum, *Natus* quasi sit Archi-Diaconus. Prouti & Præposito minori dicto Chasmensi à Stephano II. Episcopo Zagrabiensi, Archi-Diaconatûs de SZINCZA & de GVESCHA ita Uniti sunt, ut Idem, horum duorum, semper sit Archi-Diaconus. Hos sequuntur.

Cathedralis sive Zagrabiensis.	*Goricensis* olim dictus de *Guerche*.
Dubicensis.	*Kemlek*.
Camarcensis qui tres Majores vocantur Archi-Diaconi, ob Officia quæ in Ecclesia Cathedrali perficiunt. Post hos minores ex Eadem ratione dicti: Nempe.	*Vaska*. *Csasmensis* *Bexin*. *Varasdinensis*. *Urbocz*.

Quorum Archi-Diaconorum Jurisdictionem fuisse Amplissimam pervetustus liber ab Anno 1334. duabus Cathenis in interiori Sacrariò acclavatus testatur. In quo descripta singularum Ecclesiarum sunt nomina, quæ ne in Longum excedat liber omitimus, referemus duntaxat ex Eodem, & alio tempore Draskovicii Episcopi Zagrabiensis authentico scripto, Ecclesiarum ad singulos Archi-Diaconatus Pertinentium numerum.

In illo ergo 1334. Libro Archi-Diaconanus de GORA sive Gorensis ad Præposituram spe-

spectantis, ponuntur Ecclesiæ: Primo S. Crucis de Szifzek id est Sisciæ *de cujus tamen Parochia, & aliis ibi nostris possessionibus* verba sunt Codicis illius, *nullam exigit quartam de Decimis, sed ipsæ Decimæ pro nobis totaliter exiguntur* dein aliæ Nominetenus Ecclesiæ, N. 39.

In alio autem Anni 1501. scripto, in quo & Parochorum & Parochiarum Nomina exprimuntur, ad Gorensem Archi-Diaconum Parochiæ N. 46. pertinuisse leguntur, inter quas: *Mathias* S. *Clementis de Gora exemptus est*, scribitur. Non autem Valentinus B. V. Mariæ de Gora.

Hodie Archi-Diaconus iste 14. Solum Parochias habet, quarum duas administrant PP. Franciscani. Reliquæ partim per Schismaticos, in Banalibus Confiniis, partim per Turcas uti S. Quirini de Dobrolin, ubi 1501. *Benedictus* Plebanus, possidentur. *Ambrosius* quoque S. *Petri de Nova Civitate* in eodem hoc scribitur, quæ Nova Civitas, ubi fuerit? Petes: Ex ruderibus, quæ infra *Hrasztoviczam* rapax *Petrina* fluvius (à nobis visis visitatisque, & à quovis facile videndis) ante Annos aliquot detexit, Mœnia Civitatis indicans, non procul à Pago *Taborische* dicto, hanc Novam S. Petri Civitatem fuisse credimus. Quæ utrum & Pagum Toborische, ubi pervetustum S. Petri templum est cernere, compræhenderit, non statuimus. Fuisse quoque Civitati huic, contiguum in Monte Castrum *Hrasztovicza* Rudera quæ visuntur, indubium faciunt. Cum adjecta, uti hinc pateret, Civitate: quod Mœnia ex parte supersint: & incolæ sese Cives vocitarent, & ab aliis, majorum traditione appellarentur. Ac demùm ex diversis Lapidum inscriptionibus. Imò Sacra suppellex, quam vidimus, in Cista una reperta est, *Parochia S Spiritus in Civitate Hrasztovicza.* At Anteriorem Civitatem *Hrasztovicza.* Arbitramur fuisse, hac altera, propter additum de *Nova Civitate* sed de his plura. In Civili Historia.

ZAGORIENSIS in Anteriori illo 1334. Parochias 17, Posteriori 15, hodie 20. obtinet

Archi-Diaconus de Szincze Parochias 24. de GVESCSA vero Parochias 29. inter quas scribuntur B. V. M. de Zdenczi inferiori, Item alia B. V M. de Zdenczi superiori & hoc de 1334. in Anno autem 1501. Insimul hi duo Archi-Diaconatus accipiuntur sub Inscriptione *Archi-Diaconatûs Præpositi Chasmensis* qui, quam tempore illo floruerint, ex genuina & totali descriptione facile quivis advertet igitur ita

Archi-Diaconatus Præpositi Chasmensis.

Gallus Plebanus in Cheterthekel.
Capellanos 2. habet.
Franciscus S. Margarethæ in Dobrakucsa.
Dominicus Pleban. de Inferiori Soploncza.
Stephanus Capellanus de Eadem.
Simon alter Capellanus de superiori Soploncza.
Dominicus Plebanus de superiori Soplon.
Demetrius Rector Capellæ de Subkow.
Fabianus Plebanus de Béla.
Cappellani ibidem Duo.
Stephanus Rector Capellæ S. Petri de Monte Vusashehz.
Michaël Plebanus B. V. de Zyrch.
habet 1. Capellanum.
Georgius Pleban. in Kravarina.
Jacobus S. Crucis in Bagjienovecz.
Capellan. ibidem
Thomas Pleban. de Peker Zerdahel.
Capell. ibidem.
Antonius Plebanus SS. Cosmæ & Damiani.
Michaël S. Petri in Petrovina.
Capell. ibidem.
Martinus Pleban. de Miholcz.
Georgius Pleban. de Bujawcs.
Capellani 2.

Gaspar S. Georgii in Abbatia.
Petrus S. Martini in Zynche.
Georgius S. Michaël, in Zinchesew.
Stephanus S. Ladislai in Schiukavecz.
Thomas S. Catharinæ.
Nicol. Præbendarius ibidem.
Blasius Pleban. de Grobjæ.
Petrus Pleban. de Dragalin.
Jacobus Glagolita ibidem Capellan.
Michaël Plebanus in Zambathely.
Capellanus.
Barnabas Pleban. in Povelithye.
Joannes Pleban. S. Demetrii.
Capellanus.
Marcus Pleban. de Tresthan.
Thomas Pleban. in Herwencze.
Nicolaus Pleban. in Vasmegyurechje.
Stephanus Rector hospitalis ibidem.
Emericus Pleban. de Zenthletek.
Martinus Præbend. ibidem.
Fabianus Pleban. de Nova Ecclesia.
Nicolaus Pleban. in Cristalovecz.
Capellani.
Joannes S. Crucis in Voykovcz.
Georgius Pleban. in Dimchkofold.
Andreas S. Georgii in Tsopolcza.

Blasius. Omnium Sanctorum de Zdencz.
Joannes. Plebanus in Breizthovez, Capell.
Petrus. Plebanus in Obramelch.
Nicolaus. Plebanus de Superiori Zdenz Vice-Archi-Diaconus.
Capellani sui II. Andreas & Michael.
Bartholomæus. S. Pauli in Radovan.
Thomas. Plebanus in Gardova.
Joannes. Plebanus in Rachchya.
Mathias & Andreas ibidem.
Mag. Blasius de Megyurechye.
Gregorius Præbendar. Ibidem.
Petrus alter Capellan. de eadem.
Benedictus. Plebanus S. Benedicti.
Stephanus. Plebanus de Rachchicza.
Joannes Præbendarius ibidem.
Georgius. Plebanus Omn. Sanctorum.

Ecclesia de Grebenna.

Mathias. Plebanus de Chresno.
Dominicus. Plebanus in Progovcz.
Plebania S. Adriani.
Petrus. Plebanus de Kopachevez.
Augustinus. Plebanus S. Bartholomæi.
Thomas, Valentinus, & Barnabas, Præbend. ibid.
Mathias. Plebanus in Gerez.
Gregorius Præbend. ibid.
Mathias. Pleban. de Bakva.
Plebania in Hathalovez.
Nicolaus. Plebanus de Hotzko.
Mathias. Pleban. de Zelanahrasztthije.
Michael. pleban. de Tollocz.
Thomas. Pleban. de Lyppova.
Michael. pleban. Omnium Sanctorum.
Antonius. pleban. de Vereweze.
Gallus & Ægidius, præbend. ibid,
Emericus & Georgius Capellani.
Antonius & Georgius Gratiani ibid.
Stephanus. pleban. in Spinis.
Emericus. pleban. de Busovcz.
Blasius, Capellan. ejusdem.
Michael. pleban. S. Nicolai de palludibus Dravæ.
Plebania S. Georgii de Brezovacz.
Elias, Capellan. ibid.
Stephanus. pleban. de Insula zent Jvan.
Petrus. pleban. de Ebreess.
Petrus. pleban. de Joboyno.
Plebania de Gessa Jvancz.
Demetrius. pleban. de Jantholovcz.
Jacobus. pleban. de Botsovcz.
Franciscus. pleban. de Zenth Endrey.
Petrus. pleban. de Orehovcz.
Plebania S. Elenæ.
Thomas. pleban. de Illova.
Plebania de Szenthpeter.
Blasius. plebanus S. Ægidii.
Stephanus. pleban. S. Regis.
Michael. pleban. de Klotsij.
Michael. pleban. de Grobosyncz.
Stephanus. plebanus de Felsozdenz.
Benedictus Rector Capellæ Castri, Zdenz.
Georgius præbend. de Zdenz.
Antonius Altarista de Zdenz.
Thomas. pleban. in Byenyco.
Mathias Altarista ibidem.

Hactenus 1501. Regestrum authenticum, Ex quo quam florens olim fuerit iste Archi-Diaconatus, Manifestò eruitur. Hodie 35. habet Parochias, quæ, ad Annum præsentem, exceptis duabus, Provisoriè à Patribus Franciscanis, Provinciæ Bosnæ Argentinæ administrabantur, nunc volente Augustissima & Apostolica Regina nostra, ad Ordinarii nostri, Illustrissimi & Reverendissimi Domini FRANCISCI THAUSZII perennem memoriam, Clero cui competunt restitutæ. Accipiebat olim 4tàm Decimarum Archi-Diaconus, ut liber 1334. testatur, & nos infra suo loco dicemus. Paulo post relaturi etiam Lites quæ pro illo fuerunt, sub Stephano Solihchevich Eppo Zagrabiæ. Bellis autem & servitute Turcica sub qua flebat, Archi-Diaconatus iste desolatus exstitit. De cujus Denominatione Georgius Funtek Archi-Diaconus Chasmensis, in sua quam 1703. Canonica Visitatione fecit, descriptione ita scribit: *Visitatio prima Archi-Diaconatus Gvesche, seu Govesche, & Sincze seu Nassicze in Districtu supra & infra ac circa Posegam inter Savum & Dravum Diœcesis Zagrabiensis, usque ad confluentiam fluminum Bichii in Boszud postquam nempe Eadem partes ex jugo Turcico in libertatem vindicata sunt ex mandato speciali Illustrissimi ac Reverendissimi DD. Martini Braikovich Eppi Zagr. utpote Ordinarij - - - &c. ubi Subdit: NB. Denominatio Originalis Nominis hujus Guesche venit à ruderibus, ubi probabiliter Decimæ congregabantur, & Campo Govesche Polje, Latino idiomate Campus bubalus seu bovinus, quæ rudera visuntur ubi fluvius thermarum Podboriensium in fluvium glovam cadit, & ratio quoque suffragatur, eo quod in Albo Ecclesiæ Cathedralis in Sacrario. hujus Archidiaconatus Ecclesiæ potissimum hic circa circum sitæ scribantur ut Zdenczi superior & inferior, Jllova &c. Alterius vero Archidiaconatus Sincze denominatio à Nassi.*

Nassicze ex eadem ultima praecedenti ratione, eo quod consimiliter vicinas locorum Ecclesias denominatas contineat sed Originem Denominationis assecutus non est. Fuerat enim Possessio Ecclesiæ Zagrabiensis *Gvesche* vocata circa Vaska existens. quam Joannes Eppus Zagrabien, de dato Chasma 1293. per disturbia desolatam, & desertam, ut impopuletur, Stephano Comiti de Monuszlo, more aliorum Prædiorum donaverat, cujus metæ sic sunt reambulatæ: *Incipiunt in aqua Berzenche ubi cadit aqua Achin in Berzenche, in eandem aquam tendens versus meridiem, in magno spatio, inde exiens vicinatur terra Michaelis inde versus Septemtrionem, in Potok Kacha dictum, per quam procedens per magnum spatium, &c, & declinans versus Aquilonem &c. in aquam* ZUMOLCH, *inde per eandem aquam tendens superius in Magno spatio versus orientem exit, in Edohorch Cherech, inde versus meridiem tendens venit in Virilek, inde tendens venit in aquam Trinoych &c.* Ex quo credimus, antiquitus, & ante desolationem Castellum quodpiam ibi fuisse, & locum celebriorem. A quo Archidiaconatui nomen inditum.

ZAGRABIENSIS Archidiaconus, dictus Cathedralis. de quo ita sæpe fatus 1334. Liber *Archidiaconus Ecclesiæ Nostra qui dicitur Cathedralis habet Stallum in Choro dextro circa Cantorem, & Vocem in Capitulo post Csasmensem Præpositum immediatè. Idem autem Archidiaconus & alii* (NB.) *Archidiaconi singuli in Nostra Ecclesia obtinent de consuetudine Jurisdictionem in Causis Spiritualibus, in suis Archidiaconatibus singulis, & causa hujusmodi, ab eisdem per Appellationem Legitimam possunt deduci ad examen Prælati Nostri Zagrabiensis Episcopi, nisi aliqua ex his à Primo litis exordio, per Citationem ad Curiam ejusdem Dni Episcopi deducantur, in quo casu locus Præventioni existit, salvis arduis Casibus, qui Episcopali dignitati semper deferantur. Item Archidiaconus Cathedralis, in Archidiaconatu suo habet ex præscripto albo uti elicerctur in certis locis sui Archidiaconatus, quartam ex Decimis sibi provenientem & reliqua ibidem* recensentur post hæc Parochiæ No. 40. Jurisdictionis ejusdem. Inter quas hoc observavimus, 1mo: Ante Ecclesiam majorem fuisse Parochiam sub titulo S. Emerici in Area Capitulari. Ita enim ibidem: *Primo Ecclesia Beati Emerici Zagrabiæ ante Ecclesiam majorem.* Regestrum autem 1501. *Thomas Plebanus S. Emerici in Area Capitulari Zagrabiensi.* quæ ubinam fuerit, suo loco dicemus. 2dò: Ad S. Margaritham in Suburbio fuisse Parochiam ut ibi *item S. Margaritha in Suburbio,* quam rexisse legitur 1501. Petrus Plebanus. Hæc postea indubiè cum Parochia S. Marci Montis Græcensis conjuncta sit. In Vico Latinorum fuisse Parochiam sub titulo S. Antonij. *Sztubicza* vero tres fuisse Parochias, videlicet S. Mathiæ, S. Georgij & SS Trinitatis. Quæ S. Mathiæ ante 1501. unita probabilius fuerit, cum Parochia SS. Trinitatis de inferiori Sztubicza. Crapinæ duas S. Viti & S. Petri, ita enim: *Item Ecclesia S. Viti de Crapina: item Ecclesia S. Petri de Crapina.* Sed hic non intelligit Oppidum Zagoriæ Krapinam, cum illud inter Zagoriensis Archidiaconi Parochias sub titulo S. Nicolai ponatur, at Locum, qui hodie BERDOVECZ dicitur, habuitque Parochias duas nempe S. Viti, & S. Petri, eo tum à fluvio Crapina, non multum dissito, ab Ecclesia hodie Filiali S. Petri, quod inde etiam colligitur, quod Parochias de Szamabor tres (nempe S. Anastasiæ, S Helenæ, S. Annæ, modo tantum S. Anastasiæ existente, Parochia vero S. Helenæ Seminario Alumnorum Cath. Eccl. Zagrabiensis applicata est, ut suo loco dicemus) statim subjiciat, tum Okichenses. Et demum quod in Regestro 1501. legatur non amplius de Crapina sed *Matheus Plebanus S. Viti in Berdovcz,* Item ibidem: *Sancti Georgij in Puschija, pertinet ad S. Vitum in Berdovcz. Capellanum habet Jacobum nomine.* Similiter quoque in Kravarszka duæ ponuntur Parochiæ, S. videlicet Catharinæ & S, Crucis, quæ vel in unam Coaluerint, vel in Dubranecz collocata sit alia. Attamen in Regestro 1501. legitur *Martinus Plebanus S. Crucis in Kravarszko Capellan. V.* ex quo conjicere est amplam hanc debuisse fuisse Parochiam, & cum Parochia Pokupszkensis, in Neutro horum legatur, probabile est aut Kravarszkensi olim Paruisse usque ad Colapim Omnia, cum quinque Capellanos habuerit, aut exemptas tanquam Abbatiales illas Parochias fuisse. Crediderim tamen primum potius, cum pro Fundatione sua Parochus Pokupszkensis prædium habeat. In Parochia autem *S. Catharinæ Andreas Plebanus Glagolita.*

Observo 3. Parochias B. V. de Oporovecz ubi Laurentius olim Plebanus (nisi Granesina dicatur hodie) SS æ Trinitatis de Nedelcz ubi Martinus Plebanus (nisi Parochia ad Szamabor esset, cum tamen hæc vetus ad Kravarszkam & intra Goriczam Campi Turopolija, & S. Marci in Spinis Constituatur) Item intra Czerje & S. Martini de Busako Parochiam B. Petri de Petrovyna, in qua 1501. fuit *Gregorius Glagolita,* item Ecclesiam B. V. M. *in Crisevech* filiorum Jvan in Campo, hodie non extare. Ecclesia autem Parochialis in Szteniovecz, in antiquo illo 1334. scripto Venit, sub nomine B. V. Mariæ in Campo filiorum vel hæredum Arhlandi prope Ecclesiam S. Crucis de Vrabcha, quæ tamen in Regestro 1501. jam sub proprio scripta est nomine videlicet Mathias Plebanus in Ztenovez. Vetus S. Crucis in Vrabcha desolata est, ut videmus, & hodie Munificentia Custodis olim Znika, in planitiem translata sub titulo S. Barbaræ.

Obser-

Observo 4. Parochum S. Joannis Baptistæ de Villa Nova Zagrabiæ dictum in pervetusto illo Libro non reperiri, credibilius quod eo tunc, Anno nempe 1334, nec fundata fuerit Parochia, Templarijs ibidem adhuc exstantibus. At in Regestro 1501. ita legitur : *Mgr. Gregorius Plebanus S. Joannis in Nova Villa. Nicolaus, Antonius, Georgius, Joannes, Michael, Altarista ibidem; Urbanus Rector Hospitalis.* Qui Altaristæ, quandonam cessaverint non comperi Prouti & Hospitale. fors Sublatis Templarijs ad absolvendas obligationes Altaristicas ibidem collocati fuerunt, quæ dein in alios translatæ sunt. S. Marci de Monte Græcensi Plebanus, tres olim habuit Capellanos uti legitur : *Dñs Martinus Plebanus de Monte Græcensi, cum tribus Capellanis suis.* Qui hodie Præbendarij sunt, nec se eximere possunt, quin Parochum sublevent. Szamoboriensis etiam Parochus legitur Præbendarium habuisse *Paulum Zlavich.* Cæterum in Regestro hoc Anni 1501. leguntur Parochiæ 4?. in Archidiaconatu Cathedrali, hodie sunt No. 47. ex quibus hæ Posteriores & Recentiores sunt, tanquam in Neutro illo antiquo documento contentæ, *S. Marthæ in Sissinecz,* Nostra memoria ab Episcopo Braniug erecta & fundata. *S. Ladislai in Pokupszko* æque ex munificentia Episcopi Georgii Braniug erecta. *B. V. M. in Dubranecz, in Kupchina. Kupinecz ad S. Nicolaum in Bisztra* nisi fors olim dicta fuisset *Jablanovecz.* S. Georgii in *Pubcha* olim Capellanatus Berdoviczensis. Aliæ omnes pervetustæ & antiquæ sunt, & ab Anno 1334. Parochia S. Joannis in Selina ad hunc olim spectabat Archidiaconum, & in *Marocsa* duæ ad Archidiaconum Kemlek, quas fors postea commutarint.

DUBICENSIS jam sequitur Archidiaconatus Iste hodie quasi totus desolatus est, ut non nisi duas habeat Parochias, *Dubicensem* à qua denominatur, & *Jeszenovicensem* aliæ Parochiæ suæ partim per Schismaticos, partim Turcas possidentur. Antiquitus verò, attestantibus istud jam satis antiquis, ex quibus scribimus, documentis, habuit Archidiaconus iste præter quartam Decimarum, suum etiam Cathedraticum à Rectoribus Ecclesiarun, qui etiam eidem consueverant persolvere viginti denarios, per singulos Rectores ratione munerum, vel agnorum. Porrò Archidiaconi hujus Jurisdictio in tres Districtus dividebatur. Primus fuit Districtus *Dubicensis* in quo habuit Parochias XI. nominetenus specificatas in Libro illo Cathedralis Ecclesiæ. *2dus* fuit districtus de *Zana* in quo Cultellum habuit. & Parochias Nro. 22. quæ de Decimatione Cultelli de Zana existunt, ut ibidem. Hodie nominibus harum Parochiarum Combinatis, totus hic Districtus in Turcica est potestate. *3tius* Districtus fuit de *Urbaz,* id est fluvio Verbasz dictus, in quo fuêre Parochiæ Nro. 13. qui etiam totus sub Turca manet; & hæc de Anno 1334. In Anno autem 1501. non reperiuntur hujus Archidiaconatus Parochi *Nisi* Nro. 17. conscripti, jam tunc enim sub Turca fuerint, vel omnes non sunt conscripti, uti ex ipso etiam observamus Regestro. *Nicolaus Plumbeus,* Bosnensis olim Episcopus, totum Archidiaconatum istum, Bosnensis esse Diœcesis contendebat. Prætendens *Jessenoviczium* suæ esse Diœcesis. sed causa cecidit. uti inferius cognosces.

De Archidiacono CAMERCENSI de Camarcha dicto ita legimus. Quod proventus hujus præter Cathedraticum fuerint, *quarta Decimarum in eodem Archidiaconatu ubique, & in omnibus rebus Decimalibus præter illa, quæ de Comitatu Dñi Episcopi apud S. Ladislaum de Kamarcha existunt quoniam ibi Decima totaliter recipiuntur pro Cellario Dñi Episcopi in Vino & Blado.* Tum recensentur Parochiæ ad ipsum pertinentes Nro. 48. Capellani 4. ex Regestro autem 1501. florens hic eruitur fuisse Archidiaconatus, quoniam in duos Districtus dividitur, in quorum primo superior KOMARCZA dicto habuit Parochiales Ecclesias Nro 21. ex quibus Celebriores fuêre 1.mò Parochia de *Prodavijz* in qua legitur *Petrus Plebanus, Matheus & Antonius Capellani Ejusdem. Michaël Rector Altaris S. Michaelis, Emericus Rector Capellæ, Joannes Altarista Assumpt. BV. Thomas S. Laurenty, Martinus S. Catharinæ, Elias Corporis Christi, Georgius S. Nicolai, Valentinus Capella, Laurentius Rector Capellæ BM. in Molina, Petrus, Joan: & Andreas de Supancz Mansionarij.* 2dò. Ecclesia S. Nicolai de Kaproncza, in qua *Gregorius Plebanus, Capellani duo Ejusdem, Blasius Rector Altaris S. Michaelis. Gregorius Rector Altaris Sanctæ Crucis, Nicolaus Hospitalis, Joannes Gratianus, Stephanus Gratianus & alter Joannes, Antonius & Joan. Mansionarij, Nicolaus Rector Capellæ in Ovar, Marcus Capellan. Ejusdem.* 3tio SSæ Crucis in Raszynija, ubi *Ladislaus Plebanus, Stephanus Capellan. Ejusdem, Clemens Rector Capellæ BV. ibidem, Mathias Socius ejusdem Martinus similiter ejusdem Capellani Bochkaij. Gregorius Rector Altaris S. Catharinæ, Gallus Capellanus Nicolai Bochkaij* præter hos fuerunt præterea in aliis Parochiis Capellani undecim Altaristæ duo. In alio autem districtu Inferior *Kamarcha* vocato, habuit Parochias 23. quæ trans Muram à potiori & Dravam fuerunt. Ut colligere est ex nomine locorum specificatorum. Et in his præter Parochos, Præbendarios Duos, Capellanos 4. Gratianos 5. Mansionarios duos habuit. Hodie Archidiaconus iste habet Parochias Nro. 20.

GORI-

GORICENSIS Archidiaconus aliter de *Gverche* dictus. qui ob amplitudinem Archidiaconatus, olim in eodem suo Archidiaconatu morabatur, curam exercens ibidem Archidiaconalem. cujus poventus fuêre. *Primo in Cathedratico Sacerdotum sicut in aliis Archidiaconatibus, item in muneribus sive Agnis præsentandis. Secundum in hoc Archidiaconatu ex consvetudine est inductum, quod Vicarij ipsius Archidiaconi, de singulis Ecclesiarum Rectoribus debent habere de quolibet Agno, de quo Capra duos Denarios, & sic Archidiacono cedunt tantum Decem. Item duo Denarij cedunt à quolibet Sacerdote. Rectores Ecclesiæ similiter, Vicario quando colligit Cathedraticum, & hi ultra Denarios 50, qui ultimi duo Denarij competunt cujuslibet Archidiaconi Vicario, Cathedraticum congreganti. Quarta autem Decimarum plena in omnibus rebus Decimalibus cedit Archidiacono de Gverche in suo Archidiaconatu, cum aliis redditibus qui Archidiacono Zagrabiensi debent provenire.*

Habuit iste olim Archidiaconus, Districtus Tres, sui Archidiaconatus. *Primus Districtus* fuit ab Hutina, & Szteniſchniak, continens sub se Parochias. Nro. 33. uti in sæpefato 1334. libro. Quæ pars, excepta unica Rechisze Parochia, hodie tota sub Turca est, præter aliquot, quas Schismatici tenent, profecto Parochiæ in Czettin duæ, *Hrezno, Klokoch* &c. sub Turca sunt. Hic Districtus *Goricze* vocabatur.

Districtus alter *Podgoria* appellatus uti ex Regestro 1501, ubi hoc ei nomen attributum. Continuisse legitur Anno 1334. Parochias 20. qui Districtus hodiedum exstat, uti ex Cathalogo, & Parochiarum nominibus observaretur; quamvis de quibusdam non constaret. Parochia hodie in *Petrovina,* dicta, tunc S. Petri de *Biskupecz* vocabatur. in Regestro Añ 1501. In Districtu priori Parochiæ Nro. 33. cum nominibus Parochorum referuntur & Capellani 24. Gratiani 5, Altarista unus. Ex quibus tunc Parochia S. Nicolai in *Czettyn*, maxime floruisse observatur; utpote habens Capellanos 3. Gratianos 2. leguntur ibidem quoque *Petrus Pleban. S. Joann. in Tretyna* &c. In Districtu autem *Podgorija* leguntur Parochi 21. nempe: *Petrus Plebanus S Annæ in Podgorija Simon Capell. ejusd. Joannes Pleban. Eccl. S Petri in Petrovynia Petrus Pleban. Eccl. S. Petri in Petrovijna Petrus Capellanus Ejusdem. Simon Pleb.* S. *Gerv. in Sypek*, *Georgius Pleban. BV. in Mahichno*, *Georg. Capell. Ejusdem*, *Lucas Pleban.* S. *Martini in Hernetich.* N. S. *Michaelis in Dobovcz*, *Mathias Pleban.* S. *Petri in Mlacsa. Georgius Pleban. BV. in Dobra. Ecclesia S. Nicolai in Lypa, Thomas Pleban Ecclesiæ* S. *Jvanecz Laurentius Pleban.* S. *Maury in Boszylevo. Matheo Pleb.* S. *Leonardi in Lipije. Matheo Pleban* S. *Crucis in Zaverszije. Andreas Pleb.* S. *Laurentij in Rijbnik*, *Thomas & Martinus Capellani. Gregorius Gratian. Gregorius Pleban.* S. *Viti sub Castro Ozalij. Matko & Petrus Capellani Ejusdem Simon Capellan. in Castro. Benko Pleban. Eccles. Omium SS. in Ozely, Joan. Capell. Ejusd. & Michael Gratianus. Mathias* Pleban. Ss. *Cosmæ & Damiani in Werbovecz. Quirinus* Pleb. SS. *Trinitatis in Krassithij. Antonius* Pleban. S. *Sixti in* Pribych *Bencze* Pleb. S. *Georgij in Prelypije. Paulus Pleban.* S. *Nicolai in Jasztrebarszka. Mathias & Georgius Capellani Ejusdem.*

Tertius Districtus, sive pars Archidiaconi Goricensis vocabatur *Metlicensis* de quo ita. *In Metlika Ecclesia B. V. circa Castellum Matrix. hujus filiæ sunt S. Nicolai de foro. Item Mariæ Magdalenæ, S. Jacobi, sancti Viti & S. Trinitatis.*

Item Ecclesia S. Martini Matrix. hujus filiæ Capella S. Margarethæ, S. Nicolai in Provincia Metlika.

Item Ecclesia S. Petri de Chernomel Matrix. hujus filia S. Joannis Baptistæ de Doblieh, & S. Jrenæi.

Item Ecclesia S. Regis Stephani Matrix. de Senicz, de fundatione Regis Belæ ut Creditur. Hujus filiæ Capella S. Maria Magdalenæ, Item S. Primi, & S, Joannis.

Item in Vinnicza, & similiter de Provincia Metlikæ Ecclesia S. Crucis Matrix, Hujus filiæ Capella S. Trinitatis.

Beati Georgij de Vivodina Matrix. Eiliæ hujus una in honorem B. Virginis, Alia in honorem B. Mariæ Magdalenæ.

Item Ecclesia S. Crucis in Sihemberg nec reperiuntur plures de Zagrabiensi Diæcesi citra montes.

Pars hæc Archidiaconatus, Qualiter? quove Anno à Zagrabiensi Diœcesi avulsa sit? indagandum, *Thomas* olim *Kovachevich* Ecclesiæ Zagrabiensis Custos, rem hanc quod accuratè pertractarit ex *Wolffgango Kukuljevich* 1751. Anno, habuit. Sed Kovachevichij opus ubi lateat? ignoramus; neque Kukuljevichio constitit. Nos idcirco jussu FRANCISCI KLOBUSICZKY de Zettheny Episcopi Zagrabiensis, Anno 1750. dum *Goritiensis* hodiernus Archi-Episcopatus instituerctur, hac de re monumenta perquirentes, ita comperimus.

Ab exordio conditi Zagrabiensis Episcopatus, Districtum illum *Metlicensem*, uti ad Sclavoniam, & consequenter Sacram Regni Hungariæ Coronam: ita &, Episcopatum Zagra-

Zagrabiensem pertinuisse : suadet, Fundatio Ecclesiæ S. Stephani Regis in *Senicz* à Bela IV, Hungariæ Rege, docent monumenta Zagrabiensis Ecclesiæ, inter quæ, uti superius relatum, Districtus iste, Pars tertia Archidiaconi de *Gverche* invenitur Ostendunt sententiæ *Adjudicatoriæ*, Decimæ à Stephano Zagrabiensi Episcopo, Capitulo donatæ, & collectæ, Imò non dubitamus, quin in quorundam tabulariis supersint, Donationes Hungariæ Regum, de Bonis, Partium illarum. Nec controvertebatur istud, nisi primò, post Annum Domini 1330, Antea tam Zagrabiense Capitulum in usu perceptionis Decimarum, quàm & Episcopus, in Jurisdictionis pacifico exercitio perstiterunt. Et quamvis: sive post exstinctos sub Clemente V in Viennensi Concilio *Templarios* : sive quod credibilius per Belæ IV. Hungariæ Regis, ob præstita eidem Belæ Regi fidelia servitia, occasione persecutionis Tartarorum, uti quidam commemorarent, Inclytus *Cruciferorum* Ordo *Commandam* ut vocamus de *Chernomel* circa Annum 1245 obtinuisset : attamen nec idem Sacer Ordo, aut in Collectione Decimarum, aut in Spiritualis jurisdictionis exercitio, Archidiaconum turbavit, usque ad tempora *Henrici* Commendatoris de Chernomell. Qui primus, primò de Decimis Capitulum cœpit molestare. Parochos illarum partium, hac ratione devinciens, quod Partem Decimarun tertiam, iisdem præstandam, spopondisset, Et cùm Causæ Decimarum, Fori tunc Ecclesiastici fuerint, Et *Henricus* sui Ordinis per Pontificias Bulas exemptionem, ab Episcoporum judicio allegâsset, neque negotium hoc, aliter ac *jure* componi quivisset. *Jacobus* Lector Capituli, & Vicarius Generalis Venerabilis in Christo Patris *Ladislai* Eppi Zagrabiensis, cum *Joanne* Archidiacono de *Gverche* Avennionem ad Benedictum XII, à Capitulo exmissi fuerunt : A Quo, Bulam plumbeam, in filo canapis more Romanæ Curiæ, ad *Joannem* Abbatem Monasterii S. Mariæ de Toplica (hodie Topuszka vocati) attulerunt, tenoris sequentis. *Benedictus Eppus Servus Servorum Dei. Dilecto Filio Abbati Monasterii S. Mariæ de Toplica Zagrabiensis Diœcesis Salutem & Apostolicam Benedictionem. Dilectorum Filiorum Capituli Ecclesiæ Zagrabiensis precibus inclinati, præsentium tibi authoritate mandamus, quatenus ea, quæ de Bonis ipsius Ecclesiæ alienata inveneris illicitè, vel distracta, ad jus & proprietatem Ejusdem Ecclesiæ legitimè revocare procures. Contradictores per censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita compescendo. Testes verò qui fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, Censura simili, appellatione cessante compellas veritati testimonium perbibere. Datum Avionis IV. Nonas Martii, Pontificatus Nostri Anno IV.* Cujus Bulæ authoritate, ut Judex unicus à Sede Apostolica delegatus *Joannes* Ordinis Cisterciensis, Abbas B. V M, de *Toplicza* in Anno 1339. ad Octavam Festi Nativitatis Bsſ. V. Mariæ. Præfatum Fr. Henricum Ordinis Cruciferorum, Domus Teutonicæ Commendatorem, sive Perceptorem Domus Ejusdem de *Chernomel* in *Metlika* & Frarres Ejus, ob indebitè occupatas ibidem & circumquaque Decimas, ad ipsum Capitulum pertinentes. evocavit. Sed ad Terminum hunc, cum nec Henricus, nec Fratres Eius comparuissent *Joanne*, Archidiacono de *Gverche* accusante, secundariò perentoriè fuêre evocati pro Octavo die, post Festum Omnium Sanctorum, Terminúsque Zagrabiæ, propter Copiam Peritorum (uti in Sententia, & Processu suo, ex quibus hæc scribimus, *Joannes* ipse fateretur) in Claustro S. Mariæ Ordinis Cisterciensis præfixus est Pontificatus Benedicti XII. Anno V. Christi verò 1339.

Ad terminum hunc, comparuit Henricus ipse. & sequens proposita Actio. *Ego Joannes Archidiaconus de Gverche, Procurator Capituli Zagrabiensis Ecclesiæ, dico nomine Ejusdem Ecclesiæ & propono. Quod cum Decimæ, sive redditus Decimales Provinciæ Metlikæ, sicut & aliæ Decimæ in Archidiaconatu de Gverche ex institutione & ordinatione antiqua, ratione Quartæ de rebus sive Bonis Episcopalibus Ecclesiæ Zagrabiensis, ad Capitulum Ejusdem Ecclesiæ pertineant, de cujus Ecclesiæ Diœcesi existunt. Frater Henricus Ordinis Cruciferorum Domus Teutonicæ Perceptor sive Commendator de Chernomell in Metlika, ipsas Decimas cum suis participibus Laicis, & aliquibus suis Prædecessoribus, tempore manifestarum Gverrarum in Regno Hungariæ contra Deum & justitiam, in grave detrimentum & præjudicium ipsius Capituli usurpatas percipiunt, & hucusque perceperunt. Quare nomine procuratorio ipsius Zagrabiensis Capituli peto Compelli eundem Fratrem Henricum Præceptorem & Fratres suos, desistere à perceptione eorundem reddit-uum sive proventuum Decimalium in Provinciola de Metlika, & ibi locis adhærentibus, & ab impetitione sive Molestatione hujusmodi compesci, Et Eidem Zagrabiensi Capitulo dictos, Redditus sive proventus Decimales in eadem Provinciola, & locis ibi adhærentibus, esse de Pertinentiis Decimationis Capituli supradicti, tanquam de existentibus infra limites Zagrabiensis Diœcesis, usque Ecclesiam Bſſmi Stephani Regis de Zemch inclusivè. Quæ Ecclesia, cum sua Parochia & Capellis, circa & extra limites Aquilejensis Diœcesis existit parte in illa, & abhinc limes protenditur ad cacumen montium versus Aquilonem directè, Ecclesias de Sibestian, de Silemberg, & ad Grachan, ad Zagrabiensis Ecclesiæ Diœcesim includendo. Salvo jure mihi*

bi semper addendi, minuendi, vel mutandi præmissa, vel ex iis aliqua, prout videbitur expedire. Actum in Claustro S. Mariæ de Zagrabia, Anno Die Prænotatis. At ad Actionalem hunc libellum, nil reponente *Henrico*, Terminus iterùm pro 8vô Die Nativitatis S Joannis Baptistæ prorogatus est. Ad quem, nec Henrico, nec ullo pro parte Fratrum comparente, Ipse, iidémque per contumaciam convicti sunt cum clausula: *Per hoc tamen nolumus, ipsi Fratri Henrico, suis Fratribus, & suo Ordini, aliquod præjudicium generari, quin possint si voluerint recuperare possessionem omnium præmissorum in quantum à jure permissum reperitur. Actum in Claustro S. Mariæ supradicto, Die V. post Octavas B. Joannis Baptistæ. Anno* 1340, Tùm submissa Clementi Papæ VI, cum actis omnibus sententia. Ab Eodem, confirmata per Bullam omnia. Et *Joannes* Ordinis Cisterciensis, Abbas S. Mariæ, cum Fratre *Ladislao* Priore Ordinis Fratrum Prædicatorum de Zagrabia, unà cum Officiali Zagrabiensi, cum clausula: *Quod si non omnes, duo Vestrum ad Infrascripta à Sede Apostolica specialiter deputati.* Ad Executionem ejusdem Sententiæ deputati fuêre. Quæ, effectivè etiam in ipso Foro *Metlicæ*, præsente Marco Sacerdote, Rectore Ecclesiæ & Plebis S. Stephani de *Zemch*, executioni mandata est.

Sed postquam executionem reoccupâssent Decimarum, iterum certificati fuêre. Et præter *Henricum* Commendatorem de Chernomell, etiam Plebani cum eodem sequentes: videlicet *Andreas* S. *Nicolai de Jasterbarszka. Lukachius* S. Petri de *Volavja. Leonardus* Oium SS. ac *Jvan* S. Viti de *Ozelij. Mathias* S. Eliæ de *Ribnik. Jacobus* S. Mariæ de Foro *Metlicæ. Stephanus* S. Petri de *Chernomell. Radoslaus* S. Crucis de *Vinicza. Marcus* S. Stephani Regis Hungariæ de *Zemch*, *Jacobus* S. Martini. *Detricus* S. Nicolai de *Sibenberg Lippoldus* S. Georgii de *Vivodina*, nec comparuissent, etiam ad tertiam Citationem, *Henricus* cum *Jacobo* S. Mariæ de Foro *Metlicæ*, & aliis, tandem á præfatis Deputatis, & Delegatis Apostolicis excommunicati fuêre. Hæcve iterùm Excommunicationis sententia per Clementem VI. sub Dato Avenione Kalen. Decembris, Pontificatus Anno IV. confirmata est. In qua hæc leguntur: *Quocirca Discretioni Vestræ, per Apostolica scripta mandamus, quatenus sententiam excommunicationis, sicut rationabiliter est prolata, faciatis authoritate Nostra, Apellatione remota, usque ad satisfactionem condignam inviolabiter observari. Non obstante indulgentia, quam sibi Prior Ordini suo à Sede Apostolica, dicitur esse concessum, quod ipsius Ordinis Fratres non teneantur se intromittere de quibuscunque negotiis, quæ eis, per ejusdem Sedis literas commituntur, nisi in eisdem literis de concessione hujusmodi, plena & expressa mentio habeatur.* Hinc denuò *Henricus* Commendator de Chernomel, *Jacobus*, *Stephanus*, *Radoslaus*, *Marcus*, *Detricus*, *Lipoldus* Plebani, per eosdem, Joannem Abbatem, & Ladislaum Priorem Dominicanorum de Zagrabia sub pœna Excommunicationis de Dato V. Februarii Anno 1249. ad parendum admoniti, in sua contumacia perstiterunt. Qualiter ? & an aliquando absoluti ? ignotum. quamvis credamus, absolutos fuisse. Sed

Dices; De Decimis purè, actum in præmissis videtur, non verò de Jurisdictione Episcopali. Quare cum Decimæ, ex Privilegijs etiam competere possint; neque ius Diœcesanum, firmiter & omnimodè constituant: Undè Districtum Metlicensem, Diœcesis esse Zagrabiensis doceri posset? R. Docetur 1mo. Ex antiquissimis Ecclesiæ hujus monumentis, Et libro *Statuta Capituli* vocato, Anno Domini 1334. conscripto, & in tot judicijs pro authentico habito. In cujus libri parte 1ma. Cap. 56., ubi Archidiaconatum *Goriensem* describeret *Gorieze* inquit *vocantur montes Solavicè. Est autem quidem mons magnus in Archidiaconatu Goriensi, ultra fluvium Golapim, supra quo est Ecclesia Bssimi Confessoris Martini, de quo Monte, & alijs ibidem vicinis, denominatur Decimatio de Gverche. Ipse autem Archidiaconatus tres includit Districtus, sive Provincias, quæ sunt de nostra Decimatione, quantum ad tres partes, Quarta Archidiaconali exclusa. Primus Districtus vocatur Gorieza. 2dus. Megjurechje, & Podgorja, 3tius Metlica, Sihestyan, & Sibenberg.* Et refert nominetenus singulorum Districtuum Parochias: Quas in Districtu Metlika ponat, superius retulimus, nec repetere opus. Idem *Liber* loco alio notat: *Item in Tertia parte* [Archidiaconatûs nempe Goricensis] *Ecclesia B. Georgij de Vivodina Matrix, cujus Rectorum Lippoldus nomine, nunc non obedit Joanni moderno Archidiacono de Gverese, obediebat tamen Petro Archidiacono de Gverese antea, super hoc tamen, & similibus provisum est, prouti in forma literarum, quarum tenores sunt positi supra ubi de Decimis de Gverese descriptum est.* Si autem antea Alij, & ipse *Lippoldus* Petro Archidiacono paruit, quin & Joanni ante suscitatam litem. Et Archidiaconatus iste, in Ecclesia Zagrabiensi, à tempore Fundationis est, sequitur Parochias illas, ad Diœcesim quoque Zagrabiensem pertinere. Neque ideo liber hic antiquissimus, suspectus sit, quòd hujus Ecclesiæ. Equidem si libris mercantilibus, lex habendam fidem vult, non video cur Antiquissimo huic libro neganda? nisi revocemus in dubium, Sacros & Dypticos libros, Provinciarum, Curiarum, monumenta omnia, verbô universa illa, quæ in locis proprijs, conscripta sunt. adô. Nec Henricus

rieus olim, jus Diœcesanum controvertebat, nec ideo, in jus vocatus est. Et quomodo *Joannes* Archidiaconus, in actionali libello suo, supra fideliter relato, ponere potuisset *De cujus Ecclesiæ* (nempe Zagrabiensis, Partes illæ, in quibus Decimæ fuerunt occupatæ) *Diœcesi existunt?* Quomodo? *tanquam de existentibus infra limites Zagrabiensis Diœcesis, usque Ecclesiam Bssimi Stephani Regis de Zemeb inclusivè, quæ Ecclesia cum sua Parochia circa & extra limites Aquilejensis Diœcesis existit, parte in illa, & abhinc limes protenditur ad Cacumen montium, versus Aquilonem directè, Ecclesias de Sibestian, de Silenberg, & ad Graeban ad Zagrabiensis Ecclesiæ Diœcesim includendo.* Quomodo Item *Joannes* Abbas, quà Delegatus Apostolicæ Sedis Judex, in sententia sua exprimere potuisset? *cujus præmissa adeo essent notoria, quod nulla possint tergiversatione cellari.* Nempe Joannis Archidiaconi expositio, & Henrici facta. igitur *Notorium* fuit, Partem illam, Archidiaconatus de Gverche esse, Hinc Diœcesis Zagrabiensis, nec ulla potuit tergiversatione cellari.

3tio. Postquam suprascripti Parochi, ut contumaces convicti, & Excommunicati fuissent; Neque absolutionis curam, habere observarentur: imò Archidiacono inobedientes tunc primò effecti. *Joannes* Archidiaconus de Gverche, plura ad illos mandata, à *Guidone* Cardinali, & Apostolicæ Sedis Legato obtinuit. Ex quibus, unum ad literam describimus.

Guido miseratione Divina, Tituli S. Cæciliæ Presbyter Cardinalis Apostolicæ Sedis Legatus. Universis & singulis Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Archidiaconis, Decanis, ArchiPresbytheris, Rectoribus. Et Clericis Ecclesiarum quarumcunque Regni Hungariæ, ad quos præsentes litteræ pervenerint, salutem in Domino. Dudum per alias nostras certi tenoris literas, Vos, & per vestrum singulos moneri mandavimus, Lippoldum Sacerdotem in Ecclesia S. Georgij de Vivodina, Henricum, Orthosum & Jacobum, in Ecclesia S. Petri de foro, Thomam de Chernomell, Marcum & Thomam in Ecclesia S. Stephani Regis Hungariæ de Zemeb, Detricum in Ecclesia S. Bartholomæi de Sibestian, Andream & Corardum in Ecclesia S. Martini. Radozlaum in Ecclesia S. Crucis de Vinnicza, & alios universos & singulos Sacerdotes, in Districtibus de Sibestian, & Sibenberg, & Henricum Commendatorem, & Fratres Domus Hospitalis S. Mariæ Teutonicorum Regni Prædicti Hungariæ. Ratione sententiarum, prolatarum contra ipsos, & ipsorum quemlibet, per Dilectum in Domino Joannem Abbatem Monasterij de Zagrabia Ordinis Cistercienssis, Civitatis Zagrabiensis prædictæ, & Ladislaum Priorem conventus Sancti Nicolai de Zagrabia Ordinis Prædicatorum, Judices à Sede Apostolica deputatos, ad Instantiam Joannis Archidiaconi de Guerche in Ecclesia Zagrabiensi, & Ipsius Archidiaconatus, super receptione Sacramentorum, ab Ipso Archidiacono, & Cura animarum, ac legitimè Parochianorum dictarum Ecclesiarum, Et occasione denunciationis Excomunicationis exinde subsecuta, quatenus ipsi, & quilibet Ipsorum, intra certum terminum, in dictis nostris literis comprehensum, per vos statuendos procurarent Canonicè se absolvi, à dictis Excommunicationum Sententijs; alioquin compareant, coram nobis, seu Dilecto Magistro Bartholomeo de Bostario, Præposito Caslacensi, Sacri Palatij Apostolici, & Nostro Generali Auditore, Personaliter responsuri, dicturi, & ostensuri causam rationabilem. Quare contra ipsos tanquam contra suspectos de Hæresi procedere deberemus, prout hæc & talia in dictis nostris literis, seriosius continentur. Quod quidem facere contempserunt, in dicti Archidiaconi grave præjudicium & jacturam, Prout per literas vestrum Leonardum Oith SS. de Ozely, & Ivan S. Viti de Ozely Rectores Zagrabiensis Diœcesis, Nobis extitit facta fides. Quare pro parte dicti Archidiaconi fuit nobis humiliter supplicatum, ut contra dictos omnes & singulos Sacerdotes, ad observationem sententiarum prædictarum latarum contra Eos procederemus justitia mediante & cogeremus Eosdem, per dictos Sedis Apostolicæ Delegatos. Nos igitur suis supplicationibus inclinati vobis & Vestrum cuilibet in solidum, qui pro parte dicti Joannis Archidiaconi fueritis requisiti, seu etiam requisitus in virtute sanctæ obedientiæ, & sub Excommunicationis pœna, quam in vos & Vestrum singulos, trium dierum Canonica monitione præmissa ferimus in his scriptis, si in infrascriptis negligentes fueritis vel remissi, districtè præcipiendo mandamus, quatenus dictos Presbytheros, singulariter monitos, juxta formam dictarum sententiarum Excommunicationum, de quibus vobis liquebit Excommunicatos publicè nuncietis in Vestris Ecclesijs, dum ad Divina populi convenit multitudo, Campanis pulsatis, Candelis accensis, pariter & extinctis. Et tam diu donec à dictis Delegatis, vel à Superiore suo Absolutionis beneficium meruerint obtinere, invocantèsque subsidium juris, & ad cogendum Eosdem, & quemlibet ipsorum ad observationem dictarum sententiarum auxilium brachij sæcularis, cum intimatione, quod contra ipsos, tanquam contra suspectos de Hæresi procedetur, si in dicta sua contumacia duxerint persistendum. Datum Romæ apud S. Crisogonum Anno Domini 1350. *Indictione III. Vicesima quinta Mensis Martij. Pontificatus Domini CLEMENTIS Papæ VI. Anno Octavo.* Alia Ejusdem *Guidonis* missa facimus. Cùm ex hoc satis constet, an non partes illæ Diœcesis sint Zagrabiensis: quin & *Sacræ CORONÆ* Non enim videtur causa, eccur mandatum hoc ad *Regni Hungariæ* Clerum directum fuisset? Quomodo Item *Regni Hungariæ* partes illas esse dixisset? Et contumaces illos Parochos, *Regni Prædicti Hungariæ* appellaret, nisi Partes illæ ad Hungariam pertinuissent. Item Quî? *Ad Instantiam Joannis Archidiaconi de Guerche in Ecclesia Zagrabiensi, & Ipsius Archidiaconatus, super receptione sacramentorum ab ipso Archidiacono, & cura anima-*

rum

rum ac legitimè Parochianorum dictarum Ecclesiarum. Et paulo post: *facere contempserunt in dicti Archidiaconi gravè præjudicium & jacturam* apponere potuisset, si Parochiæ illæ Archidiaconatûs hujus, & Diœcesis Zagrabiensis non fuerunt. Interim cum in sua contumacia, etiam post *Guidonis* mandata, Præmissi Parochi perstitissent, Anno 1350. in Festo Mariæ Magdalenæ, iterũ pro Excomunicatis promulgati sunt per *Radeben* Sacerdotem & Rectorem Ecclesiæ S. Marci de Grecz. Jacobum Vice Archid. de Zagoria, *Blasium* Plebanum & Rectorem S. Joañis de Zagrabia.

4. Decimarum in Partibus illis olim usus: sententiæ Item diversæ *Adjudicatoria*, à Banis Sclavoniæ, alijsque Regni Hungariæ Judicibus olim factæ, Partes illas, & Regni esse: & Diœcesis Zagrabiensis loquuntur. Quis enim credat? Duces Carnioliæ passos fuisse, sibi subjectos ab alijs judicari? Quis Hungariæ Reges, de Colligendis in Carniolia Decimis, Privilegia impertiri valuisse? Sed & ipsa ab olim, ad hæc usque tempora observata praxis, ac à Majoribus accepta in Populo illo traditio, Jus Zagrabiensis Diœcesis sustentat: dum ex Parochijs illis, sine literis ut vocamus *Dimissorialibus* ordinantur, in Diœcesi hac accomodantur; uti ex Albo ordinandorum liquet, hodiedúmque tot numero in Zagrabiensi Diœcesi sunt; ex partibus illis Parochi, Beneficiati, qui si opus, hac de re, ipsi sibi præbeant testimonium. Hinc decisa hac causa nunquam existente, Ipsi se *nullius* esse *Diœcesis* affirmant, ac pro libitu in qua volunt Diœcesi ordinantur. Eppus *Martinus Borkovich* causâ harum partium contradictionem interposuit. *A Stephano Selischevich* Eppo Zagrabiensi, sub dato Zagrabiæ, Die 5ta. Mensis Martij Anno D. 1702. *Joannes Plath* Præpositus Metlicensis, Jurisdictionem, aliásque Facultates, animi sui sedandi causâ, accepit.

Quæres? unde evenit? & tanta Parochorum obstinatio: Et Litis tantæ, indecisio? ℞. Si monumentis veterum habenda fides, hoc, ex bellorum, variarúmque in Regno Hungariæ, & Sclavoniæ, sæculis illis, vicissitudinum profluxit circumstantijs. Diversorum Item Comitum Præpotentijs, ac demùm Sacri & Inclyti Ordinis Teutonici, Privilegijs. Quæ non solùm Patriæ Historici, sed Exteri quoque, & MSS. diversa, imò Sententiæ Judicum perhibent. Profectò ex Sententia *Nicolai* Bani Sclavoniæ, in Anno 1348. Feria proxima, post octavas Festi B. Regis *Stephani*, est legere: *Quod occasione Gverrarum & Potentia Comitis Bartholomæi multa violenter de Eodem Archidiaconatu occupata sint.* Joannes quoque Archidiaconus in Actionali, uti supra, libello refert; *Tempore manifestarum Gverrarum in Regno Hungaria* occupatas Partium illarum Decimas. Sed quid plura? in Ipsa Hungaria hoc fuisse deducitur ex Art. 41. 1559. & 68. Vlad. 3. Dilationi autem causam maximam præbuit, diversa Provinciarum Subiectio, à diversis Principibus. Sclavonia *Sacra Corona* subjecta semper extitit, Ejúsque Apostolicis Regibus. Carniolia è contra & Stiria suis paruit Ducibus. Nec pro terreni cujuslibet particula, bella geri oportuit, satis multis, bellis alijs, tunc existentibus. Interim illicò, atque hæ Provinciæ, sub Ferdinando I. Eundem veneratæ sunt Principem, prius quomodolibet avulsorum, petita sancitáque restitutio: testante Art. 13. 1554. Quin prius à nobis adducta, in Publicis Regni Commicjs comprobata fuisse eruitur, ex satis claro Articulo 119. Anni 1647. tenoris sequentis: *Cùm Vble Capitulum Ecclesia Zagrabiensis, pro Decimis Districtus Metlika, & locorum eidem adjacentium, ad idem Capitulum antiquitus spectantibus, sed per Commendatorem de Chernomel, Domus Teutonica Ordinis cruciferorum occupatis, & usurpatis, & postmodum per Delegatos Sedis Apostolica sibi readjudicatis, ac nihilominus contra adjudicationem Ejusmodi detentis, Justitiam postulet. Sua proinde Majestas administrationem justitia Ei Capitulo per Justitiarios earundem partium cum debita executione demandare, juxta Clementem suam oblationem dignabitur.* *Svadente etiam Art.* 13. 1554. Quæ subsequis etiam Articulis confirmata sunt, uti 69. 1681. Item 53. 1741. Imò erecto existente Archi Episcopatu *Goritiensi*, & in Anno Domini 1751. Episcopo Labacensi, D. Comite *Ernesto Amadeo* D'Attems, quà Sedis Apostolosticæ Delegato, hanc Archi Episcopatus *Goritiensis* erectionem, D. Comiti FRANCISCO XAV. Klobuſiczky De Zetthény tunc Episcopo Zagrabiensi, significante, in abitu rectè ad Dietam Posoniensem, jus quoad Præmissas Parochias, Articulo 35. Anni 1751. conservatum dignoscitur.

Cœterùm hodie, Parochiæ V. Provinciæ *Metlicensis* ab Ordine Teutonico dependere videntur, quamvis inteligamus, ab actuali etiam Archi Episcopo *Goritiensi* superiori anno Canonicè visitatas. In Civilibus verò, subsunt CARNIOLIÆ, & *contribuunt* ad Carnioliam. Parochia de *Sibenberg* Generalatui in Parte paret Carlostadiensi, & à potiori quidem. *Vivodina* verò ad Sclavoniam *contribuit*, Et in Civilibus ab Eadem dependet. Quoad *Spiritualem* autem Jurisdictionem: tam *Vivodina* quàm & Parochia una in *Sibenberg*, ab Abbate Ordinis Cistercìensium Monasterij in Carniolia *Landstrost*, qui se Archidiaconum inscribere solet, hinc ab Archi Episcopo *Goritiensi*, antea *Aquilejensi* dependet. Sed qua ratione? & Quomodo? fateor non comperi. Dicunt, occasione Pestis, â Zagrabiensi Clero Parochias has neglectas fuisse, & ita, Cistercienses Patres, subintrâsse, administrâsse & jus obtentũ conservâsse. At fateor, Quo Año pestis hæc fuisset? nos latet. Quidquid sit, post defectũ Familiæ Zrinianæ; *Joannes*

nes Abbas, Monasterij Fontis B. M. V. in Landstrots, Anno 1679. privativè pro se Judicatum & *Bona Vivodina* comparaverat. Quæ accedente consensu Regio in Anno 1687. Familiæ L. B. à *Voinovich* vendidit. Quà in Expeditione Regia, manifestò exprimitur, quod *Judicatus* Vivodinæ nullatenus ad Carnioliæ Provinciam spectaret, hinc & Capitulo Zagrabiensi Decimæ exsolvuntur: imò Parochus Vivodinensis, hodie ad *S. Laurentium*, causâ securitatis majoris translatus. nedum à Possessoribus *Vivodinæ*; sed & Dominio *Ozaly*, titulo Fundationis certam frumenti & vini quantitatem annuè accipit. Attamen *Jus Patronatus* ab Abbate dicitur exerceri.

Hæc pro veritate, sine Partium studio, sine cujuspiam offensione, ex monumentis, quæ ad nos pervenerunt, collecta: communicamus ideo potissimum, ne videamur; sine fundamento, singulis ferè Dicetis, rem hanc à sua Majestate, postulare. Persvasi: non deesse Altiora, quæ preces nostras impediant.

Verùm ad alia transeamus. Olim Districtum *Graesdu* ad hunc pertinuisse Archidiaconatum & consequenter Zagrabiensem Diœcesim tam relatus Actionis, *Joannis condam* Archidiaconi, libellus *Abbine* inquiens *limes protenditur ad cacumen montium versus Aquilonem directè Ecclesias... & ad Graesan ad Zagrabiensis Ecclesiæ Diœcesim includendo*: Quam & Pervetustus ille Ecclesiæ Zagrabiensis liber de Anno 1334. In quo ita notatum. *Retulit etiam Magister Demetrius Archidiaconus de Bexin, qui eo tempore quando fuerat Cancellarius Stephani Bani, existens Laicus fuerat informatus quod Districtus Graeban erat de Archidiaconatu de Gverche, & Diœcesis Zagrabiensis.* Istud attamen, ante Annum 1300. fuerit ac sub Bela, IV. Et anterioribus Hungariæ Regibus. Credimusque spontè potius, Districtum *Graeban* ad Zagrabiensem accessisse, in gratiam videlicet Hungariæ Regum, sæpè ad Dalmatiam, Sæculis illis, vel conservandam, vel reducendam exeuntibus. Sed sub S. *Augustino Gazottio*, in Præsentia Cardinalis *Gentili* synodaliter, Districtum *Graeban* Aquilejensi attributum fuisse, quoad de Legitimo constaret jure. Atque ideo, hujus Districtus nec recensentur Parochiæ, imò expressè relatâ Ecclesiâ S. Crucis in Sihenberg additur: *nec reperiuntur plures de Zagrabiensi Diœcesi Citra montes.* Nec Joannes Archidiaconus scripsit: *Et de Graeban*, sicuti *Ecclesias de Sibestian, de Sibenberg*, verùm Ad *Graeban*: scilicet includendo ad Zagrabiensis Ecclesiæ Diœcesim, Parochias de *Sibestian*, *de Sibenberg*. Districtum *Graeban* excludendo *Demetry* Demùm testimonium, nostram confirmat sententiam, quod nempe olim *fuerat*, non verò tunc fuerit. Tandem verba: *Fuerat informatus* potius testem, de auditu; quàm scitu faciunt.

Habuit quoque *Joannes* olim Archidiaconus cum *Rad* Episcopo Corbaviensi non modicas lites. Qui, ut in Processu coram *Nicolao* Bano, occasione bellorum de Eodem Archidiaconatu, potentiâ Comitis *Bartholomæi* de *Modrussia* multa violenter ocupavit. Joanne Archidiacono litigante, & recuperante *Kladussam* cum effectu, de quibus inter Ecclesiæ monumenta, esse debent; plures literæ, *Rád* Actorem se fecerat, ratione Decimarum de *Kladussa* & quarundam aliarum villarum, prætendens potentialiter sibi fuisse acceptas, ac prohibens, nec uni nec alteri parti dandas ante sententiam. Præfigitur Terminus, post Octavas B. Regis Stephani, sed Actor, nec per se, nec Procuratorem comparuit. Et cum sex Diebus continuis fuisset exspectatus, nec comparuisset: Joanne Archidiacono jura sua, & Ecclesiæ Zagrabiensis, sententijs Definitivis, etiam *Joannis* Abbatis ut Delegati Pontificij comprobante, Decimas de *Kladussa* & Parochiæ B. *Martini* de Eadem. Parochiæ B. V. de *Gradecz* ac etiam villarum *Chezta*. *Premisel. Mozth Hebethke* & *Mostiche* vocatarum, per sententiam. De Dato Feria proxima, post prædictas octavas Festi B. Regis Stephani Anno 1348. obtinet à *Nicolao Bano* his verbis: *Quare nos ipsas Decimas, non ad ipsum Episcopum, sed ad prædictos Capitulum Zagrabiense, & Archidiaconum de Gverche invenimus juridicè pertinere. Et ideo de Cætero ipsas Decimas Parochiarum & Villarum prædictarum pacificè percipiant, sicut debet Capitulum Zagrabiense, & Archidiaconus de Gverche supradicti* Parochias aliquas, ad *Segniensem* Episcopatum, ex hoc Archidiaconatu devolutas observamus. Sed Quomodo? Quando? nos præterit. Sanè in Registris Parochiarum, hujus Archidiaconatus, reperiuntur pleræque. Sic: omissis alijs, in Registro Anni 1574. *Georgius Plebanus in Lippo. Antonius* Pleban. *in Lesche. Joannes* B. V. M. in *Velemerich. Pleban in Zrilche. Mathias Pleban. Trium Ecclesiarum Paulus Pleban.* S. *Jacobi in Gaz* &c. cap. 16. videndi infra. Hi, testante *Raphaële Levakovich*, sub Episcopo *Draskovich* Synodo interfuêre etiam. Hactenus de Goricensi Archidiaconatu.

KEMLEK. De quo ita: *Redittus autem ejus & proventus consistunt in his in quibus Archidiaconi de Camarcha, in Cathedratico Sacerdotum sui Archidiaconatus & quarta Decimarum & aliis, præter illa tenuta Domini Episcopi, de sub Kemlek de quibus non habet quartam Archidiaconus. Sed omnia ad Cellarium Dñi Episcopi ibidem Congregantur. Et præter Decimationem Nostram, de qua vocatur Decima,* &c. Quo Ultimô apparet, Capitulum quoque olim, in Archidiaconatu hoc suam Decimationem habuisse. Sed ubi? non comperio Hoc tamen erui videtur?

detur, *Decimas* nominâsse Capitulum. Illud autem quod Episcopo obveniebat *Cultellum* fuisse vocatum.

Parochiæ hujus de Anno 1334, Nro 20. recensentur. Inter quas Districtus de *Maracha*, & in eo duæ Parochiales, S Joannis Baptistæ, & Omnium Sanctorum leguntur. In Regestro autem 1501. hujus Archidiaconi Parochiæ cum nominibus Parochorum, Nro 36. ex quibus hodie plures non exstant, uti *S. Emerici in Kuscherovcz* in qua tunc *Stephanus* Pleban, *S. Helenæ in Korustcu* &c. Celebris tunc fuit Parochia SS. Crucis *in Crisio* ubi *Joannes* Plebanus Præbendarii *tres*, Capellani *duo*, Gratiani duo fuerunt; In aliis vero Parochiis Capell. 16. Præbendarii. 5. Altaristæ 2. excepta Parochia de *Urbovecz* hodie *Verbovecz*, ubi ita legitur : *Magister Laurentius Plebanus in Verbovcz Locumtenens Casmensis Clemens Vices gerens Ejusdem*, *Nicolaus Capellanus ibidem*, *Stephanus Præbendarius novus*, *Petrus Præbendarius novus ibidem.* Rakovecz olim *Rakonok* dicebatur, ubi duo fuerunt Capellani & unus Præbendarius. Hodie magna pars hujus Archidiaconatus, per Schismaticos occupata, tenetur.

ARCHIDIACONUS VASKA sequitur : de quo. *Redditus ac proventus ipsius consistunt in quibus & superiores proximi, præter tenuta Domini Nostri Episcopi, ibidem eodem modo sicut supra.*

Parochias olim in suo Archidiaconatu habuit Nro 34. Totúsque est partim in Szaladiensi, partim Szimegniensi Comitatibus, & à potiori Szimeghiensi. Celebriores Parochiæ fuerunt, de Castro *Otbyna* : ubi præter *Eliam* Plebanum leguntur fuisse Capellani tres Præbendarii 4. Gratianus unus. In *Zalathnok* ubi præter Ladislaum Plebanum, Præbendarii octo videlicet *Gregorius Aræ B. Virg. Dionysius S. Georgii*, *Andreas similiter S. Georgii*, *Ambrosius Capellæ B. V. Clemens S. Catharinæ*, *Petrus Capellæ S. Elenæ*, *Michaël S. Catharinæ*, *Benedictus Aræ Confraternitatis.* Capellani tres, Gratiani Nro 5. In aliis Parochiis habuit Præbendarios septem. Capellanos duos. Nomina autem Parochiarum sunt S. Catharinæ de *Martonpottok*, S. Mariæ de *Dragovin*, Ss. Cosmæ & Damiani de *Baboncza* S. Viti in *Vidovcz*, B. V. de *Szopije*, S. Annæ de *Turbina*, S. Michaelis de *Miholancz*, S. Petri de *Moak*, S. *Elizabeth*, S. Martini de *Zogocha*, S. Mariæ de *Bresznicza*, S. *Cosmæ & Damiani*, S. Nicolai de *Castro Otbyna*, S. Nicolai Filiorum *Gverecha*, S. Martini de *szent Marton*, sanctæ *Crucis*, B. V. de *Domoncz*, Philippi & Jacobi de *Vaska*. Omum SS&rm in *Zalatnok.* Item in *Bakocza*, & *Darnowz*, de *Hum*, & de *Novak.* Partim ob senium Archidiaconorum, partim verò ob distantiam, Archidiaconatus iste desolatus exstitit, hinc in eo non desunt etiam hodie Protestantes. Conterminat ibidem cum Vesprimensi ex parte Ecclesiæ terminaríque Zagrabiensem, ad fluvium *Rinja* referunt. Qui fluvius cum alium alveum modo, ac antiquitus habeat, inter Zagrabiensem & Vesprimensem disputatur Episcopos, quo metales constituendi veniant? nec Nostrum decidere quæstionem est,

CHASMENSIS Archidiaconus. sub quo in Albo 1334. recensentur Parochiæ Nro 38, In Comitatu Crisiensi est. Schismaticis plenus hodie, ut non nisi 14. supersint Parochiæ. In Regestro autem Anno 1501. inveniuntur nominetenus Parochi Nro 41. apud quos Capellani 14. Altaristæ in diversis Parochiis 4. Gratiani 4. Rector Hospitalis in *Monoszlo.* quæ Parochia uti & *Kottenija*, ac de *Nova Curia* ampliores fuerint. hoc in Regestro Parochia de Jvanich non reperitur. uti in illo anteriori sub titulo B. M. V cum Filialibus tribus. Cæterum de Redditibus hujus Archidiaconi ita : *Redditus & proventus ipsius consistunt in Cathedratico solo, & de Jurisdictione spirituali, sicut aliorum Archidiaconorum &c.*

ARCHIDIACONATUS BEXIN. Redditus & proventus hujus Archidiaconi consistunt in Cathedratico & Jurisdictione sicut aliorum, in quarta autem Decimarum similiter.

Districtus Ejus Duplex est. Primus in Insula Murana vulgo Murakösz in qua hi olim Leguntur Parochi.

Valentinus Plebanus de Sabaria.
Benedictus Plebanus in Nedelcz.
Benedictus, *Gregorius*, *Mathæus* *Præbendarii ibidem.*
Georgius Pleb. in Lopathycz.
Thomas Præbendar. ibidem.
Mathias Pleban. in Strigo.
Leonardus Capellan. ejusdem.

Caspar, *Martinus*, *Matheus*, Præbend. Ibidem.
Elias Pleban. S. Martini Superioris.
Martinus Pleban S. Marci.
Ambrosius Pleban. S. Martini in Szredische
Georgius Capellanus Ejusdem.
Ambrosius Plebanus S. Martini in Turren.
Habet 4. Capellanos.

Ste-

Stpehanus Pleban. S. M. in Belycz.
Thomas Pleban. S. Michael. sub Csaktornya
Capellanus suus Michaël.
Michaël Pleban. in Thurnynz
Georgius Capellanus suus.
Joannes Plebanus in Byszfercz
Abel Altarista ibidem.
Michael Capellanus ejusdem.
Jacobus Presbyther ibidem.
Ecclesia S. Stephani in Breszth.
Martinus Pleban. in Pryluk
Capellanos iij habet.

Districtus ex Altera Parte Muræ.

Martinus Plebanus de Lyndva
Andreas Plebanus S, Nicolai
Demetrius Plebanus in Thothfalu
Petrus Plebanus ad S. Georgium.
Georgius Plebanus in Zombathel.
Blasius Pleban. in Czeztregh.
Georgius Plebanus de S. Cruce prope Resznek.
Demetrius Plebanus S. Georgii in Zenthgergh.
Michael Plebanus de Kebele.
Georgius Pleban. ad S. Ladislaum.
N. Plebanus in Bagonija.
Laurentius Plebanus in Dobronok.
Stephanus Plebanus in Thormafelde.
Petrus Plebanus in Zygath S. Elenæ.
N. Plebanus S. Nicolai in Zygath.
N. Plebanus in Guctorfelde.
Valentinus Plebanus S. Michaelis in Buyna
Barnabas Pleban. in Zenthgergh
Plebanus S. Stanislai & Vencefzlay
Thomas Pleban. in Zendaheyl
N. Plebanus de Berzenze
Petrus Plebanus de Altarez
Stephanus Plebanus in Gereche
Gregorius Plebanus S. Martini prope Gereche
N. Plebanus Oiūm Ssrum in Polya
Andreas Plebanus Beycz.
Mathias Plebanus in Tholmath
Blasius Pleban. S. Laurentij prope Paka.
Petrus Plebanus in Paka.
Michael Vice Archidiaconus Bexin Pleban. in Turnyszthya
Nicolaus Plebanus in Gozthølya

Nomina Capellanorum de Bexin.

In Lyndva ij. & serviunt duabus Eccles.
In Turnyszthya duo.
In Dobronok unus
In Zenthgerh unus servit duabus Eccles.
In Keresztur unus
In Cheszteg unus.
In Paka duo
In Zenthmiklos duo
In Beyz duo
In Oltarz unus
In Zendahel unus & hæe ex Regestro 1501.

In illo autem 1334. leguntur Parochiæ præter specificatas S. Mariæ de *Chernecz*. S. Georgii de *Nemethij*, S. Nicolai de *Gurkfeld*, S. Joannis de *Bexin*, S. Crucis de ör, S. Georgii de *ör*. Item de *Gozcola*. In posterioribus de Kanisa. Vide etiam infra Cap. 16.

VARASDINENSIS Archidiaconus. *Redditus & proventus hujus Archidiaconi consistunt in Cathedratico & Jurisdictione ut supra, & in plena quarta Decimarum, præter illa quæ pertinent ibidem ad Cellarium Dñi Episcopi Zagrabiensis* in hujus Archidiaconatu recensentur Parochiæ 13. & additur : *Aliæ Ecclesiæ non sunt hic descripta infra metas Regni Hungariæ existentes* (nempe illæ quæ hodie sunt in Stiria) *quia sicut ipsa sunt occupata meta, ita & Ecclesiæ quamvis de hoc Archidiaconatu existant.* In posteriori autem 1501. Regestro. hæc Parochorum nomina.

Michaël Plebanus in Ludbregh Vice-Archid. Præbendarij in Ludbreg Stephanus senior, Martinus de Dombo, Andreas de Raszynya, Blasius de Rachtha.
Albertus Pleb. S. Georg. in Spinis.
Georgius Pleb. in Chrisovlyan
Andreas Pleb. in Marthyancz.
Jacobus Pleb. S. Elisabeth in Zuhodol.
Joannes Plebanus S. Clementis in Zuynusa.
Blasius Plebanus S. Bartholomæi.
Stephanus Plebanus in Waraśd.

Præ-

Præbendarij & Altaristæ in Waràsd. Georgius pro nunc Pleban. in Toplicza Mathias Clemens Czveth, Clemens S. Michaëlis, Clemens antiquus Corporis Christi, Martinus Præbendarius ad S. Vitum.

Stephanus Plebanus Omnium SStorum in Gomsa.

Germanus Plebanus Eccl. S. Crucis in Superiori Vynnicza.

Bartholomæus Pleb. Eccl. S. Marci de Inferiori Vynnicza, habet Capellan. duos.

Georgius Pleb. S. Georgij in Maryasovcz.

Valentinus Presbyt. ibidem præbend.

Blasius pleban. S. Viti in Zamlacsa.

Georgius pleban. B.V.M. in Biskupcz.

Michaël S. Eliæ in Obres.

Brictius Omnium Sstorum in Belethyncz.

Benedictus pleban. in Jacopelcz..

Habet Capellan. Laurentiũ de Varasd.

Joannes pleban. Eccl. B.V. in polyana.

Georgius pleban. S. Martini in Toplycza.

Quarum Ecclesiarum quædam hodie subsunt Archidiacono Camarcensi uti in *Liudbreg. S. Elisabet, Martyanecz.* & in Anni 1334. Albo hæ parochiæ, intra parochias Archidiaconi Camarcensis, numerantur.

URBOCZ Archidiaconus de quo ita : *Officium ejusdem & Jurisdictio ac proventus ijdem qui superius proximi, cum omnibus Decimis de suo Archidiaconatu, quæ modernis temporibus male solvuntur, & pejus percipiuntur.* recensentur dein Ecclesiæ S. *Georgii de Zotla, sancta Catharina in metis, S. Viti sub Castro Urbocz,* & additur *plures de Novo poterunt fabricari*, in Regestro autem Anni 1501. præter hos legitur *Fabianus Pleban. in Jezero Blasius Vir. M. in Tubel; & Urbanus Capellanus Ejusdem.* Parochus autem in Jezero habuit Capellan duos.

Hactenus de Archidiaconatibus, qui hodie etiam supersunt. Et sunt Canonici Cathedralis hujus Ecclesiæ, ordine quo retulimus ab olim gaudentes. Nunc de *Muraecensi* Archidiaconatu, quæ obtinuimus, referemus. Hunc in Ecclesia hac fuisse, pag. 20. docuimus. Sed cùm temporibus illis, frequentiores fuissent Principum mutationes, Bella variæque ut ex Historicis videre est, vicissitudines, Res quoque Ecclesiasticæ, nutantes fuêre admodum. Pacatis rebus Civilibus, crevit Religio, hinc auctis Parochijs de Diœcesium limitibus controversum. Utque anteriores taceamus de Anno 1156. controversias. Mortuo Bela III. Anno 1196. Inter Fratres Emericum (qui & Henricus legitur) & Andream orta dissidia. Sed Andreas victus & in Austriam profugus, tandem MCC. ut Godefridus Colonien. in Annalibus, Pax sancita intra fratres est. Ab illata Hungariæ, Austriæ, Sclavoniæ, Dalmatiæ à Tartaris clade, iterum sub Bela IV. tanta cum Austriacis & Stiris bella, ut 1246. Dux Austriæ cum Bela Hungariæ Rege dimicans, cùm vicisset, secundum oculum perstrictus à suis, an ab hostibus incertum, Die XVII. Kal. Julij, ipso Festo S. Viti occubuit. Quanta mala inde in Austria & Stiria per sex Annos exstiterint nullus ut ait Stero valet scribere, vel narrare. Inde Hungari, hinc Bohemi, sed sævissimi omnium domestici nobiles, qui ut idem ait. nec Deum, nec hominem reveriti quæcunque volebant faciebant. Hæcvé mala ad Annum 1253. perdurabant, varijs ut fieri solet eventibus. Occasione hac, Arx *Medved* ædificari incepta, ut Inferius in *Philippo* Episcopo cognosces. Stephanus Sclavoniæ Banus Vicinas Stiriæ partes pro Bella Rege occupaverat tenuitque. Et licèt 1253 atrociora ab Hungaris bella moverentur: utpote quibus & Bavarus se conjunxerat, per Interiores valles in Hungariam perveniens, tamen repentè, Eodem Anno circa Septembris medium, Pax hac Lege sancita est: *Ut cesserit Stiria Belæ Regi.* Qui, *Stephanum* Sclavoniæ Banum, & Comitem Zagrabiensem Stiris præfecerat, pro filio suo *Stephano* Ducis Stiriæ nomine á Patre Bela declarato. Quæ non solum Scriptores Coævi, & monumenta apud Hanficzium referunt, sed & ex Litteris *Belæ* Regis Fratribus Cisterciensibus de Zagrabia datis. Quibus Donationem Magistri *Petri Archidiaconi Zagrabiensis* confirmat de Dato *Zagrabiæ per manus Magistri Smaragdi Albensis Eccl. Præpositi Aulæ nostræ Vice Cancellarij, Dilecti & fidelis nostri Anno Dñi 1257.* in qua: Rex hunc exprimit Titulum: *Bela DEI gratia Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ Serviæ, Gallitiæ Cumaniæque Rex, & Dux Stiriæ.* Et expositis Archidiaconi Petri petitionibus, addit; *Cæterùm quia de his, quæ dicta Ecclesiæ conferre Præfatus Archidiaconus intendebat, nobis plene non constabat, præcaventes ne ex hoc aliquibus præjudicium generetur, inquisitioni & ordinationi Stephani Bani totius Sclavoniæ, & Capitanei Stiriæ Dilecti & fidelis nostri commissimus, ut Idem facti seriem nobis fideliter in literis suis intimaret &c.* Ubi dum *Bela* se Ducem Stiriæ Appellat; *Stephanum* item Capitaneum Stiriæ, eam Belæ Regi obtigisse confirmatur.

At inviso Stiris Stephano Bano Hungarorúmque Imperio: Instigatione Comitis Petoviensis *Harnidi*, in Hungaros conspiratum. Zefridus quidam, nobiles aliósque Stiros cis *Dravum* incolentes concitat, Stephanum rerum ignaro, imò Marpurgum petentem: Har-

 nidus

nidus alijque agrediuntur; ut tranato Dravo, vix se salvârit Stephanus. Interea Stiris Petovij sese munientibus, & Bano apud Belam Stirorum facta accusante. Bela ipse cum Stephano filio: Zagrabiam properat, perfidiam ut dicebat, Stirorum ulturus. Tanta obsidione premitur Petovium, ut dedere se ad Hungarorum arbitrium pararint. Sed advenit opportunè Archi Eppus Salisburgensis *Ulricus*, qui Belam, Ejúsque Filium Stephanum enixis rogavit precibus, ut, iras ponerent, parcerent damnis Petovium, DEI & S. Ruperti esse. Obtulit & Papæ Literas, quibus idem obtestabatur Pontifex, quia ut in protectionem Salisburgensem accipiat Ecclesiam. Verùm post multas preces, Oppidum ab excidio liberavit, neque secus, quâm tradito Regi oppido, quoad ter mille Marcas deponeret, & Harnidus cum alijs exularent. Hinc Stephanus Petovium ingressus, Stiriam per se ipsum aliquandiu rexit. Nempe Anno integro. Acta hæc sunt 1257. Sed & Stephani Regis non undequaque probatum Stiris Imperium, qui post Annum Stephano Comiti Zagrabiensi, denuò credens Provinciam, imposito Arci Hungarorum præsidio, in Hungariam concessit. Sed novæ rursus in Hungaros conspirationes, ad Ottocarum missi Legati Stiriæ, sed is, veteribus pactis; deprecatus est, Itaque desperati in Hungaros irruunt, Provincia depellunt. Apparatur novus Hungarorum exercitus, Ottocarus Stiros adjuvat, & Anno 1260. festo S. Margarithæ, ad Marcham fluvium vincit Ottocarus. Nova inter Reges bella, sed Anno 1261. ut apud Hansiczium, Arenpekius, *convenerunt Principes in Vienna ad faciendam concordiam inter Ottocarum & Regem Hungariæ, convenerunt ambo Reges, cum duobus Belæ Regis Hungariæ filijs, Bela & Stephano, & Rex Moscaviæ, gener Belæ Regis, & tres Reges ex Servia & quinquaginta Duces potentes.* Pax sancita Matrimonio, qua, filia Sororis Ottocari Belæ Regis filio desponsata. Stiria Ottocaro reddita. Hæc fusius retulimus, quod his de rebus per exiguos scripsisse sciamus. Bonfinius Decad. II. Lib. VIII. quædam innuit, fusior tamen, quoad Casum Moraviæ, refertque ob provinciarum fines, bellum hoc fuisse. Cœterùm de his ad Stiriam gestis MSS. nostra fidem faciunt, & Hansiczius etiam, Ritterus quoque, Levakovich, quin & Joan. Archid. in suis MSS. retulerunt, ex quibus hæc nos descripsimus.

Uti vides Civilia; ita Ecclesiastica confusa admodum. Partim ob bella temporibus illis frequentia, partim ob schismata. quæ in ipsis erant Ecclesijs, Salisburgensi præcipuè (de quibus accuratè Hansiczius in sua Germania Sacra) non minus & impositas sæpius pensiones, tum ad belli sacri necessitates, cùm & ad resistendum Tartaris, qui non solùm 1240. & sequentibus, has Provincias devastabant, sed & posteà irrumpebant. Hinc nec Disciplina potuit servari Ecclesiastica, nec quis alium venerabatur, quâm, quem voluit Ordinarium. Inferioris Stiriæ Clerus, â Zagrabiensi vicino instituebatur, ut & Muracensis Archidiaconus, ab oppido *Muraco* fuerit constitutus. Qui per, amplam jurisdictionem habuit, precipuè dum Stiria ab Hungaris possessa. Et licèt sub Ottocaro fuerit restituta, nihil tamen de Diœcesium finibus actum, *Philippo* & *Ulrico* de Salisburgensi Eppatu disceptantibus, hinc Parochiæ â Zagrabiensi providebantur Episcopo. Præcipue quia Stephanus, qui Belæ IV. successerat, de Patris injurijs sese ulturus, Ottocari exercitum ad *Kapczam* fluvium deleverat, ut Hamburgi inducias ab eo postulare coactus fuerit, quas in Karinthiam evocatus; an obtinuerit ignotum, licet Cronicon, Claustro Neoburg: apud Ritternm, & Hansiczium ita testetur: *Otokarus Rex Bohemiæ, cum Stephano Rege Hungariæ per juramentum utriusque & Epporum, & Nobilium, fœdus amicitiæ & pacis confirmans, in Karinthiam cum Nobilium militia progrediens, ibidem Castra & munitiones, quas sibi legaverat Ulricus Dux Karinthiæ, expugnatas possedit: cui etiam per Stiriam versus Austriam redeunti Rex Stephanus insidias, per multos Comanos & Ungaros obviam destinavit, ut sic posset eum occidere vel captivare. Quo comperto prædictus Rex Otokarus per aliam viam Austriam intravit. Insidiæ verò sentientes ejus evasionem totam terram inter novam Civitatem & Viennam, occisione hominum vel captivatione, nec non & prædâ destruxerunt. Multam stragem in Clericos, matronas, pueros, juvenes, & senes, tempore hyemis exercentes.* Et hæc acta, 1271. Hansiczius commemorat. Rittenus 1270. sed de his alias. Igitur ad S. Augustini Gazzoti Eppi Zagrabiæ tempora, res controversa exstitit; Rebus enim pacatis Stiriæ, vicini Eppi de Limitibus agebant. Et ocasione Cardinalis *Gentili* res ita accommodata refertur â Rittero, ut *Muracensis* Archidiaconus sufferatur, & distributæ intra Ordinarios Parochiæ. Quæ ex hoc Archidiaconatu remanserunt, Archidiacono *Bexin* conjunctæ sunt, ut relatum superius. Illis Addit Ritterus. Productum fuisse scriptum quodam in Concilio (verosimilius Posoniensi Nationali, tempore Card. Gentili) in quo sub *Gualterio* Albanensi Eppo, & Papæ Alexandri, ad cognoscendas Adalberti Salisburgensis, & Chunradi Episcoporum, causas: Anno 1176. misso ad Alemanniam, & Hungariam legato, in Præsentia Andreæ Colocensis Eppi, Miculini *Gverinensis* (Jaurinensis) Electi, Gregorij Præpositi Albanensis, & R. Abbatis S. Martini de Pannonia: *Prodano* Zagrabiensi Electo etiam de finibus Zagrabiensis Diœcesis actum fuisse Jaurini. Ob quæ & alia, Cardinalj, nil visum determinare, sed accomodare tantummodo. Hæc Ritterus. Sed unde non annotavit?

Per-

Perpensis tamen illorum temporum calamitatibus, quas ex Historia discimus, credibilia scribere videtur. Confirmant hæc, & sequentia sub Mathia Rege Hungariæ bella, & quæ supra in Archidiacono Varasdinensi notata sunt. *Aliæ Ecclesiæ hic non sunt descriptæ.... quia sicut ipsæ sunt occupatæ meta, ita & Ecclesia.* Neque credimus *Muracensem* Archidiaconum, à *Mura* fluvio appellatum, tum quòd omnes alij, à locis suam sortiti sint appellationem, cùm &, quod *Bexin* trans Muram in Albo 1334. ponatur : proinde partium illarum Parochiæ, saltem aliquæ, ad Bexin pertinuerint. Aliquæ ad *Varasdinensem* cùm ut Superius, scribatur: *Sunt occupatæ meta, ita & Ecclesiæ quæ de hoc Archidiaconatu existunt.* Quæ autem, Muracensis fuerint Archidiaconi? aut quæ ad Bexin sint additæ? ad nos non pervenit. Eodem hoc tempore, cum *Aquilejensi* transactum fuerit. Ut Districtus *Gracban*, qui olim ad Archidiaconum de *Gvercse*. Demetrii (ut superius pag. 30 notatum) testimoniô pertinebat, Aquilejensi obtigerit. dum ex Actionali libello Joan. olim Archid. pag. 26 relato, Diœcesis Zagrabiensis terminus *ad Gracban* constitutus. Demetrii testimonium. Paulo ante notata, de Varasdinensi Archid. Si bene perpendantur, cum temporum illorum vicissitudinibus, Ritterum verosimilia scripsisse, fatendum est. Occasione impertiti Ecclesiæ Pataviensi, à Sigismundo Rege Privilegii, quô Diœcesis illius, limites etiam, confirmarentur, Referente Joanne Eppo Zagrabiensi Cancellario, de Dato Tattâ Anno Dñi MCCCCXXV. in eodem inseritur : *Nostris & aliorum Juribus semper salvis.*

Ex hoc Archidiaconorum numero, & amplissima illorum jurisdictione, Diœcesis hujus amplitudo metiri, & cognosci satis potest. Sed

Præter hæc, firmata roborataque est per *Processus*, quos hactenus Zagrabienses habuère Episcopi, cum aliis vicinis sibi Episcopis, Qui suas amplificare studuerunt Diœceses, & Zagrabiensi adimere. Ac primo quidem, quoad partes Transmuranas. Quod hæ ad Ecclesiam Zagrabiensem pertineant, suntque in indubitata jurisdictione Zagrabiensis Episcopi, præter suprascripta, sane Antiquissima Parochiarum Regestra, etiam in Basileensi Concilio agnitum, stabilitumque est. Uti inter Ecclesiæ Zagrabiensis monumenta, exstare intelligo Ipsius Concilii Decisionem. Subsequente dein Sententia Episcopi Vesprimiensis tanquam Delegati. Regis Nostri Apostolici, similium Causarum Judicis, dum partes illas Sigismun. Quinque Eclesiensis Episcopus prætendisset. Exstant etiam quoad partes illas hujus tenoris Sigismundi Literæ : *Sigismundus DEI gratia Rex Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Marchioque Moraviæ Fidelibus suis Magnificis Stephano & Joanni, Filiis condam Joannis Bani, nec non Ladislao Filio condam Stephani Bani, & Sigismundo Filio Ladislai de Lindva Universis salutem & gratiam. Datur nostra intelligi Majestati quomodo Vos quosdam Plebanos Vestros ad Diœcesim Ecclesiæ Zagrabiensis semper & ab antiquo pertinentes ab eadem Ecclesia Zagrabiense sequestrando, ad Diœcesim Wesprimensem conferre niteremini, & vellitis, in dispendium salutis animæ vestræ valde magnum. Unde nos ipsam Ecclesiam Zagrabiensem suis juribus seu judicialiter destitui non volumus. Igitur Fidelitati Vestræ firmiter præcipiendo mandamus. Quatenus præfatos Plebanos vestros transmuranos, qui alias ad prædictam Diœcesim Zagrabiensem pertinuisse & spectâsse debebant, vos à prælibatâ Diœcesi Wesprimensi pœnitus removentes & sequestrantes justam ad obedientiam, & debitam subjectionem prætitulatæ Eccleriæ Zagrabiensi exhibendam compellatis & astringatis, Justitia suadente, & aliunde sub gravi animæ vestræ perditione non ausitis intermittere. Datum in SARA feria quarta proxima post festum Pentecostes, Anno Dñi 1398. manu propria Dñi Regis. Locus Sigilli.* Neque plura ad nos pervenerunt, sed scimus indubium esse, partes illas esse Zagrabiensis Diœcesis, imò Credimus à S. Ladislao attributas, uti super. Cap. II. pag. 6. retulimus. Et infra in serie Episcoporum Zagrabiensium uberius dicturi.

Quoad partes vero Inferioris Sclavoniæ. æque occasione Processus, Inter Plumbeum olim Bosnensem, & Stephanum Selischevich Zagrabiensem Episcopos habiti, ac per Pavlum Szecsenij Archi-Episcopum Colocensem Delegatum per D. Leopoldum causæ judicem determinati, Vigore cujus, per Sententiam Episcopus Zagrabiensis tam in *Petitorio*, quàm & *Possessorio* stabilitus est, in Inferioribus illis Sclavoniæ partibus. Quæ Sententia Metropolitani, postquam cum toto Processu diligentissime revisa fuisset, Ipsius *Leopoldi* Regis Authoritate in Anno 1701. Die 5ta Mensis Julij Confirmata est. Quam quidem Regiam Confirmationem, ego non aliunde, quam ex Literis Ladislai Mathiasovszky Regni tunc Hungariæ Cancellari de dato 6ta Julii 1701. ita scribentis didici : *His brevibus significare volui, quod Processus Illmæ & Rssæ D. Vræ in prima Instantia conclusus, hesterna die per nos Refferendarios finaliter relatus sit, ac sententia primæ Instantiæ Judicis prout in Possessorio ita & Petitorio sit confirmata. Ne autem Nunciatura aliquod impedimentum faciat, Ipse Eminentissimus eatenus supra se assumptit Negotiationem &c.*

Porrò ex eodem Processu, satis alias vasto quædam referre placet, partes illas ad hunc spectare Episcopatum demonstrando : ex quo limites etiam observabimus. Idcirco Diœcesis hujus Jurisdictio sese plane ad *Valko* quod extendat, patet ex Andreæ supra relatis Metalibus, ubi *cujus Sedis* (nempe Zagrabiensis) *Diœcesim à Sede Quinque Ecclesiensi super Lisznicze fluentum quod alio nomine Valko vocatur terminavit.* 2*dò*. P. Petrus Provinciæ Argentinæ Custos & Episcopi Zagrabiensis Vicarius in partibus Inferioris Sclavoniæ Foraneus, cum Anno 1660. partes illas Canonicè Visitâsset, in relatione visitæ suæ ita refert : *In DEI Nomine Amen. Cura vigilantia & solicitudine D. Petri Petretich Episcopi Zagrabiensis feliciter eandem regentis* 1660. *die* 28. *Maii per me Fratrem Petrum Ordinis Minorum Provinciæ Bosnæ Argentinæ Custodem & Patrem inter Provinciales suæ Provinciæ nec non ejusdemmet Amplissimi Præsulis in Spiritualibus Vicarium inter Szavum, & Dravum sub Turcica Ditione, parochias, parochos, Ecclesias cæteraque necessaria in his partibus Zagrabiensis Diœcesis fideliter & sincerè, uti ad præsens existunt, scriptis per me annotata, & ipsi Domino Episcopo oblata.* Ordine Parochias, Pagos, Ecclesias, Conventus describens. Ubi de Parochia *Czernik* dicta scriberet, ita concludit : *Nec ultra trans Szavum nos habemus Parochias, sed ibi Bosnensis Episcopus administrat & ultra versus Bosniam* tum Brodensem describens Parochiam, olim sub titulo S. Marci, pro tunc autem Mesquitam Turcarum, & pergens per *Dragotinam*, (quam dicit per Decretum S. Congregationis, sub Jurisdictione Episcopi Belgradiensis Fr. Mathei Benlich esse) *Gorjani* aliasque Parochias, dum ad Parochiam *Jvankovo* pervenisset ita scribit : *In Parochia dicta Jvankovo, est pagus, fuit olim Monasterium alicujus Ordinis, Diruta ex parte manent Moenia &c. Ista est Parochia Diœcesis Zagrabiensis ultima nam ibi Bichius flumen intrat in Bosut, dictum flumen hoc modo. Ex Szavo intumescit, ibi est Ecclesia pergrandis situata in medio dictorum fluminum, Integri Muri absque tecto, in quo loco fuit etiam arx, sed nunc diruta & deserta. Et est Cerna dictus ille Pagus contiguus cum Parochia Jvankovo. Et hoc ex parte Fluminis Szavæ, nam ultra Bosut, in quem Bichius influit, procedit & influit in Savum prope Marovich Parochiam in Sirmio, Et Bichius solus nequaquam statim influit in Savum.* Tum describit Parochiam *Kuzminczi* dictam, in qua Presbyth. Sæcularis *Martinus Captolio* fuit Parochus, & Parochiam *Caraschievo*. Ubi egit Parochum Venerabilis Senex *Nicolaus Sztipanovich* Presbyt. Sæcul. adjungit ad Dravum Columnas & Signa Murorum exstare, *Ad Oppidum Oszyg seu Eszeg ubi Caraschieza ad Dravum incidit, quæ signa terminorum Diœcesis Zagrabiensis fuisse intellexi.*. Concludens. *hæc omnia labore, & ex ore Parochorum omnium quos accersivi, excerpsi & conscripsi, prout loca & res in præsentiarum sese habent, & pro certo & certissimo omnes audientes & legentes hisce fidem adhibeant, & pro certitudine Patris Nostri Provincialis confirmari dextera decrevi, & Sigillo illius communiri exoravi Datum Nashicze die* 13. 1660. *Fr. Petrus Nicolich à Posega scripsi omnia manu prop. Ego Fr. Franciscus Ogramich à Posega Minister Provincialis M. p. L. S. Impressivè.* Ex quibus apparet, Episcopum Zagrabiensem occasione etiam Captivitatis Turcicæ, curam partium illarum habuisse, Ipsum pro Ordinario habitum, & Limites traditione majorum acceptos, quod populus ille quamvis Captivus, Singularum Diœcesium observabat.

Præterea partes illas in Diœcesi Zagrabiensi esse, docent tot & tantæ expeditiones Regiæ, in Collationibus Abbatiarum, Præposituraram, Inferioris Sclavoniæ, B. V. M. de Belasztena, S. Hellenæ de Podborje, B.V.M. de Gotto &c. Brevia Indulgentiarum Romanarum, Pazmaniana Synodus, Factæ Collationes per Episcopos Zagrabienses, Beneficiorum ibidem Vacantium, Ecclesiarum Consecrationes, Clarissimorum Virorum testimonia uti Cardinalis Leopoldi à Kollonich, olim Cameræ Præsidis qui tale perhibuit testimouium 27. Martij 1688. plumbeo scribens. *Intra Savum & Dravum illa facies Terrarum & Parochiarum, nunquam pertinuit ad Bosnensem Episcopum, multa legi expertus plurima, non scio aliter, quam quod Zagrabiensis Episcopus erat semper Diœcesanus illarum partium* tale quoque testimonium perhibuit *Stephanus Tenturich* Cancellariæ Regiæ Aulicæ Registrator & Sigilli Regii Conservator, dum jussu Leopoldi Imperatoris super hac re inquirere debuisset. Plura de hoc scribere possem, uti Illarum partium Zagrabiæ Archidiaconum semper esse, & signanter ab Anno 1332. quo, Stephanus Episcopus Zagrabiensis Capitulum Csasmense restaurando, Præposito Chasmensi Archidiaconatum illarum partium conjunxit. Contractus cum Episcopis Zagrabiensibus, ratione Decimarum. Firmani Philippi Apostolicæ Sedis Legati, sub Timotheo Episcopo Zagrabiensi, de dato Buda V. Calend. Octobris. 1284. excommunicationis contra Vöreвczenses Sententiam, ubi Vörevczam in Diœcesi Zagrabiensi agnoscit. dum ita : *Philippus miseratione Divina Firmanus Episcopus Apostolicæ Sedis Legatus Religioso Viro Gvardiano Fratrum minorum de Vöreucze Zagrabiensis Diœcesis Salutem in Domino.* Sed cum hæc, aliáque in Processu cum Plumbeasi habito, contineantur, prætermitto.

Adde-

Addere tamen placuit, unde hæ controversiæ suam sumpserunt originem. Cùm partes illæ, in Turcica fuissent Potestate, Apostolica sacra Sedes, uti solet, ipsis pro posse providit. Cúmque ex Congregatione de *Propaganda* plures illis in partibus, ex Ordine Minorum S. Francisci ordinati fuissent Episcopi, videlicet: *Belgradensis*, *Bosnensis*, *Scardonensis*, hi suas studebant amplificare jurisdictiones. Et varias quoad hæc, Româ habebant Decisiones. Quamvis autem Episcopus Scardonensis, antea Parochias *Rattky Pot k*, *Corsiri*, *Posega*, & *Velica* sub sua habuisset Jurisdictione, tamen Anno 1650. Episcopus Bosnensis Marovich Referente Cardinali Widman die 21. Decembris decreto Congregationis de Propaganda, â prædictis Parochiis Scardonensem vigore Vicariatus, quem sibi collatum à Petro Petretich Episcopo Zagrabiensi acceperat, quoad partes illas Sclavoniæ exturbavit, sub obligatione persolvendæ Episcopo Scardonensi Quartæ, A qua ut iterum sese eliberaret. Et se Episcopum illarum partium faceret, consequenter & ab Episcopo Zagrabiensi eliberaret Anno Eodem 1650. Expeditionem Regiam super Bosnensi Episcopatu, cum Additione *sive Diakoviensi* (quod antea nullus unquam usurpavit, nec repertum est aliquem ante Marovichium, se *Bosnensem* sive *Diakoviensem* scripsisse, aut antea Expeditionibus Regiis *sive Diakoviensis* additum fuisse) obtinuit. Quâ, se Legitimum illarum partium Ordinarium habere, & recognosci voluit. Adversantibus per Omnia, Religiosis *Posega* Patribus, præcipue *Petro Nicolich*. Item suprafatis Belgradiensi. & Scardonensi, Episcopis, ut missos per eum, *Sacros Liquores*, eidem remiserint. Et cum graves fuissent, non sine Plebis scandalo incommoditates, Schismaticus Metropolita Bulgariæ sese intrusit. varia Populo Christiano causans Incommoda, imponens onera, ut plures & lamentabiles plane scripserint Episcopo Zagrabiensi *Petro Petretich* literas, culpando in omnibus *Marovichium*, seseque declarando, quod malint omnes impia Mahometi sacra sequi, quam nisi obvietur, à tot Premi Episcopis. Hinc Præfatus Zagrabiensis Episcopus, tanquam Ordinarius, Marovichii Vicariatum revocavit, creando Vicarium suum Fr. *Petrum Nicolich*. Statímque Romæ universa patefecit. Ubi re examinata & discussa, Lectísque Episcopi Zagrabiensis Fundamentis, præcipue ipsius Marovich, quas ad Episcopum Zagrabiensem scripserat Literis, (quæ etiam conservantur) quibus eum partium illarum Ordinarium agnovit, probavitque, dum Vicariatum obtinuisset, prædicto Marovich, quoad Parochias intra Dravum & Savum in Anno 1654. die 13. Januar. perpetuum indictum est Silentium, illæque Episcopo Zagrabiensi adscriptæ. Cum autem temporaneam etiam Possessionem Romæ Marovich peteret, ad eam probandam relegatus est, cui Decreto Pontificio hæc per expressum adduntur. *Declarando quod per hoc Decretum, nullum præjudicium adferatur, alicui Personæ interesse in hoc habenti, sed salvo eorum omnium & singulorum jure, possint & valeant, rationes suas producere, & justitiam poni.*

Quoad Bulgariæ autem Metropolitam Schismaticum. Opera Petri Nicolich factum est. Patrocinante & intercedente Bosnensium Præfecto, quem illi Bassa vocant, reliquisque Turcarum Magnatibus. Ut idem à *Czaro* sive Imperatore Turcarum inhibitus fuerit, partésque illæ, Jurisdictioni Episcopi Zagrabiensis, ad Fidelium preces adscriptæ, & hujus esse agnitæ, habitæque.

Quia vero idem Episcopus Bosnensis Marovich, dum cum Belgradensi Eppo, pro Parochia de *Dragottina* Romæ in Propaganda litigasset, perpetuum etiam silentium per Sententiam obtinuisset, in Anno 1648, ideo nec hoc cum supra relato 1654, nec illud cum hoc confundenda. Hæc autem retuli ideo, ut benevolus Lector regulam habeat, in casum inveniendæ Næ fors Decisionis, aut Concessionis vel gratiæ Romanæ alicujus, in qua *Posega* vel partes illæ, aut *Bosnensis*, aut *Scardonensis*, aut *Belgradiensis* Diœcesis exprimerentur, statim credat, talis ab olim Diœcesis esse, sed distinguat tempora.

Indagandum hîc venit etiam, an *Posega* Diœcesis non sit Quinque Ecclesiensis? cùm etiam fuerit olim hac de re quæstio. Gravius persæpe disputatum, & res Processu mediante ut vocamus, quæsita. Præcipue quoad Decimas Poseganas. Ac pro Zagrabiensi definitum in Anno 1717, uti intelleximus, licèt Processum illum non legerimus. Cœterùm, cui Diœcesi attribuenda sit Posega, dubitari posse videtur. Primò ex Epistola Gregorii IX. Pontificis de dato Laterani VI. Idus Maii. Pontificatus sui Anno VIII. quam inscribit *Abbati & Conventui honestæ Vallis de Posega*, *Cisterciensis Ordinis*, *Quinque Ecclesiensis Diœcesis.* Quæ Abbatia est de *Gotto* hodie Kuttievo. 2dò. Ferdinandi I. de Dato Budæ in Vigilia Nativitatis Domini, Anno 1533, Quâ Magistro *Joanni Persurich* Canonicatum & Præbendam in Ecclesia Collegiata B. Petri Apostoli de Pozega, per mortem Magistri *Joannis Skrabineunczy* vacantem conferet, in qua, hæc adduntur: *Quem etiam per fidelem nostrum Rndum. Dn. Stephanum Brodericum Eppum Syrmien. & Consiliarium nostrum, ac Episcopatus Ecclesiæ*

F *Quin.*

Quinque Ecclesiensis Commendatarium Eidem Collatum esse intelligimus, Authoritate Juris Patronatus nostri Regalis, quo Generaliter in omnibus Regni Nostri Ecclesiis instar Divorum Regum Hungariæ, nostrorum scilicet Prædecessorum habere dignoscimur duximus eligendum, nominandum & præsentandum &c.

3*tiò.* Ex certò judiciario Processu, Anno 1597. Indictione 15. Die 25. Mensis Januarii in Castro Strigoniensi Coram Venerab. & Egregio Viro, *D. Thoma Amadeo* de Ferraria Decret. Doctore, & Vicario in Spiritualibus Eccl. Strigonien. ac Causarum Auditore Generali, Venerabili item Dño, Nicolao do Athya, Præposito S.Georgij Martyr. de Viridi Campo, Archidiacono Cathedrali & Canonico Strigoniensis Ecclesiæ, Sacrisque Apostolica & Imperiali Authoritatibus Notario publico, ac testibus infrascriptis præsentibus celebrato. pro parte Honorabilium DD. Mag. Anthonij de Gara Canonici dictæ Ecclesiæ Strigon. ac Andreæ Plebani de *Zombathel*, nec non Nobilis ac discreti Marci Bactalarii de Pozega ac Circumspectorum Alberti, aliter Allos de Graborja, & Urbani Fratris Ejusdem *Quinque Ecclesiensis Diœcesis* debita cum Instantia in causis quas ipsi contra discretos D. Petrum de Lyppija, Georgium de Chernyk, Petrum secundum de Brestovacz Presbytheros, nec non Nobiles & Circumspectos Stephanum Capellanum, Thomam Fyntha. Stephanum & Joannem Pozaracz, Gregorium & Georgium de Berethyna, & Jwak dictum de Zylkavucz, *Præfata Diœcesis* in facto certorum debitorum, &c. Quod in ipsa Processus continuatione sæpesæpius repetitum legitur, imò, in Citationis tenore ipsi præambulo immediatè subjecto sic habetur. Honorabilibus & Discretis Viris Dnis, de Gara . . de Werffin, de Nywna. de Rencsincz. de Horswa . . de Bokolija . . de Pribinische Marthon, de Alsowelike . . de Nekche. de Berchijna, & de Galgova, *aliisque omnibus & singulis Ecclesiarum Plebanis, in & sub Diœcesi Quinque Ecclesiensi, ubivis constitutis & existentibus.* In edicto vero sequenti nominat Discretum D. Georgium Presbyt; Altaristam de Cherkenyk, ac Nobiles & providos Georgium de Zakornija, Lukam de eadem, Demetrium Castellanum de Breztovz, Wallyam de Cheglijn, Lucam Zyrovina, de Chernek, & Petrum Elez de Palyna *Quinque Ecclesiensis Diœcesis.* Item Honorab. Dñi Andreæ Plebani de Zambathel, dictæ Quinque Ecclesiensis Diœcesis, meminit repetitis vicibus. In Libello autem eidem Processui inserto nominatur *Circumspectus Stephanus Toth de Pozega Quinque Ecclesiensis Diœcesis, contra & adversus, Discretum Dominum Georgium Presbyth. Altaristam S. Nicolai in Ecclesia B. Virg. de Chernjek dicta Quinque Ecclesiensis Diœcesis.* Ex quo nec in Regestris Ecclesiæ Zagrabiensis, Pozegam invenire est, nec in Draskovichiana Synodo 1574. Anni, ullus ex illis partibus, interfuit. Neque etiam à Levakovichio in Zagrabiensi ponitur Diœcesi. Ita, ex quo hæc accepimus Ritterus, in sua Quinque Ecclesiensis Diœcesis MSS. Historia.

Sed mirum, Idem Ritterus. in Zagrabiensis Ecclesiæ Historia, Posegam Diœcesis Zagrabiensis esse, posuit. Nec immerito. Quoniam *imò* ex limitibus Diœcesium pag. 19 & 20 locatis clarum esset. fines Diœcesis Quinque Ecclesiensis ad *Lisnicze* fluentum alias *Valko* vocatis terminari, & ab inde *totam circumeundo Posegam* Zagrabiensis esse Diœcesis, Proinde, *Posega* & Comitatus illius, hujus Diœcesis est. 2*dò.* Ipse Ritterus refert, se legisse Privilegium *Michaëlis* Episcopi Zagrab. Ex quo deducit : *Posegam ad Eppatum Zagrabiens. pertinuisse, innuit manifeste privilegium Michaëlis Eppi Zagrabien, & Electi Strigoniensis, Anno 1300, à Ladislao Ejusdem successore transumptum, & Confirmatum Anno* 1347. *Quod ille sic concludit Datum Chasma in Dominica Reminiscere per manus Discreti Viri Magistri Pueb Lectoris de Posega, Prothonotarii nostri Anno Dñi MCCC.* sub Osvaldo tamen, & postea aliis, iterum suum venerata Ordinarium. Et notat, Lectores Capitulorum, Protho-Notarios Ordinariorum dictos antiquitus fuisse. Quod nos ipsi comperimus etiam, dicturi de hoc Cap. XII. in *Michaële* Eppo. Quare dum *Lectorem* de Posega Protho-Notarium suum appellat Michaël, sibi subjectum fuisse Poseganum Capitulum declarat, & suæ Diœcesis. 3*tiò.* Privilegiis Vladislai, Caroli super exemptione populi S. Petri de Posega, á Judicatu quorumcunque: & libertatibus aliis multis (de quibus Parte III, Deo dante uberius) in Zagrabiensi Diœcesi Posega ponitur. Prouti & in sententia *Pauli* Judicis Curiæ Regiæ de Anno 1319, in qua, Possessiones *Kaprina* & *Zelna* Monasterio S. Michaelis de Rudinya adjudicantur : Et Andreas Præpositus de Posega Patronus cum Capitulo Abbatiæ & Monasterii de Rudinya per sententiam declarantur & ab Hermano Abbate S. Michaelis de Rudinya, pro Patronis recognoscuntur. Quare ad superiora Respondendum.

Ad primùm, Eodem Anno, quô Gregorius IX. scribit Abbati de Posega, Rex Andreas terminos harum posuit Diœcesium. Gregorius equidem IX. 1227. electus à Ciacconio scribitur, & 1241. mortuus. Unde si Anno Pontificatus sui VIII. illas dedit ad

Abba-

Abbatem Literas, 1234, vel 1235. scripserit. Quô & Andreas ad preces Nicolai Episcopi Quinque Ecclesiensis, terminos Diœcesibus definivit. II. Nonas Junii, Indiction. X. *in Alba Regia in Congregatione Regni.* Proinde cum dubium fuerit, cujus *Posega* Diœcesis sit, & necdum tunc definitum, Gregorius Posegam Quinque Ecclesjensis, Diœcesis esse, credere potuit.

Ad 2dùm, & 3tium. Vacante Zagrabiensi, annis aliquod uti inferius, sede: ac á Sæcularibus ministrata. Posegana Ecclesia, à Quinque Ecclesiensibus Episcopis, maluit fors ad jurium suorum conservationē, pro interim dependere, hinc & in judicijs, ad Strigoniensem appellabatur. Sub Osvaldo tamen, & postea alijs, iterum suum venerata ordinarium, Olaho ipso testante dum *Hungaria Cap. IX.* abs se editæ: *Quæ verò Regio* inquit *Savo & Dravo fluminibus, inclusa est, . . ., appellatur Sclavonia Hungarica. In hac sunt Comitatus Zagrabia, Varasd., Posega, Valpo, & plerique alij. Episcopatus Zagrabia dignitate & reditibus insignis. Chasma, POSEGA Ecclesia Collegiata & Situ, & Proventibus præstantes.* Igitur à Zagrabiensibus Episcopis Ecclesia Posegana dependerit, quemadmodum & Chasmensis. Ipse autem à Ferdinando I. Pragæ, Anno MDXLIII. mense Augusto se in Eppum Zagrabiensem, & Hungariæ Cancellarium nominatum fuisse perhibet, *in Compendiario sua ætatis Chronico* suo. Quare Viro tanto, & de sua scribenti Diœcesi, deferendum plus, quam Rittero credimus. Qui, hac in re varius, & utrique favens Ecclesiæ. Illud autem plane non assequimur, Quomodo Processum illum, in Anno 1597. in Castro Strigoniensi institutum scripserit, dum Ipse, Anno 1530. *in Plorantis Croatia Sæculo Primo* Posegam à Turcis captam deploraret, Carmine sequenti.

Ex Improviso nostras Prorumpit in oras
Barbarus. Et Dobboj Berislavi Nobile Castrum
occupat: hinc pergens ad Savum Brod capit, isto-
nomine trajectum vocitamus in amnibus, isthinc
trajecto Savo, *Pozeganum* fusus in agrum
Urbem arcémque capit,, quæ nomine dicta recenti
sic est, quod ferias celebrans fuit igne perusta
Incero quondam Romanis.

Isthvanffius autem Lib. XIII. *Posega est citerioris Pannonia Regio vicina Illirico, quæ inter duo flumina Savum & Dravum paribus ferè intervallis sita est. Huic Provincia occupanda Mehemetes Jahioglis Tauruno Præfectus inhiabat, per Turcas, quos magno numero certisque stipendijs in Oppido Esseco sibi subjecto habebat:. . .* post pauca alia. *Itaque Tauruno Essecum profectus, arcem Possegam à qua omnis Regio nominatur, à paucis custoditam aggressus facili negotio cepit, impositisque militibus etiam Collegio Sacerdotum S. Petri Posegani quod in propinquo ad mille passuum spatium distabat, Sacerdotibus, trajecto Dravo versus Quinque Ecclesias in tutiora loca profugientibus, eadem facilitate potitus est. Inde missis in Croatiam Copijs* &c. Et hæc ad Annum 1535. collocat. Mansítque in Turcica Captivitate Posega, ad Anuum 1687. Non mirandum igitur, ad Synodum Draskovichij neminem comparuisse, neque Parochorum nomina in Catalogo 1574. contineri.

Sed unde? Posega in anterioribus etiam Cathalogis 1334., & 1501. exmissa? cum Parochiæ aliæ ad Posegam, uti *Brejzsovcz, Velika, Czernik* &c. legantur. Hæc olim à Plumbeo alijsque objecta. Et probatum responsúmque est, Parochiam illam ad Capitulum pertinuisse, hinc uti & *Chasmensem* in Registris exmissam. Dein *Posega* pro libera, Regiáque Civitate est habita, ideo Primas Hungariæ, Suæ illam Jurisdictionis prætendebat. Metropolita nostro Colocensi resistente. Sane *Bertholdus* Qui in Privilegio Andreæ II. Abbatiæ B. V. M. de Toplicza, Fundationali (ubi hæc Conclusio; *Datum per manus Mgri Thoma Aula Regia Cancellarij, & Wesprimensis Præpositi Anno ab Incarnatione Domini MCCXI. Venerabil. Joanne Strigoniensi Archi Eppo - Rdo Bertholdo Colocensi electo, & Bano existente, Kalano Quinque Ecclesiensi, Boleslao Vaciensi, Catapano Agriensi, Simone Varadinensi, Desiderio Chanadiensi, Willino Transilvaniensi, Gothardo Zagrabiensi, Petro Geurinensi, Roberto Vesprimensi, Ecclesias feliciter gubernantibus, Both Palatino & Mussiniensi Comite, & Michaele Vaivoda existent. Petro Bacsiensi, Jula Budrigiensi, Banzone Bichoriensi, qui & Curialis est Comes Regina. Marcello Keveiensi, qui & Curialis Comes est. Ochuz Suprruniensi Regni nostri Anno VII.*) Electus invenitur, & Banus Sclavoniæ, dum Castrum de *Posega* ut Hæretici de finibus illis penitus eijcerentur, ab Andrea Rege comparâsset, *Archi Episcopus Colocensis* Bertholdus (*ad opus Ecclesia Colocensis specialiter pro Hæreticis de finibus illis penitus profligandis Andrea Rege & B. Primogenito* (id est Bela) *consentientibus comparaverat,* Confirmante Honorio Papa, III. Idus Januar. Laterani. Pontificatus Anno II. POSEGAM suæ esse jurisdictionis prætendebat. Et quod fuerit, evadit credibile

le ex Epistola Gregorij IX. Anno MCCXXIX. ad Archi Eppum Colocensem Ugrinum data. Postea Regulante Diœceses, per finium Constitutionem *Andreæ*, Posega una cum Capitulo, Zagrabiensi attributa est Eppo. Volente ita Bertholdo Aquilejensi jam Patriarcha, cum *Colomano* Andreæ Regis secundogenito Filio, & Sclavoniæ Duce, ac Bosniæ Rege à Patre declarato, ut Capituli Posegani Fundatoribus. Uti Parte 3. ubi Collegij Posegani Historiam tractabimus dicturi. Sub Stephano II. Zagrabiæ Eppo, dum de conferendo illi Palio, & Zagrabiensi sede, ad Metropolitanam elevanda (vide Cap. XII.) ageretur. Archi Eppo Strigoniensi Mathia, & Colocensi Ugolino adversantibus, Poseganum Capitulum, his Metropolitanis adhæsit, eò quod recenti memoria, à Colocensi Metropolita Bertholdo fundatum esset, nec ingratum Fundatoribus esse voluisset. Qua occasione *quasi* exemptũ effectum, modo huic, modo alteri favebat Eppo. Ut propterea Judiciariæ Sententiæ, in Colocensi, Strigoniensi, Quinque Ecclesiensi, Zagrabiensi, Foro latæ, reperianrur. Et Posega, nunc illi, huic nunc, attribuatur Diœcesi, ad Sigismundi Regis tempora, sub quo JOANNES Eppus Zagrabiæ, & Cancellarius, negotium terminavit. Et ad Annos quibus vacare sedem hanc accidit, Beneficia Collegij Posegani, ab Eppis collata, ac postea iterum, ut Olahus testatur.

Nec est quod *Joanni Persurich* Ferdinandus Canonicatum contulerit. Hoc accidit ideo: quia *Simon* Eppus Zagrabiensis, â Zapollianis fuerat, ut obsidionem Residentiæ suæ Zagrabiensis, passus sit. Interim Brodericzianæ Collationi restitit. Et Ferdinandus Beneficium ipse contulit. Nec in sua Expeditione Posegam Quinque Ecclesiensis esse Diœcesis, expressit. Quin Zagrabiensi eam attribuit, ut ex Olahi *Hungaria* est colligere. Imo dum *Joannes* Capitulo Colationem Regiam præsentâsset, hæc Zagrabiam missa est. Et *Simon* Zagrabiensis Eppus contradixit. Coram Chasmensi Capitulo, uti Ritterus ipse notat, fatendo: se Regiam hanc Donationem inde descripsisse. An *Persurich* Canonicè institutus fuerit? non constat, quia à Turcis paulo post occupata: & dissolutum Capitulum, quod necdum restitutum est. Neque plura. Zagrabiensis Posegam esse Diœcesis, superiora testantur, & Zagrabiensi Diæcesi 1701. Item 1717. per sententias, Regia Authoritate firmatas, data est. Plura hac de re & alijs Parte III. dabimus.

CAPUT VII.
De Residentia Episcoporum Zagrabiensium.

RESidentiam Episcoporum Zagrabiensium circa eandem fuisse Ecclesiam, à fundati Episcopatus exordio, existimabat Vinkovichius: Ubi tribus vicibus notabili ruina percussam describit: *Prima quando Tartari Hungariam & Sclavoniam sub Regimine Belæ Regis, hujus nominis quarti, occupaverant, occupatam Triennio ferè possidentes vastârunt.* Aliarum duarum ruinarum non meminit, fors eas indigitare volens, quæ tempore *Joannis* Coruini cum *Simone* Episcopo Zagrabiensi bellantis, & sub Ferdinando I. acciderant. Ea tamen videtur esse Vinkovichij opinio quod à primordio Episcopatus, totum illud putârit esse Episcopi Residentiam, quod olim *Castrum* nunc *Arx* dicitur, & ubi hodie Amplissima est Episcoporum Zagrabiensium Residentia. Sed an cum fundamento, vir alias à Doctrina Zelóque meritissimus, hoc opinari potuerit multum ambigimus. Profectò temporibus suis, & traditio, & rudera, quin & literaria documenta plura exstiterint, ex quibus dubitare saltem potuisset

Levakovich, & Ritterus quamvis non negarent Zagrabienses Episcopos habuisse statim ab exordio, Zagrabiæ Residentiam aliquam, & quidem Castro Regio propinquiorèm. Attamen dubitant multùm, an totum illud, quod hodie Residentia est Episcopi, & *Arx* appellatur? fuerit ab olim Episcopi Zagrabiensis residentia. Dubitantes ex his fundamentis.

1mo. Castrum Zagrabiæ Regium fuisse, indubium est. Omnes enim Provinciæ sive Comitatus à Castris Regijs denominationem accepêre. Cum autem Zagrabiensis Comitatus inter antiquiores & celebriores memoretur: proprios olim Comites, & in loco ipso residentes, ac Judicia publica celebrare solitos, habuerit.

2. Præstaldos Regios, ac ipsos Regni Sclavoniæ Banos, Zagrabiæ inhabitasse, ibidemque sua munia frequenter executos fuisse, nullum dubium est.

3. Inter Metas dicti Episcopatus ab Emerico Rege Anno 1201. commemoratas ad Castrum Regium Zagrabiense habitâsse leguntur *Vinitores Regij, Servitores Regij.*

4to. Bela Rex Hungariæ in Certo Diplomate Anni 1257. annotante Eodem Rittero sic habet: *Hala Filius . . . . Chvet, Woloyn, Filij Bodieh, qui de Jobagionibus Castri Nostri Zagrabiensis fuerunt oriundi, mole paupertatis oppressi se cum terris suis domui sancti Sepulchri adhæserunt.* Quos cogni-

cognita per Inquisitionem *Stephani* totius Sclavoniæ Bani Causa, Castro suo Zagrabiensi, Rex idem restituit.

5to. Andreas II. etiam in Privilegio dictæ Domus, sive Militiæ S. Sepulchri, ad jura prioratus Auranæ spectante, terram S. Martini (vulgo Boziakovina) quam ijsdem Fratribus Militiæ donavit in Eleemosynam, *à Castro suo Zagrabiensi* exemit. Ex præmissis autem non solum ante Tartarorum irruptionem. sed & post: Castrum Regium Zagrabiense stetisse, frequentes eò Regum diversiones, Commorationesque fidem faciunt. Et quidem ad recentiora Sæcula Statum illius perduravisse, ex eo apparet: quod Mathias I. Hungariæ Rex, tribus anni periodibus videlicet Authumno, Hyeme, ac Vere, moram in Eo traxisse noscatur, ex Epistolis ibidem datis, & à Francisco Varalejo, Regi tunc à Secretis, Conscriptis.

Castrum idcirco Regium fuisse Zagrabiæ, eo loco situm ubi nunc Arx Episcopalis est, præmissa judicare faciunt. Quod & natura loci, & fossæ quæ circa Arcem fuerunt olim, & hodiedum ex parte orientali visuntur, indicare videntur. Quæ olim Ipsam cingebant Arcem, nam ex orientali parte, adhuc fossarum vestigia sunt: à meridionali repletæ sunt, subsequis postea novis ædificijs, ut olim pomarium ibi fuerit, hortus hodie. Parsque illa, Muro cincta sit Ab Alexandro Mikulich Eppo Zagrabiensi. A parte autem occidentali sive versus Capitulum ex Bibliothecæ prospectu, fossa quod fuerit etiam, tam pons indicat, quam Littræ *Marci* olim *Czvetkovich* aliter *Gomthoeken* Civis Capitularis, A Vbli Caplo super certo fundo eidem extradatæ, in quibus: *Cujus nos supplicatione utpote justa exandita fundum ante nominatum* (ad partem fori seu portam Arcis prædictæ) *ad tres cubitos vel ad minus ut domum quam ibidem esset adificaturus Cellario iam per ipsum ex benigna etiam concessione Rssimi in Xto Patris Domini, Dñi Petri Domitrovich Episcopi Zagrabiensis Prælati videlicet nostri dignissimi exstructo aequet.* &c. sub dato Sabbato proximo ante Festum S. Martini Eppi & Confessoris Anno Dni 1614. Ubi has describens Donationales addit, *Notandum patere ex præmissis paribus . . . Et bene enim ego meis oculis conspexerim hortulos Janitorum, seu portariorum e Regione pontis versus Masella erectos ac Inseminatos.* A parte demum septemtrionali memoria nostra, fossa ingens fuerat, quæ 1748. impleri cepta, adimpleta est integrè 1751. Et Castri hujus Regij Appertinentias fuisse magnas indubium est. quæ dein pia Regum liberalitate, diversis donatæ sunt, ut inferiora suis locis docebunt. Pagum *Kralievecz* à diversione Regum ex nomenclatura & fossatis, Regium olim fuisse volunt.

Sententiæ huic favet, Canonicorum olim Zagrabiensium, in Monte *Grech* Commoratio. Sub Bela IV. ut vicus ibi qui Zagrabiam respicit, *Popovszka Vullicza* dictus sit. Arcis Medvedvar exstructio à Philippo Eppo Zagrabiensi facta, quæ cœur fabricata fuisset. Si Arx hæc ab olim, ac ab exordio Episcopatus, Episcopalis fuisset. Tandem in MSS. suis refert Ritterus, se ab Eodem Vinkovich notatum reperisse: quod Castrum illud antiquum, fuerit dirutum inter alias Ecclesias, & Domus, cum novis turribus, & domo Basilica cingeretur.

Credunt idcirco primis illis temporibus & usque ad Mathiam I. Hungariæ Regem Castrum illud Regium perseverâsse. Post quod infra, Civitatem illam veterem *Zagreb dictam* fuisse, sed perexiguam. cujus præcipua villa fuit *Vicus Latinorum* vulgo Vlaszka Vullicza, ita olim dicta quod Itali Mercatores, Sclavonicè *Latini* dicti, Vicum illum inhabitassent. Quæ Civitas à Tartaris destructa eversáque est, circa Annum Domini 1242. Et hanc opinionem tenet in suis Fragmentis Benedictus Vinkovich. Dicitque se eandem eruisse ex Privilegio à Stephano Eppo Zagrabiensi Civibus Vicilatinorum dato, in quo circa Scaturiginem fontis, Civitas *Zagreb* ante Tartarorum eruptionem existens & posita, per Tartaros destructa scribitur. Cujus rudera fabricandæ deserviebant Ecclesiæ. In hac ergò Civitate Vetus illa Epporum Residentia, eaque perexigua fuerit. Confirmant sententiam hanc, rudera quæ etiamnum eruuntur, dum quis ex Vico Latinis è fundamentis nova quædam collocat ædificia, Et cum nec Civitas illa vetus, surrexerit amplius; nec reparata legatur fuisse illa vetus Epporum Zagrabiensium Residentia, facile S. Augustinus Zagrabiensis Eppus, pro PP. sui Ordinis Dominicanis, in eadem Monasterium erexit. In eodem, cum Patribus habitare solitus. Quod dein jussu Mathiæ Regis in Civitatem superiorē Montis Græcensis Zagrabien. translatum est, ut inferius videbimus ex Mandato Mathiæ. *2do.* Ex Ipsis Episcoporum Zagrabiensium Subscriptionibus, Csasmæ, Dombræ plerumque expeditis, ibique habitantibus. Licet quædam & Zagrabiæ expeditæ legantur. ut Osvaldi potissimum. *3tio.* A paritate Castri Regij Topliceusis, in quo Abbas Theobaldus nomine, cum aliquot Ordinis sui Cisterciensis Patribus manserat, & ab Andrea II. fundata fuit Abbatia illa, Cum tamen idem Andreas ad Sclavoniæ Comites scribens, mandat suum Castrum, Domumque Toplicensem custoditum iri, ut testaretur Ejus Epistola Registrata in libro privil. Abbatiæ Toplicens. in Archivo Eppali sub Nro X. testante Rittero. Uti ergo Toplicæ & Residentia Cisterciensiū & Castrū fuêre Regium, ita Zagrabiæ, aut in Castro Regio aut prope idem Castrum *Monasterium*

 Zagra-

Zagrabiense (ita enim in Antiquis legere est) sive Residentia Eppalis. Basilica autem, pro more Sclavoniæ in Medio Castri fuerat, Capella Regia dicta, & Canonici Capellani Regij, uti superius dictum est, & eruitur ex privilegio. Ecclesiæ Quinque Ecclesiensis à D. olim Ladislao dato.

Mathiam idcirco I. credimus Vetus illud Castrum Donâsse Episcopis, pro illorum Residentia, præcipue cum jam ante illum Castri Regii Appertinentiæ fuerint, in diversas Abbatias erectæ. Quædam Zagrabiensi Ecclesiæ donatæ etiam. Quadam Religiosis aliis, puta Templariis &c Et pro illius reparatione, ac amplificando fundo Vetus Dominicanorum Monasterium in Civitatem Montis Græcensis translatum fuisse. Ad hoc autem ita judicandum, sequentia Nos movent fundamenta. Primo Vladislai Regis, qui Mathiæ successerat: Literæ ad Capitulum Ecclesiæ Zagrabiensis tenoris sequentis: *Vladislaus DEI Gratia Rex Hungariæ, Bohemiæ &c. Fidelibus Nostris Honorabilibus Capitulo Ecclesiæ Zagrabiensis salutem & gratiam. Expeditis jam tandem negotiis, Nostrum & totius Regni commodum & utilitatem concernentibus, remisimus ad illam Ecclesiam Zagrabiensem Fidelem Nostrum Reverendum in Christo Patrem Dominum Lucam Electum Ejusdem Ecclesiæ Dominum & Prælatum Vestrum, cui inter alia Negotia Nostra expedienda injunximus: ut Ecclesiam illam Zagrabiensem diu multumque neglectam, ac etiam palatium & domum Episcopalem reformare & restaurare debeat. Et ne tam solennis Ecclesia, cum tantis expensis ad Laudem DEI Omnipotentis fundata, per incursus Turcarum possit aliquando destrui, Commisimus eidem Dño Lucæ, ut non solum præfatam Ecclesiam, & Domum Episcopalem reformet, sed destructo jam veteri Castro juxta Prædecessorum nostrorum indulta, Multo & aliis novis propugnaculis meliori Ordine quo fieri poterit, fortificet. Ad quæ omnia, ut vos ipsi considerare poteritis maximis sumptibus opus erit; Fidelitati Vræ, harum serie percipimus & mandamus quatenus statim acceptis præsentibus illos decem milia florenos, quos Reverendus quondam Dominus Osvaldus Episcopus illius Ecclesiæ Zagrabiensis ad præfatos labores testamentaliter legaverat, sed & alias omnes pecunias ejusdem, quæ apud vos, vel alterum Vestrum, qualitercunque repositæ sunt, integrè & sine aliquo defectu manibus præfati Dñi Lucæ assignare debeatis & teneamini. Secus non facturi. Budæ Feria sexta proxima post Festum Ascensionis Domini Anno* 1500. Ex quibus eruitur, Osvaldum Castrum illud Regium impetrâsse, à Mathia credibilius, destruxisse, ad reparandam primo Ecclesiam, dein construendum Episcopale Palatium, haud tamen consummâsse, sed ad opus, prædictam pecuniam legâsse,

2dò. Ex Evocatoriis tenoris sequentis: *Amicis suis Reverendis Capitulo Eccl. Chasmensis Comes Georgius Turzo Regni Hungariæ Palatinus &c. Expositum est nobis in Persona Spectabilis ac Magnifici Comitis Thomæ Erdeodij &c. Tit. Filii autem Spect. ac Magsci condam Dñi Petri, Filii alterius Petri Filii quondam Nicolai Erdoedy Fratris scilicet carnalis Rssmi quondam in Christo Patris Thomæ Cardinalis Strigoniensis Ttl. qualiter superioribus temporibus Anno videlicet* 1513. *transacto, ad annum usque* 1521. *inclusivè, similiter transacto præterit. Præfatus condam Dominus Thomas Cardinalis ad continuationem laboris & fabricæ Ecclesiæ Zagrabiensis atque Arcis circum eam, per Rssmum quondam D. Lucam Episcopum muro exstrui incepta, in area Capitulari & Comitatu Zagrabiensi existentis & fundatæ per manus Honorabilis Capituli dictæ Ecclesiæ Zagrabiensis paratæ in pecunia flor. auri decem mile & tercentos numerâsset* &c. volens pecuniam hanc Capitulo datam à Thoma fuisse, cum tamen aliter compertum etiam ex Testamento Thomæ fuerit. *Anno* 1611. *in Festo B. Egidii Abbatis.* Ex quibus volunt.

Ab Episcopo Osvaldo Locum Residentiæ Actualis totum impetratum à *Luca* Eppo opus incoatum, à Thoma Erdoedio Cardinale, qua Episcopatus Zagrabiensis administratore, continuatum fuisse, turrésque saltem aliquæ (ut ex Insigniis & Anno 1517. supra minorem portam versus Capitulum excisô indicant) exstructæ. Dein à successoribus continuatum opus est, Ipsa Episcoporum Residentia, non adeo magna existente, cùm primo eam *Bratulich*, Episcopus Zagrabiensis ampliare & erigere inceperit, nec consummaverit, sed *Petrus Domitrovich* E. Z. ad turrrim usque extenderit, nec consumando opus, cùm in pavimentis & Tabulatis *Petrus Petretich* Episcopus Zagrabiensis illud perfecisset.

Videtur aliis, Ab origine Episcopatus Residentiam fuisse, hunc ipsum in quo hodie est locum, Ast cum multis Annis Sedes hæc vacâsset sub diversis administratoribus Resi, dentiam illam, tunc Castri Regii nomen sortitam fuisse, quia nempe sub Regum cura fuisset. Contra quam sententiam superius hoc Capite relata sunt. Ubi Emerici, Belæ, Andreæ temporibus Mentio *Castri Regii* Zagrabiæ est. Sub quibus tamen Regibus, suis provisa fuit hæc Sedes Episcopis.

Nobis quid sentiendum? constituere durum est. Profectò sub Emerico, Andrea Hungariæ Regibus Mons Græcus, sive *Greez* Castro caruit, nec Regia fuit Civitas, ut dicamus *Castri* nomine, Civitatem hodie Regiam venisse. Et *Zagrabiæ* appellatione nunquam antiquitus venisse, ex tot monumentis comperimus, Civitatem hodie Regiam. Hinc cùm Andreas

dreas II. *à Castro suo Zagrabiensi* Bozakovinam eximit. Verosimilia videntur, quæ Ritterus scriberet. Interim longè ante Mathiam Regem: Anno nempe 1284. Ladislaus Rex. VII. Idus Junij Regni sui Anno XII. super fundo qui nunc *Area Capitularis* dicitur, dedit Privilegium. In quo refert. Qualiter ex Episcoporum Indulgentia Bani Sclavoniæ in eo fundo, Domos & hospitium suum habuerint, isque fundus ita ab Ecclesia abalienatus sit, cum autem à Fundatione Ecclesiæ ad eam pertinuisse, planè edoctum se fateatur, Quod ad preces Thimothei Eppi Zagrab. eum Ecclesiæ restituat, ita : ut Episcopus eum muniro pro Fratribus Ecclesiæ suæ debeat, nempe Canonicis, ne cum vacuus hactenus & desertus à decem circiter Annis fuerit, si deinceps etiam ita maneret, aditus illac Teutonicis, aut aliis hostibus contra Zagrabiam nocendi pateat. Mandat demùm ne Banus, aut ullus alter Episcopum vel Capitulum, ratione ejus fundi molestet. Uti hæc notat *Marcellevich.* adjungens Inscriptum esse : *Litt. super Area Capitulari Banievadvora.* Et postquam Ladislaus Eppus Zagrabiensis *Dionysio* Clerico & Notario Capituli Zagrabienfis fundum Curia Bani dictum, pro illius servitiis cum potestate legandi dedisset. *Stephanus* Episc. Zagr. Anno 1357. Sabbato ante Octavas S. Stephani, cum consensu totius Capituli, Eidem Dionysio tunc Archidiacono Kemlek, & Can. Zagr. dat facultatem, eundem fundum *Curia Bani* vocatum, in una medietate applicandi, pro Capella Altariæ S. Mariæ Magdalenæ: in alia medietate, ex parte hospitalis, eidem hospitali.

Ex quibus apparet, Ecclesiam Zagrabiensem in usu Donationis Regiæ fuisse. In qua Donatione, cùm Ladislaus Rex fateretur, se plane edoctum, quod à *Fundatione Ecclesiæ, fundus iste ad eam pertinuerit*, videretur, locus Residentiæ Episcopalis contiguus, etiam pertinuisse. Attamen cùm Castri nulla sit mentio, responderi posset, Fundum datum fuisse, non verò *Castrum.* ideo constituere nil possumus. Eccur autem à *Decem Annis Desertus dicatur fundus*, & ne *deinceps aditus Teutonicis pateat* in *Historia nostra Civili* DEO dante narrabimus. pro nunc lector consulat, quæ pag. 33 & 34 superius dicta. Ex quibus intelliget aliquà, nam illorum & postea, fuit continuatio bellorum.

Sed ad Proposita reddeundum. Equiti Paulo Ritter, nullatenus possumus adhærere. Qui in suis MSS. contendit : ad Petri Domitrovich Eppi Zagrabiensis tempora Regium illud perseveràsse Castrum. Regibúsque perpetuo absentibus causa amplioris domicilii, illud Domitrovichium occupàsse. Et dum Censensus Regii non meminit, videtur factum clancularium Domitrovichio attribuere Quod, quis sibi persuadeat, passos fuisse Croatiæ Banos, aliósque Proceres, ut Domitrovichius istud, attentare præsumpsisset? Ita autem scribit Ritterus : *Post modernæ Basilicæ perfectionem usque ad Eppi Domitrovichii Præsulatum, non fuit magnifica Episcoporum Residentia : dum ante ipsam Canonici constructis circa Muros Ecclesiæ Cellulis admodum arctis, continebantur. Uti harum Vestigia etiamnum visuntur. Atque hoc ipsum tum ab Episcopo Selischevichio, cum & à Mikulichio veraciter audivi. Et quidem Mikulichius à Patre suo (cujus memoria ædiculæ illæ à Canonicis habitabantur) id se audisse ingenuè fatebatur. Domitrovichius autem altioris Domicilii cupidus Regibus perpetuo hinc absentibus, Angularem turrim intra occidentem & meridiem* (ubi hodie & in qua Archivum Eppale est) *respicientem possedit, sociósque Canonicos quorum tres aut quatuor ultra non habebat, in media versus occidentem, supra minorem portam collocavit, qui Collegialiter cum Episcopo viventes, cum eo Mensam habebant. Reliquis Canonicis in Archidiaconatibus & Parochiis, quos administrabant existentibus. Idem postea 1616. novum ædificium ab antiqua domo Regia vulgo Stára Polacza turrim usque præfatam fieri fecit, quod Episcopus Petretich ad perfectionem Pavimentis & Tabulatis, reduxit. Secus Anteriorum Ipsa, Episcoporum incolatus Csasmæ quam Zagrabiæ frequentior fuisse Scripturis ipsorum docetur.* His inquam à Rittero scriptis assentiri ob præmissa non valeo. Sed neque consentio : Canonicos suas ædes antea non habuisse; extra Episcopi Residentiam, cum OSVALDUS Episcopus, Civibus : hodie Areæ Capitularis dictis, intra Capitulum erigendas domus Concessisset. Et in Nova Villanorum à Capitulo Ipsis extradato Privilegio memoretur domus ex muro erecta à Stephano Archidiacono de Varasd, quam esse hanc putamus, quam nos hodie incolimus. uti ex eodem Privilegio est colligere. Qua ergò ratione Cellulas illas Canonicorum, Episcopi Mikulich, & Selischevich, poterant referre, & de iisdem testari? Pervolventi illorum temporum historiam Civilem, & deprehendenti continua Bella, Turcarum impetus, facile conjicere est, Canonicos securitatis causa; (necdum Cincto Muris Capitulo, quod Gregorius Subarich qua Decanus Capituli perfecit) sese ad Episcopalem recepisse residentiam. Et cum hæc angustior esset, nec ipsis hospitium prebere posset, Cellulas illas, sibi ibidem extruxisse, purè necessitatis. Cœterum foris in area Capitulari, domus etiam suas habuisse. Quod Parte 3tia demonstraturi fusius. Quin & in Episcoporum serie occurrent aliqua. Hactenus de veteri illa Episcoporum Zagrabien-

ſium Reſidentia, quæ ad Annum 1730. exſtitit. Nunc quæ eſt, Magnifica omnino & ſplendida eſt, ut intuentis teſtis eſt oculus. Hanc æternæ Memoriæ Epiſcopus Georgius Braniug ex fundamentis erexit. Incipiendo à Turri quadrata verſus orientem, ut ibidem ſua ſunt, in Cratibus feneſtræ, inſignia, infra quam turrim eſt porta major, à Vico Latinorum, indeque progreſſus ex orientali parte ædificium deduxit, ad Rotundam turrim orientem dividens à meridie, totumque tractum ad Meridiem extendit, usque turrim Meridiem ab Occidente ſeparantem. A qua verſus Occidentem eſt Cubiculum unum, & dein ampliſſima Bibliotheca. Ad tres Arx tota erecta eſt, ut dicimus continuationes. Optimè aptatis Cubiculis, & ex arte formatis, ut defectus obſervari non poſſit alter, niſi quod tantæ Magni Epiſcopi Munificentiæ, elegantior dignaque illo memoria, collocari deberet. Quam ille, ex humilitate neglexit. Turres antiquas, quarum Rotundæ quinque ſunt, & duæ quadratæ, ſub quibus patet ad arcem ex utraque parte aditus, integras reliquit, nec eas dealbare permittens, ut ex his vetuſtas appareat, & ſubſequens non dicat ætas, illas Braniughij opus eſſe. Nolens Anteceſſoribus ſuis, vel in minimo derogatum, Atque hæc, de Epiſcoporum Zagrabienſium Reſidentia, ſine cujuspiam præjudicio, pro veritate ſcripſimus. Libertatem relinquendo cuivis, quod placet tueri.

CAPUT VIII.

De Privilegijs Eccleſiæ Zagrabienſis.

AMpliſſima Eccleſiæ hujus fuiſſe olim Privilegia, vel ex eo mihi perſuaſum eſt, quod ſingularem ſemper ſuorum Regum Principumque experta ſit affectum, uti ex tot tantisque Legi monumentis, quæ longum foret recenſere. Hinc nemo exiſtimet, deeſſe eidem alia, Et plurima quidem, quod Nos illorum non reminiſcamur Profectò ad commendandam Apoſtolicorum Hungariæ Regum pietatem, Barbari eſſemus, ſi ea ſilentio pretermitteremus, vel negligeremus. Sed cùm ad Theſaurum iſtum nunquam pervenerimus, ea tantum daturi, quæ *Levakovich*, *Vinkovich*, Ritterus deſcripſerunt.

Primorum illorum Hungariæ Regum, Ladislai, Colomanni, ſed nec Andreæ II. omnia (quorum perſæpe Vinkovich meminit) Privilegiorum tenores vidimus. Hoc ſolum comperimus, perſecutionum illarum temporibus, quibus, injurias multas, accepit Sclavonia, Eccleſiæ hujus Literalia documenta primùm ad Albenſe Capitulum fuiſſe olim traslata, ita enim Mandaſſe Stephanum Regem Comperio; Stephanus DEI gratia Rex Hungariæ, Fidelibus Suis Capitulo Albenſi ſalutem & gratiam. Mandamus Fidelitati Vræ præcipiendo, quatenus reſcripta ſeu tranſumpta Privilegiorum Venerabilis Patris Timothei Epiſcopi Zagrabienſis dilecti & Fidelis Noſtri, quæcunque & quandocunque Eidem placuerit, ſive pro ſe ſive pro Eccleſia ſua Zagrabienſi ſub Veſtro Sigillo autentico dare, ſeu aſſignare debeatis aliud non facturi. Datum Budæ feria ſecunda proxima poſt Dominicam Reminiſcere. Vigore cujus Commiſſionis Regiæ, poſtulante Mgro Joanne Theſaurario Zagrabienſi, Privilegium Emerici Regis ad Ejusdem poſtulationem Eidem ſub Authentico extradedit. Tenoris ſepuentis.

Privil. Emerici. Eximens Populum Eccef. à Judicatu Bani.

„ In Nomine Sanctæ Trinitatis, & Individuæ Unitatis. Emericus DEI gratia Hungariæ, Dalmatiæ, Crovacenſis Ramæque Rex in perpetuum. Quanto Excellentiori beneficiorum commoditate Regia Celſitudo Cœlitus perpenditur viſitari, tanto Divinæ gratitudini obligatior ex eorum efficitur acceptione. Ut eo amplius de bonorum affluentijs quam ſummi diſpenſatoris nutu ad uſus temporales ſibi ſunt ſuppeditata, vice reciproca beneficam ipſius Clementiam tum in Eccleſiarum indigentijs ſublevandis, tum in alijs pietatis operibus quoad poterit exercendis compellatur honorare. Volentes igitur quod in futuræ exultationis Patria cum multiplici ubertate Domino largiente metam in præſentis exilij & luctus loco ſtudioſius ſeminare, deſtitutioni & diſpendio temporalium, quod per Gueræ tempeſtatem Zagrabienſis Eccleſia ob fidelitatis Conſtantiam coronæ noſtræ efficaciter exhibitam perpeſſa eſt, pietatis intuitu duximus conſulendum. Concedimus itaque ut nulli Bano populum Eccleſiæ memoratæ pro deſcenſu, ſeu mardurinarum ſive præbendæ liceat exactione moleſtare, ſed in omnibus his, tum Cheſmagenſes & Dumbrovenſes, tum etiam populi Eccleſiæ, ſuo tantum teneantur, Epiſcopo. Sancimus etiam & ſtatu incolumi volumus imposterum perdurare, ut de marturinis noſtris, vel pro

„ ven-

„ ventibus, qui loco marturinarum exhibentur, quam etiam de porcis, qui in Episcopali
„ Zagrabiensi colliguntur, Ejusdem loci Episcopi Decimas integrales sine alicujus contra
„ dictione percipiant. Ut autem hæc Regiæ serenitatis institutio perpetuæ stabilitatis robur
„ obtineat, præsentem paginam imaginis nostræ Sigillo communivimus. Datum per manus
„ Desiderij Aulæ Nostræ Cancellarij Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo centesimo no-
„ nagesimo nono Venerabili Job Strigoniensi Archi Episcopo existente. Reverendo Saul
„ Colocensi Archi Episcopo, Calano Quinque Ecclesiensi Eppo, Ugrino Jauriensi Eppo, Ad-
„ riano Transylvano Episcopo, Dominico Zagrabien. Eppo. Catapano Agrien. Eppo, Joanne
„ Chanadiensi Eppo, Kalenda Wesprimiense Eppo Mag Palatino & eodem Comite Bachi-
„ ensi, Nicolao Bano & Eodem Comite de Zala, Nika Comite de Bikor. Fulcone Comite de
„ Budurg, Chefano Comite Suprùm, Ampudino Comite de Zonogh, Dionysio Comite
„ Wyar. Verumque ipsum Privilegium Sigillo Cereo roboratum & munitum nullum in se
„ Cancellationis seu litturæ vitium continebat. Nos mandato Regiæ Celsitudinis debito
„ cum honore recepto Ejusdem transcripto Nostræ Universitatis Sigillum, duximus appo-
„ nendum. Anno Dni 1272. XVIII. Kalend. Maij, Mgro Demetrio Ecclesiæ Nostræ Præ-
„ posito, Nike Cantore, Feliciano Custode, Sebastiano Decano existentibus.

Arbonam quoque occasione tantarum persecutionum, præcipue Tartarorum, translata fuisse Ecclesiæ hujus monumenta, indubium est. Quæ an inde reportata, saltem universa, ignoramus.

Andreæ II. Regis Privilegiorum, omnes qui de Ecclesia Zagrabiensi scripserunt, faciunt mentionem. Nos, duo tantùm, quæ à GREGORIO Papa IX. confirmata sunt, ab Amico quodam, ex Italia obtinuimus. Hæc: Capitulum Zagrabiense concernunt quidem potius, ut alibi melius recensenda venirent; attamen, cùm Ecclesiam quoque respiciant, ob illa quæ superioribus Capitibus dicta sunt, & Parte II. dicentur, hic inserenda putabamus.

„ In Nomine S. Unitatis. & individvæ Trinitatis. Andreas DEI gratia, Hungariæ,
„ Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Serviæ, Galliciæ, Lodomeriæque REX in perpetuum. Quod
„ accedens in Nostri præsentiam CIRIACUS Zagrabiensis Ecclesiæ Præpositus, cum suis
„ Concanonicis, quæ tam propter diversitatem voluminum, quam propter diuturnam
„ temporum annositatem, seu etiam propter Donationis recentiam, si quæ nullius autho-
„ ritatis suffulta fuerant testimonio, & non adeo bene conservari poterant verbo ad ver-
„ bum rescripta, Cum in susceptæ peregrinationis essemus procinctu sub hac serie
„ nostræ præsentârunt audientiæ. Omnia recensens ordine suo Bona Ecclesiæ. Quæ gratam Benefactorum memoriam, ut sciatur superesse á tot Sæculis, Eorum in Zagrabiensi Ecclesia, debitam in Quotidianis precibus memoriam, refferemus. Ex Eodem Privilegio.

„ 1mò. Terram Zagrabiensis Ecclesiæ Donatione Nostri Patris Belæ, inclytæ memo-
„ riæ iure perpetuo. Suscepit possidendam *Hæc terra in Comitatu Crisiensi creditur, fors data à*
„ *PRODANO Episcopo.* *Ob* Corusca *quæ in metis ponitur. Ubi fit mentio*: Clavi gerorum *ad*
„ *metam Clavigerorum. Item* Crucigerorum *&* Templariorum.

„ 2. *Terra, quam* TOTAR *quidam donavit: in Comitatu Crisiensi, à* Porta Lapidea *ad*
„ *Bogasteva. &c.*

„ Item Toplicza, quam ALEXIUS condam Banus contulit. *Meta &c.*

„ Item RABUCH Quam Pater noster BELA contulit metæ &c.

„ Item PREMLA Quam quidam Nobilis nomine PETRUS contulit, Quæ ad hoc, ut
„ Ecclesiæ pluries dictæ, Cœram solveret, deputata est. *Ubi dicitur: Et* ibi est meta Popu-
„ lorum Regis *Item* ab Oriente dividit terram cum Populo Regis.

„ Item Terra Zaversya, quam Joannes Præpositi Cyriaci Avunculus contulit.

„ Item OPOR. Quam BLASIUS vir felicis memoriæ, condam Abbas S. Martini con-
„ tulit incipit versus orientem à Via Regis *&c.*

„ Item Cassina quam Quidam nomine Utha cum suis Fratribus contulit. *Ubi commeta-*
„ *tur, cum terra Templariorum, & sub iisdem continetur* Kralievcz *&* Zviblia.

„ Item Meta Podgoriensis Prædy, quam Martinus Banus Fidelis noster indigentiam
„ Zagrabiensis Ecclesiæ considerans contulit, dicta S. Petri de Volavja aliter Petrovina.

„ Item Terra, quam quidam nomine ZAMAR filius DASLAI contulit *cum metis.*

„ Item Terra quam NADIZLAUS contulit à rivo qui dicitur Cosnicza *ubi fit mentio cu-*
„ *jusdam* HUALK.

„ BLATA quam Endus contulit *post cujus metas.*

„ Insuper (*sunt verba Privilegii*) ut Ecclesia sæpedicta contra cujuslibet falsæ cavillatio-
„ nis seminarium, quod emergere posset imposterum, terras quas BARAN Decanus, Rez-

„ trik videlicet, Zepnicza, Brezt, terra Sziheneh Wethe, Tarnova, cum terra Cœani, „ & Duls, quam NUES Bachachiensis Præpositus, eidem Ecclesiæ contulit, prout in No„ stris earum veritas continetur Privilegijs, cum quadam Insula nomine Prevlaka, cum tri„ bus clausuris piscaturæ, quas memoratus BARAN Decanus Eidem Ecclesiæ contulerat, „ sed occupatus morte, nondum super hoc impetrare potuerat Privilegium - - tranquilla „ pace possideat in perpetuum præsentium serie, censuimus annotare. In his omnibus No„ stro Fideli & dilecto Buzad Comite, Authoritate & præcepto nostro, Procuratore hu„ jus negotij existente.

„ Item cum ea quæ DEO dicata sunt, firma sint & irrevocabilia, præsentium atque „ posterorum notitiæ commendamus. Quod cum Stephanus Zagrabiensis Ecclesiæ Epi„ scopus, quosdam terras *Pribissou*, *Drenchina*, *Odra Zizek*, Ejusdem Ecclesiæ contulit, „ Sed cum postea falsa Suggestione, Donationem duarum terrarum, *Odra*, & *Zizek*, mo„ litus esset retractare, Sed Nostra pace, nec non Consilio ad plenam pacem & jurisdi„ ctionem quievisset Ecclesiæ, prouti in authentico Summi Pontificis, & Colocensis Ar„ chi-Episcopi Chirographo continetur. Nos etiam præsenti Privilegio dignum duxi„ mus confirmare, Cœterùm sicut supra meminimus, cum Ecclesiam sæpe nominatam an„ nuente Domino, quod jam dudum desideravimus, dedicari fecimus, & eam in majori „ dotare non possemus, suis competientes necessitatibus, & maximè quia sitam in Regni „ Nostri Confinio, sicut de aliis Ecclesiis facimus, hanc nostram rarissimè visitare non „ possimus. Juxta tenorem Privilegij Fratris Nostri Henrici Regis præclaræ memoriæ, has „ sibi libertates concessimus. Quatenus universi populi, qui ad eam pertinent, nec Ba„ no, nec Vice-Bano, nec alicui in Victualibus, & descensibus, vel in marturinis, vel „ in Judiciis vel ullius unquam occasione rei, respondere teneantur. Quin etiam ut de „ jure memoratæ Ecclesiæ ante nostræ circumspectionis oculos, nihil in discussum rema„ neat supramemoratus Ciriacus Præpositus Zagrabiensis Vir discretus, in Agendis pro„ vidus, terras suas & suorum Fratrum Quintiani & Bocchan, Cassina & Blagussa, cum „ Insula juxta fluvium Zava, cum quadam terra nomine Tupal, quam nos sibi dedimus, „ & novo prædio & Dolsicza, cum his etiam quæ in territorio Kemlek ad eos pertinent, „ in Protectionem & Jurisdictionem Zagrabiensis Capituli contulit . . . eximendo ite„ rum à Bani, & Vice-Bani judicatu, & addendo: „ Si verò memoratum Bocchan, super „ aliqua causa tam ardua, quæ per Zagrabiensis Ecclesiæ Conventum, & ejus Ministeria„ ad plenum definiri non posset contingeret impeti, tam eum, quam alios ab omnium e„ xemptos judicio, Regiæ solummodo potestatis discussioni volumus reservari.

„ Prima verò meta terræ Cassina incipit &c. Referendo metas, Cassinæ: Tupal: „ *Dolsicza:* quibus positis prosequitur.

„ Sane quia sæpenominatam Ecclesiam omnimoda volumus libertate perfrui. Donatio„ nem quam quidam Ægidius nomine, quem à Jurisdictione Banatus per Nostrum Privilegiũ, „ cum suis terris, ad petitionem Nostri Fidelis Ciriaci Zagrabiensis Præpositi eximimus, fa„ ctam confirmavimus... Verùm quia facili lapsu, rei gestæ memoria, mentes mortalium „ deserit, ut hujus Negotii deliberatione Legitima, per nos pertractata ratio, contra quodli„ bet Privilegium in hujus paginæ præjudicium, per Bankonem vel Ochuz Comitem, vel „ per quempiam alium nobis ignorantibus impetratum, quod in respectu præsentis Privi„ legii Cassum esse debet, penitus & inutile, salva semper & inconcussa permaneat. Præ„ sentem Cartulam Nostris Successoribus jure jurando cōmendavimus illibatè conservan„ dam. Auctoritatis Nostræ Caractere in perpetuum roboratam. Datum per manus Ma„ gistri Ugrini Aulæ Regiæ Cancellarii. Anno ab Incarnatione Domini M.CC.XVII. „ Vbli Joanne Archi-Eppo Strigonien. Rñdo Bertholdo Archi-Eppo Colocen. existenti„ bus. Calano Quinque Ecclesien. Eppo. Vilelmo Ultrasilvano Eppo. Simone Vara„ dien. Eppo. Roberto Vesprimi. Eppo. Desiderio Chanadien. Eppo. Jacobo Bacsien„ si Eppo. Petro Javrien. Eppo. Stephano Zagrabien. Eppo. Thoma Argiensi Ele„ cto. Episcopis Ecclesias feliciter gubernantibus. Jula Palatino Comite existente. Dio„ nysio Magistro Tavernicorum & Comite Novi Castri. Ochuz Curiali Comite. Ban„ kone Bano, Rosoin Vaivoda. cœterisque Cōmitibus, Comitatus tenentibus. Regni „ Nostri Anno XIII.

„ Aliud Andreæ II. Regis Privilegium, vel Donatio Rectius, Quâ: De Nostris „ terris propriis (*ut ibidem loquitur*) scilicet de terris Castri Zagrabiensis, terras videlicet „ Rodus, Viduſſe, Kupuk, & Brache à Castro Zagrabiensi exceptas, Ecclesiæ perpetuo „ possidendas contulit, & per Reynolt certis Limitibus undique distingui præcipit. Metas „ ordine recensendo. Ubi meminit terræ Populorum Regis. Dicit item: Et medietas „ aquæ Zavæ pertinet ad Ecclesiam, concludens; Datum per manus Cleti Aulæ Regiæ

„ Can-

„ Cancellarii & Agriensis Præpositi. Anno Dominicæ Incarnationis M. CC. XXI. Venerab. Joanne Strigonien. Rñdô Ugrino Colocen. Archi-Eppis existentibus. Desiderio Csanadien. Vilelmo Ultra-Sylvano, Roberto Vezprimensi, Thoma Agriensi, Stephano Zagrabiensi, Alexandro Varadien. Bartholomeo Quinque Ecclesiensi. Et aliis Episcopis, Ecclesias feliciter gubernantibus. Nicolao Palatino & Comite Soprunienſ. Ochuz Bano, Paulo Vayvoda, Jula Curiali Comite Reginæ, & Comite Rindrugien. Dionysio Mgro Tavernicorum, & Comite Bacsien. Bankone Curiali Comite Regis & Comite Albensi, Demetrio Senescalco, & Comite Vasvariensi, Laurentio filio Ochuz Magro Pincernarum & Comite Kevejen. existentibus. Regni Nostri Anno XVIII.

Præmissa duo Privilegia Gregorius IX. acceptavit, confirmavit, unà cum Privilegio Emerici Regis, ac Stephani Episcopi Zagrabiensis Donationem Decimarum *Cultelli Zagrabiensis Parochiæ* ut dicit, ac Decimis de Gvercsa.

Plura Andream II. Ecclesiæ huic dedisse Privilegia, certum. uti horum Scriptores reminiscerentur. Sed nos alia non obtinuimus. Hinc

Privilegium Caroli Regis.

De Eadem Exemptione, & aliis Prærogativis.

„ CAROLUS DEI Gratia Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ Ramæ, Serviæ, Galliciæ, Lodomeriæ, Cumaniæ, Bulgariæque Rex ad perpetuam Rei memoriam. Regiæ Majestatis honor Divinarum rerum exercitio decoratur ut Actionis suæ, gratitudinis studio illic aciem imprimat, unde se novit munus Celsitudinis recepisse. Tantoque in suæ dignitatis gloria clarior permaneat, quanto in Deitatis cultu soliticior invenitur. Qua nos consideratione permoti noctes insomnes ducimus; ut Divinum Cultum subditorum animis venñabilius commendemus. Inter cœtera vero Religiosæ considerationis studia ad Zagrabiensem Ecclesiam quam felicis Recordationis Illustrissimi Ladislai Regis commendat fundatio, Progenitoris Nostri, specialis affectionis gratia mentis aciem intendentes comperimus eam pia majorum nostrorum diligentia uberiori dignitatis gratiæ decoratam, ut Ejus Ministri tanto deberent pleniori cura, Divino cultui deservire, quanto se cernerent Principum diligentia copiosiore libertatis gratia decorari quorum nos affectu gratuito vestigiis inhærentes, hac in perpetuum valitura definitione sancimus. Omnes Ejusdem Ecclesiæ possessiones vel terras quas seu Regum munifica Largitione, seu alias justo titulo Regiæ Majestatis accedente consensu obtinet in præsenti, vel etiam imposterum obtinebit, cum omnibus incolis suis, soli præfati Ecclesiæ id est Episcopi, vel Capituli Jurisdictioni fore subjectas. ac ab omni cujuslibet Sæcularis Potestatis Dominio, vel Subjectione Liberas pœnitus & exemptas. Ita videlicet ut earundem Possessionum incolæ, in omnibus Judiciis, maleficiis & excessibus, ad nullius tribunal, quam ipsius Ecclesiæ, vel Officialium Ejus valeant advocari. Quod si Eppus in reddenda justitia negligens fuerit, aut remissus, non is, contra quem agitur, sed ipse Episcopus, citatus in Nostri Præsentia facti sui rationem reddere teneatur. Præterea iidem Populi, Marturinas, descensus, servitia, annonas, collectas undecim Denariorum & Collectas septem Denariorum, ac alias præbitiones quocunque nomine nuncupatas, nulli alteri quam præfatæ Ecclesiæ impendere teneantur. Addicimus etiam, ut Tributarii vel Salinarii seu etiam Monetarii Regis, vel quorumcumque aliorum ad ipsius, seu Officialium ejus voluntatem, causa exercendæ suæ Negotiationis accedere non præsumant, Quod si fecerint, per Officiales Ejusdem Ecclesiæ Capti, quadraginta diebus in Carcere teneantur, omnes res, quas tunc erga se habuerint amissuri. Decrevimus etiam ut nec Dux, nec Banus, nec Comes quilibet, etiamsi de Latere Nostro missus fuerit, in Ejusdem Ecclesiæ Populis descensum aut aliquod aliud obsequium. vel munus extorquere valeat, absque ipsius Ecclesiæ, vel ejus Officialium voluntate. Ejusdem quoque Ecclesiæ Populis, ut in nullius foro tributum solvere compellantur, majorum Nostrorum sequentes vestigia concedimus de gratia speciali. Volumus autem ut Dux, aut Banus qui pro tempore fuerit, omnium Marturinarum seu Collectarum, quocunque nomine nuncupatarum, omnium quoque tributorum forensium, vel Proventuum, Portuum, Decimas intra Zagrabiensem Diœcesim Episcopo faciant, cum omni integritate persolvi. Contradictores & rebelles gravi judicio, compellendo. Hæc igitur quæ à Nobis pia solicitudine, vel innovata sunt, vel statuta, sic por Nos, Nostrósque Successores ac alios illibata volumus conservari, ut si quis Dux, Banus, Comes, aut alius qui-

„ libet contra Prædicta attentare præsumpserit, si de Regali stirpe fuerit, paterna Maledictione habeatur percollendus; si autem fuerit de Nobilibus Hungariæ, & citatus fuerit ab Episcopo, ad Regis præsentiam, antequam Episcopo respondeat, quinquaginta Marcas Fisco Regio, & alias quinquaginta Marcas Episcopo, Rege eundem fortius compellente persolvat. Præter hæc, Ecclesiasticæ Censuræ rigorem, & pro transgressionis merito, Decreto Antistitis Sacri subiturus. Omnia vero Privilegia, seu Literas majorum Nostrorum Regum Hungariæ super Gratiis, Possessionibus, ac Juribus quibuscunque Munifica Largitione concessas, acceptamus, approbamus, atque præsentis scripti Patrocinio confirmamus. In cujus rei memoriam firmitatémque perpetuam præsentes concessimus Literas Duplicis Sigilli Nostri munimine roboratas. Datum per manus discreti Viri Magistri Joannis Albensis Ecclesiæ Præpositi, Aulæ Nostræ Vice-Cancellarii & Eppi Kukoliensis dilecti & fidelis Nostri, Anno Dñi 1318 IV. Idus Martii Regni autem Nostri Anno similiter Decimo Octavo. Venerabilibus in Christo Patribus Thoma Strigonien. locique ejusdem Comite perpetuo. Ladislao Colocensi Aulæ Nostræ Cancellario, Petro Spalatensi Ecclesiarum Archi-Eppis, Augustino Zagrabiensi, Joanne Nitriensi, Stephano Wesprimensi, Benedicto Chanadiensi, Martino Agriensi, Benedicto Transylvano, Nicolao Jaurinensi, Ladislao Quinque Ecclesiensi, Georgio Sirmiensi, & Jvanka Varadiensi, ac Petro Bosnensi Ecclesiarum Eppis. Dominico Palatino, Demetrio Magistro Tabernicorum Nostrorum, Joanne Bano totius Sclavoniæ, Magistro Lamperto Judice Curiæ Nostræ, & Comite Chanadiensi. Aliisque Nobilibus Regni Nostri Comitatus tenentibus & honores.

Quo ex Privilegio, Magnam vides Caroli in Ecclesiam Zagrabien. pietatem. Quod à Ludovico, Sigismundo, Mathia, alijsque Regibus, sæpius confirmatum, ut in Episcoporum serie fiet mentio. *Sed Quæres.* Ubi Episcopatus, ille Kukoliensis, cujus Joannes Albensis Præpositus, scribitur superius, fuisse Episcopus? Respondeo. Credo eum in Cumania fuisse, aut certum Moldavia, quæ tunc Hungariæ Regibus paruit. Nam reperitur etiam Joannes Archidiaconus de Kükölló Scriptor Syncronus rerum à Ludovico I. Rege Hungariæ gestarum. Sed nec nostri est muneris designare locum. Qui scribendam Nostræ Ecclesiæ Zagrabiensis, historiam suscepimus.

Privilegium Nobilium Prædialium Episcopatus Zagrabiensis super Libertatibus & Prærogativis eorundem.

„ Nos Mathias DEI Gratia Rex Hungariæ Bohemiæ &c. memoriæ commendamus tenore præsentium significantes quibus expedit universis. Qualiter pro parte Fidelium Nostrorum Universorum Nobilium Prædialium Episcopatus Zagrabiensis exhibitæ sint Nobis quædam litteræ Universitatis Nobilium Regni Nostri Sclavoniæ. An ydem Nobiles prædiales, & eorum alter Juramenta & Fassiones eorum tali modo, sicut videlicet ijdem Nobiles Regni deponere potuerunt, tantique roboris fuerint. Ad fidem eorum DEO debitam, fidelitatem Nobis, & Sacro Nostro Regio Diademati observandam, fassi & attestati esse perhibentur in se habentes tenoris Infrascripti. Supplicatumque extitit nobis in personis eorundem Nobilium Prædialium, ut easdem literas Præfatorum Nobilium Regni Nostri Sclavoniæ, ratas gratas, ac acceptas haberemus; litterisque nostris Privilegialibus de verbo ad verbum inseri facientes, easdem, & omnia in eis contenta, pro ipsis Nobilibus Prædialibus Episcopatus Zagrabiensis innovando perpetuo valituras confirmare dignarentur. Quarum quidem Litterarum tenor talis est.

„ Serenissimo Principi Domino Mathiæ DEI gratia Regi Hungariæ, Dalmatiæ Croatiæ &c. Domino ipsorum naturali Universitas Nobilium Regni Sclavoniæ in præsentibus Octavis festi S. Jacobi Apostoli, Crisij constitutorum obsequium sincerum servitutis, cum perpetua fidelitate. Vestra noverit Serenitas, nos Litteras suas ad suam commissionem editas, pro parte Nobilium prædialium Universitatis Episcopatus Zagrabiensis nobis præceptoriè loquentes & directas, suprema cum obedientia recepisse, hunc tenorem habentes: MATHIAS DEI gratia Rex Hungariæ Dalmat. Croat. &c. Fidelibus Nostris Universis & Singulis Nobilibus & alterius cujusvis Status possessionatis hominibus Regni Nostri Sclavoniæ salutem & gratiam. Pro Parte Fidelium Nostrorum Prædialium Episcopatus Zagrabiensis Nostræ expositum est Majestati eo modo: Qualiter videlicet ipsi ex antiqua eorum consuetudine, ac Indultis & Concessionibus Divorum Regum Hungariæ, Nostrorum videlicet prædecessorum, semper in medio eorum laudabiliter observatis, omnibus illis libertatibus, & Nobilium prærogativis quibus cæteri Nobiles Regni quomo-

„ doli-

„ dolibet utuntur & gaudent, isto duntaxat excepto : in quantum videlicet Jurisdictioni
„ præfatæ Ecclesiæ Zagrabiensis . & Episcopo in Eadem Ecclesia pro tempore constituto
„ cum debitis & consvetis servitijs, & obedientia subjecti haberentur. usi fuerunt & gavisi.
„ Super quibus quidem prærogativis eorum, Jura & Literas Præfatorum Divorum Regum
„ emanatas habuissent & confectas. Sed eædem præteritis disturbiorum temporibus , quæ
„ in dicto Regno Nostro Sclavoniæ ante crebro invaluissent ab eis aliquomodo alienatæ es-
„ sent. Quapropter nunc Dicatores proventuum Fisci Nostri Regalis in eodem Regno no-
„ stro Sclavoniæ existentes, Eosdem Nobiles juxta formam decreti novissimè per Prælatos
„ & Barones Nostros editi, in medium aliorum Regnicolarum Nostrorum Ignobilium an-
„ numerare, & ab ipsis dictos proventus Fisci Nostri exigere vellent. Supplicarunt nobis
„ ut ipsis superinde opportunè providere dignaremur. Et quia nos in notitiam & certi-
„ tudinem præmissarum Nobilitatum , ac prærogativarum ipsorum Prædialium dicti Epi-
„ scopatus, pro eo quod Literæ eorundē ut præmittitur superinde alienatæ essent, efficacissi-
„ me devenire nequimus,volentes tamē ipsis superinde aliquo remedio opportuno subvenire,
„ una cum dictis Prælatis & Baronibus nostris, statuimus, & decrevimus, ut dummodo istud
„ perfectè compertum, recognitum fieret , an scilicet ipsi Prædiales juramenta & fassiones,
„ uti Nobiles Regni deponere & facere habuissent, eorúmque Fassiones & Juramenta tanti
„ roboris fuissent , velut ipsorum Nobilium Regni, hoc ideo solumodo quoad ratificationem
„ firmitatémque libertatis veræ Nobilitatis, eorum interim quousque ijdem litteras & jura
„ eorum de & super præmissis libertatibus, & gratijs Nobilitatum Suarum requirere & rein-
„ venire poterunt sufficiens & efficax sit, & habeatur robur & testimonium. Idcirco Fide-
„ litati Vestræ & Vestrum cujuslibet, firmiter præcipientes mandamus , quatenus visis præ-
„ sentibus præmissam eorundem consvetudinem Prædialium & Nobilitatum prærogativam
„ an scilicet Prædiales ipsi, & eorum alter juramenta & fassiones eorum tali modi, sicut vi-
„ delicet jidem Nobiles Regni deponere potuerunt, tantæque efficatiæ & roboris habita fue-
„ rint. ad Fidem Vestram DEO debitam, Fidelitatémque nobis, & Sacro Nostro Regio Dia-
„ demati observandam, fateri & diligenter investigare debeatis. Tandémque si ita fuisse
„ comperietis, in literis Vestris Patentibus sub Sigillo Vestro ad unum certum terminum No-
„ stræ Majestati rescribatis, præsentibus perlect. exhibent. restitutis. Datum Budæ in Fe-
„ sto B. Margaritæ Virginis Anno Dni 1467. Regni Nostri Anno Decimo, Coronationis verò
„ quarto. Nos itaque mandatis Serenitatis Vestræ Ipsius, obedientes ut tenemur, juxta
„ mandatum Ejusdem, habentes certitudinem de præmissis, ad Fidem Nostram DEO de-
„ bitam, Fidelitatémque Vestræ Serenitati, & Suo Sacro Diademati observandam, fate-
„ mur & attestamur, prætactos universos Nobiles Prædiales jam fatæ Ecclesiæ & Episcopa-
„ tus Zagrabiensis fuisse & esse gavisos, Veræ Nobilitatis titulo prærogativa & libertate ab
„ antiquo. Attestationes etiam fassiones & juramenta eorum , & ipsorum medio orientes ;
„ emergentesque & servatas in proprijs Judicum ipsorum Ordinariorum Vicariorum ipsius
„ Episcopatus Zagrabiensis temporalium pro tempore constitutorum, præcise & prorsus ita
„ egisse, servâsseque & exercuisse prout & quemadmodum hujusmodi Attestationes fas-
„ sionésque & juramenta in nostri medio, seu in cursu & modo Regni ac consvetudine per-
„ gitur, & fieri solet. Temporibus etiam opportunitatis quamplures ex ipsis Prædialibus No-
„ bilibus ad attestationes fassionésque & juramentales depositiones peragendas & exercen-
„ das in nostri medium & in sedem nostram judiciariam pro conjuratoribus exstiterunt, sæ-
„ pius creberrimæque vocati, atque producti, attestationesque & fassiones ipsorum jura-
„ mentaque in nostri medio, & alias penes quoscunque ex nobis factæ & depositæ, tantæ
„ efficaciæ tantique roboris, quantæ efficatiæ, quantique roboris fassiones attestationésque
„ & juramenta Nobilium Regni habent. Reputatæ & habitæ sunt, ratæque & acceptæ tan-
„ tæque hactenus exstiterunt, atque servatæ. Pluribus autem ex Nobis, ex reali & vera
„ visione constat, constitítque certo certius, Præfatos Nobiles Prædiales Episcopatus Za-
„ grabiensis prædicti, super Nobilitatibus , libertatibus, prærogativisque, & gratijs ac in-
„ dultis & concessionibus dictorum Divorum Regum, literas veras, veráque jura scripta &
„ litteralia instrumenta habuisse, prænarratas ipsorum Nobilitates, libertates, præroga-
„ tivas, Indulta & concessiones per memoratos Divos Hungariæ Reges ipsis gratiosè factas
„ denotantes atque exprimentes. Seriem itaque præmissorum Eidem Vestræ duximus fi-
„ deliter rescribendo Serenitati, Literas etiam Serenitatis Vræ prædictæ, Præfatis Nobili-
„ bus Prædialibus duximus restituendas, præsentes verò Sigillis Vice Banorum, ac Comi-
„ tum & Judlium Cottus Crisiensis more consveto firmiter consignari, Datum Crisij sexto
„ die octavarum prædictarum festi S. Jacobi Apostoli prænotati. Anno Dni 1467. suprade-
„ notato. Nos igitur supplicatione pro parte eorundem Nobilium Prædialium ipsius Epi-
„ scopatus Zagrabiensis nobis porrecta, Regia benignitate exaudita, & clementer admissa

„ prætactas literas annotatorum Nobilium Regni Nostri Sclavoniæ non abrasas, non Can„ cellatas, nec in aliqua ipsarum parte suspectas præsentibus Literis Nostris Privilegialibus „ de verbo ad verbum sine diminutione, aut augmento insertas, quoad omnes earum con„ tinentias, clausulas & articulos eatenus quatenus eædem ritè & legitimè emanatæ, & vi„ ribus earum veritas suffragatur, acceptandas, approbandas, & ratificandas, nihilomi„ nus ea & omnia in eis contenta pro præfatis Nobilibus Prædialibus, ipsorumque hære„ dibus & posteritatibus universis innovandas perpetuo valituras confirmamus, præsentis „ scripti nostri Patrocinio mediante. In cujus rei memoriam firmitatemque perpetuam, „ præsentes Literas Nostras Secreto Sigillo Nostro quo ut Rex Hungariæ utimur impenden. „ consignatas, eisdemque Nobilibus Prædialibus duximus concedendas.. Datum Budæ feria „ tertia proxima post festum Annuntiationis B. M. V. Anno Dni 1470 Regnorum Nostro„ rum Anno Tredecimo, Coronationis sexto Bohemiæ verò primo. Locus Sigilli.

Ex quo apparet Privilegio *1mò* Prædialium Vetustas. *2dò.* Divorum Hungariæ Regum authoritate & consensu, per eorum Privilegia elargitò: ipsos, habuisse initia. *3tiò* Nobilium Privilegiis gavisos fuisse, atque intra Nobiles habitos, ut Testimonium hoc Mathiæ datum à statibus & ordinibus Regni testaretur. *4tò* Istud tam Prædialibus Eppi, quam & Capituli convenisse uti eruitur ex dato testimonio *Nobiles Prædiales, jam fata Ecclesiæ, & Episcopatus Zagrabiensis* per quæ verba videtur: innuere alios fuisse Ecclesiæ: alios Episcopatus Prædiales & per ly *Ecclesiæ*, Prædiales Capituli intellexisse. Sed

Unde horum Prædialium origo? Respondeo: Quod cum olim exercituare ipsi Episcopi obligarentur, suaque habere *Banderià*, quæ in obsequium sacræ Coronæ & Principis servare debuissent, uti & ex tot Regni eliceretur Articulis. Ad servanda hæc *Banderia*, ipsis Possessiones quasdam assignare solebant, quæ prædium dictæ sunt, & illi à *Prædio* Prædiales. Hinc & in expeditionibus ipsorum, exprimi solet inter cœtera; ut unum Equitem occasionibus necessariis dare teneantur, Episcopus autem Zagrabiensis Banderium unum testante Articulò 20. 1498. dare debebat, quod 400. olim constabat hominibus. Auxit præterea Prædiales, per tot ab Episcopis Concessas libertates & Indulta, illorum temporum necessitas, tantàque Bella, ut suos habere debuerint homines, qui Ecclesiam ipsósque Episcopos tutarentur. Tandem illud etiam comperimus, olim ab ipsis Nobilibus, Rege consentiente, quædam Bona, Possessionésque, Ecclesiæ legata fuisse. sub obligatione, nobilibus Personis conferendi, sub exiguo annuè pendendo censu, ut ita Nobilitas conservaretur. Quod nos asseruisse nemo existimet, nam præterquam, quod ejusmodi Legata legerimus, hoc innuit etiam 1498. 15. Articulus, in quo: *Si autem aliqui Prælatorum & Virorum Ecclesiasticorum Sacularia jura possiderent, ea quæ ab antiquo Banderiata sunt, nunc quoque Banderia sua habeant, & ratione illorum ultra catera Bona Ecclesiarum super quibus fundata sunt consimiliter exercituare sint obligati.* Ubi observa 1mò Verba illa: *Sacularia jura possiderent.* 2dò quod ratione horum à parte exercituare debuerit, à parte à bonis Ecclesiarum.

Qs. 2. An Prædiales sint Eoipso Nobiles, quod ob præclara merita & servitia, prædia talia obtinuerint? ℞. Negativè. Sed solum vigore Privilegiorum gaudent Prærogativis Nobilium, qui alias veri Nobiles non essent; neque enim Donatio alterius, quam solius Regis Nobilitat. Hinc & tam in Præmisso Mathiæ Regis, quam & subsequis & Anterioribus Regum Literis, cum addito semper, *Nobiles Prædiales* leguntur.

Qs. 3. An in usu suprascriptorum Privilegiorum Prædiales sint? Præcipuè quoad *Judicatum* in causis eorum, cum tamen Judicatus iste abrogatus videatur Art. 2. 1638. Ubi quamvis quæstio hæc, ad Dietam aliam Differatur, nihilominus tamen Conclusum est: *Statuitur motæ hujusmodi controversiæ complanatio, in aliud commodius, Dietæ videlicet proximè futuræ tempus differatur; medio vero tempore, Domini Prælati & Magnates à supradicto illorum Tribunali motisque in eo hactenus causis supersedeant, Et si quæ in Præjudicium hujus Articuli in dicto Dominorum Tribunali nihilominus causæ moverentur, aut judicarentur, talia judicia Processusque inde emanati pro irritis & nullis habeantur.* Respondeo Affirmativè: in hoc Zagrabiensi Eppatu, in quo *Comes Curialis* dictus, Causas *Abbatiæ de Toplicza* hodie *Topuszka* dictæ, judicare consuevit. In bonis autem Episcopalibus *Vicarius* Ejusdem Episcopi *Temporaneus.* Neque Prædicta Lege, Prædiales Ecclesiarum comprehensos fuisse, ac intellectos, docent testimonia Authentica, Benedicto Winkovich eo tum Zagrabiensis Ecclesiæ Episcopo data. *1mò.* Emerici Losi Archi-Eppi Strigoniensis, qui Articulo huic & contradixisse Vinkovichium testatur & de illius sensu vero, ita loquitur. „ Damus pro memoria qualiter „ certa differentia inter Dominos Prælatos & Magnates ab una, Nobiles vero Regni ex „ altera partibus orta fuisset, super materia & quæstione hac: An occasione Bonorum „ quæ Nobiles Regni in medio territoriorum Dominorum beneficio, vel collatione eo-

„ rundem,

„ rundem, vel Prædecessorum suorum possiderent? Coram Tribunali ipsorum Juri sta-
„ re, literas & literalia Instrumenta coram iisdam producere teneantur. Cujus quæstio-
„ nis resolutio, usque ad Dietam proximè affuturam certis de Causis in Articulo super-
„ inde edito annotatis, licet dilata esset, conscientiosè tamen recognoscimus, quod
„ per prætactos Regni Nobiles, quorum in Articulo præcitato fieret mentio, Ec-
„ clesiarum Prædiales minimè intelligerentur, nec fuisse per status & Ordines intellectos,
„ sed Nobiles duntaxat Regni, qui alias non essent Prædiales, siquidem data opera in
„ præcitato Articulo positæ fuissent voces hæ (*NOBILES REGNI*) ut per vocem hanc, RE-
„ GNI; Ecclesiarum Prædiales in Articulum Regni non includerentur, sed potius exclu-
„ derentur. Super qua fideli & conscientiosa recognitione &c. Posonii 16. Mensis Mar-
„ tii ultima videlicet Dietæ Generalis die, Anno 1638.

Ex quo testimonio, confirmantur quæ á Nobis Quæsito 2do dicta sunt. Sed & Comes Joannes Drugett de Homonna Judex Curiæ Regiæ, perpetuus de Ungh., Ejusdemque ac Zempliniensis Comitatuum Supremus Comes, nec nec partium Regni Hungariæ superiorum Generalis, Suæ Majestatis Consiliarius & Camerarius, persimile dedit Vinkovichiô testimonium. Comes quoque Nicolaus Eszterhazy de Galantha Regni Hungariæ Palatinus, testatur Episcopum Benedictum Vinkovich contradixisse, & Ecclesiarum Prædiales intellectos non fuisse, per ly *Nobiles Regni* dicit enim *siquidem data opera in præcitato Articulo positum esset Nobiles Regni ut Ecclesiarum Prædiales excluderentur.* Ferdinandus ipse mandatum *Recognitionale* suo dederat, hac de re Personali, Personalis tamen testimonium non legimus. Interim ab hoc tempore quamvis soleat Prædialibus, etiam de statu Magnatum, apponi conditio: ut à Judicio Comitis Curialis vel Vicarii temporanei stare teneantur, & judicatui subesse, tamen Judicia ut vocant *Octavalia*, vulgo *Szokolodom* sine Regio Mandato, & Evocatoriis Regiis, celebrari non consueverunt.

Gravis olim de hoc *Judicatu* fuit Quæstio, sub Georgio Thurzo Regni Hungariæ Palatino, Promovente Michaële Mintsyenti, cui, ut in sua ad suam Sacratissimam Majestatem exposuit instantia, Fr. Simon Bratulich Episcopus Zagrabiensis, per submissos 250. Equites, ac Pixidarios, nec non 300. Venerabilis Capituli Zagrabiensis homines, ductore Stephano Medak Decano & Canonico Zagrabiensi Curias Nobilitares *Zaverszie*, ac *Ferliub* cum Possessionibus *Simonovecz* & *Blagussa* occupaverat, universas res mobiles ac immobiles pro se convertendo. Ipséque Mintszenti ad forum suum jurisque viam cum relegatus fuisset, nec Judicio Episcopalium stare vellet, gratiam apud Palatinum Georgium Thurzo obtinuit. Qui & Comes Palatinus, ad Comitem Thomam Erdeody cum his clausulis mandatum dederat, ut non curatis prætensis D. Eppi Privilegiis, tanquam per Decretum Regni abolitis, & aliis quibuslibet protractionibus & prætensionibus, ad instantiam supplicantis vigore publicarum Constitutionum Regni, super violentis bonorum occupationibus, & ablationibus rerum mobilium procedat, etiamsi opus fuerit cum Brachio Regali; contradictione, inhibitione & repulsione Dñi Eppi, vel aliorum quomodolibet ex prævia ratione non obstante. Comes tamen Thomas Erdeodius, mandato huic locum non dedisse, eruitur ex literis quas Responsorias dedit Dño Comiti Palatino. Prouti & Sedes dicta *Vice-Banalis*, alias Comitatensis. Quorum literas, jam ordine refferemus. ex quibus videre est: quæ de hoc *Judicatu* fuerit olim opinio.

Littera I. Comitis Thomæ Erdeody ad Jllustrissimum D. Comitem Palatinum Georgium Thurzo. Cujus par descripsit, & in suis adversariis habet Ritterus. ex Archivo Zagrab. quod ipse ad ordinem redigendum susceperat.

„ Illustrissime Dñe &c. Mandatum Illmæ D. Vestræ, quo mihi Egregii Michae-
„ lis Miuszenti, Bona in Episcopatu Zagrabiensi existentia ac per Rssmum D. Episcopum
„ Zagrabiensem ab eodem, ut is prætendit violenter occupata, sibi reddi & restitui man-
„ dat, accepi. Verùm quia Illma D. Vestra eo in Negotio ad Regnum quoque hoc Scla-
„ voniæ, suum ante dederat mandatum, illudque in Sedem Comitatus locum videlicet
„ Ordinarii Judicii, pro Examine Causæ illius, ad idem Regnum transmiserat, ubi auditis
„ partium allegationibus & multis responsis, Causam, in præsentiam sui Ordinarii & Com-
„ petentis judicis, nempe Comitis Curialis Episcopatus Zagrabiensis certis ex rationibus
„ jam antea Illmæ D. Vestræ per me perscriptis, idem Comitatus rejecerit. Quamobrem
„ cum extra Judicatum Vice-Comitum, mei Vice-Bani, bona illa esse judicialiter per Co-
„ mitatum decretum sit, non puto me aliquam Jurisdictionem in iisdem habere posse, ac
„ proinde executionem ejusdem mandati Illma D. Vstra eousque donec videlicet, ea de

„ re cum Dñis Regnicolis tractavero suspendi existimans, me nec Illmam D.V. nec aliquam „ partium, nec conscientiam meam, ejus dilatione læsurum, vel ex eo maxime, quod D. „ Episcopus certa sua Privilegia, literas adjudicatorias, tum in ea, tum similibus causis, „ nec non etiam Fassionales ad fassionem dicti Michaelis Mintszenti emanatas, pro infor- „ matione & sui purgatione coram me produxisset. Atque ut rem quo in statu sit expli- „ cem, quantum intelligere potui hujusmodi est. Prædium Blagússa cum sua Curia, non „ ex manibus ipsius Michaelis Mintszenti, ut ille prætendit, sed Generosæ Dñæ Marga- „ rithæ Hitich, Egregii quondam Balthasaris Drenozij relictæ Viduæ, cui nimirum bo- „ na illa per ipsum Michaëlem Mintszenti multis ânte ingressum, cum Dño Episcopo in „ litem annis impignorata fuerant, non violenter, sed per spontaneam cessionem, & suæ „ summæ, pro qua eidem Bona ipsa, cum voluntate & consensu Prædecessoris moderni „ D. Eppi, Nicolai Zelniczey bonæ memoriæ, sine quo nec vendi, nec oppignorari po- „ terant, ad se receptionem & redemptionem. Altera quoque Curia Zaverszje dicta, „ modo violento ab eodem Michaele Mintszenti occupata non est, prouti hæc omnia ut „ præmissum est, literis authenticis contra eundem Michaelem Mintszenti emanatis idem „ D. Rss. comprobavit, Atque hæc sunt, quæ Illmæ D.V. eo in negotio perscribenda ha- „ bui, servet DEUS Illmam D.Vram salvam & incolumem diutissime. Chiche 18. Apri- „ 1612.

Litera ex Sede Comitatus ad Eundem Comitem Palatinum.

Illme Dñe Dñe Nobis Gratiosissime. Servitiorum Nostrorum in gratiam Illmæ D.V. humillima subjectione.

„ Literæ Illmæ D.Vræ in Causa Egregii Michaëlis Mintszenti contra Rssmum D. „ Eppum Zagrabiensem, ad Regnum hoc Sclavoniæ datæ, ac in Sedem hanc Nostram pro „ discussione Ejusdem causæ, per dictum Regnum transmissæ, â nobis ea, qua par fue- „ rat reverentia sunt acceptæ. Quibus perlectis partiúmque allegationibus auditis, causa „ præmissa per Nos ita judicata est. Nempe non debere Rssmum D. Eppum præfato Mi- „ chaëli Mintszenti ratione causæ prætensæ Coram Nostro Vice-Comite juri stare, tum „ quia Bona illa ratione quorum lis mota fuisset, judicatui suo non subessent. sed tem- „ poralis duntaxat Vicarii, seu Comitis Curialis Episcopatus Zagrabiensis subjacerent, „ cui nimirum omnes hujusmodi causæ ex antiqua fori illius consuetudine, & Divorum „ quondam Hungariæ Regum Privilegiis eidem Ecclesiæ Zagrabien. concessis judicandæ „ incumberent, prouti id dictus D Eppus Zagrabiensis iisdem Privilegiis suis, & literis „ adjudicatoriis sententionalibus in similibus causis emanatis, coram Nobis productis com- „ probâsset; tum quia prælibatus Michaël Mintszenti, non absolutus, sed conditionatus „ Nobilis Prædialis esset in Bonis dicti Dñi Episcopi, quibus non ad alterius, sed solius „ Vicarii temporalis, seu ut præmissum est Comitis Curialis jam dicti Episcopatus Zagra- „ biensis judicatum obstingeretur. Quod ipsum neque idem Michael Mintszenti contra- „ rio aliquo documento potuit comprobare. Et quia authoritas cujuslibet Judicis saltem „ ad loca Jurisdictioni suæ subjecta se extendit, Nobilesque Regni, & Nobilitate & Legi- „ bus, à Prædialibus sæpe fati Episcopatus Zagrabiensis sunt distincti, causa illa, in sui „ ordinariam Judicis præsentiam est rejecta, Ut tamen Michaëli Mintszenti satisfieret, „ cum modernus Comes Curialis Episcopatus Zagrabiensis, Egregius nimirum Joannes „ Samsinoczii interessatus per Michaelem Mintszenti assertus sit, Ideo loco Ejus Vice- „ Comes Noster, hic in Sede pro Judice Substitutus, qui dictam Causam partes inter „ judicialiter determinabit. Atque hæc sunt quæ Illmæ DVræ eo in Negotio perscriben- „ da habuimus. Servet Deus Illmam DVram salvam & incolumem diutissime. Datum „ in Civitate Regia Montis Græcensis Zagrabiensis Feria quarta proxima Dominicæ In- „ vocavit, Anno Dñi 1612.

Exstant etiam Responsoriæ Nicolai Comitis Erdeody, eotûm Sclavoniæ Bani de dato 4. Augusti, Anni 1612. in eadem materia: postquam in Comitatus Sede, & Regni Congregatione, idem confirmatus fuisset Judicatus. Quæ, quia idem referent quod anteriores duæ, ideo eas omittimus. Prouti & Admonitionem per Caplm Csasmense factam, erga Mandatum Banale 1592. Casparo Ztankovachki Eppo Zagrabiensi, in eodem *Judicatus* merito quod tunc idem comprobavit, fuitque idem à statibus & Regni Ordinibus non solum acceptatus, sed plane defensus contra Catharinam Viduam Vragovich, quæ judicio Temporalis Vicarij stare recusabat. Proinde cum ad hac usque tempora Judicatus iste, usu confirmatus sit, ad alia transeamus.

Privi-

Privilegium de non Impignorandis aut abalienandis per Subditos Prædijs terris &c. sine consensu Eppi sub pœna contra controvenientes ut Intus.

„ FERDINANDUS TERTIUS. DEI gratia Electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclavoniæ &c. Titulus. Fidelibus Nostris Universis, & Nobilibus Prædialibus, alijsque Episcopatus Ecclesiæ Zagrabiensis Subditis, sed & Quibuscunque Confiniarijs, aut Regni Nostri Sclavoniæ Indigenis, salutem & gratiam. Expositum est Majestati Nostræ nomine & in persona Fidelis Nostri Reverendi Petri Petretich Episcopi Ecclesiæ Zagrabiensis, & Consiliarij Nostri. Quod tametsi per peculiare Diploma Suæ Cœsareæ & Regiæ Mattis FERDINANDI Secundi Genitoris & Immediati Prædecessoris Nostri felicissimè reminiscentiæ, pro residuitate Bonorum dictæ Ecclesiæ, & Episcopatus Zagrabiensis partim per varias distractiones, partim injuria temporum & hostilitates Turcarum graviter imminutorum conservanda severè cautum fuisset, ne imposterum de Bonis Ejusdem Episcopatus, aut Abbatiæ Topuskensis eidem Episcopatui unitæ, Novi Prædiales, Vasalli, Infeudationes, Donationes, Collationes, aut quæcunque Inscriptiones in Diminutionem Bonorum Ecclesiæ, & mensæ Episcopalis vergentes, fierent: aut etiam antiqua Prædia in Ecclesiam sive per Caducitatem, sive alio Legitimo titulo devoluta, rursus infeudari, conferri, aut Inscribi possint. Sub pœna in dicto Diplomate expressa. Non sciretur tamen nonnulli Prædiales & Vasalli, sed & alij Ignobiles Præfatæ Ecclesiæ & Episcopatus Zagrabiensis Subditi, quo prætextu & licentia ad id inducti, aliam rationem Bona & Possessiones ab Ecclesia & Episcopatu alienandi invenientes, prædia, possessiones, terras arabiles, fœnilia, vineas, molendina hortos aliosque fundos, dum se legitimo jure in ijsdem persistere posse non confidunt, vel etiam alia quacunque de causa, præspecificata Bona imobilia, & jura possessionaria, sine præscitu & legitimo consensu Episcopi, in similibus, de jure necessariò requisito vel intra se invicem, vel Capitaneis confiniorum præsertim autem Ivanicensibus, Valachis, Prædaucijs alijsque Confiniarijs, sed & externis Regnicolis Jurisdictioni Ecclesiæ non subjectis, vendere, impignorare, cambiare inscribere cum defraudatione servitiorum, Censuum, Decimarum, aliarùmque obventionum, Mensæ Episcopali cedentium præsumerent, in grave damnum & præjudicium Ecclesiæ & Episcopatus Zagrabiensis manifestum. Supplicatum itaque exstitit Matti Nostræ nomine & in persona præfati Episcopi humillimè, quatenus eidem circa præmissa de opportuno remedio providere gratiosè, & hujusmodi Bonorum Ecclesiæ ejusdem abalienationibus, & mensæ Episcopali cedentium imminutionibus, alio Benigno mandato nostro occurrere dignaremur, nec pateremur eundem justis Ecclesiæ suæ juribus improvisè destitui. Cum autem justa petenti non sit denegandus assensus, & alioquin nos pro pio nostro erga Ecclesiã DEI Zelo, & affectu singulari, earundem jura sarta tectaque conservari velimus. Quocirca Vobis, quibus supra, harum serie firmiter committimus & mandamus, quatenus rebus sic ut præfertur stantibus & se habentibus: Vos quidem Universi & Singuli Prædiales, Vasalli, alijque Ignobiles, sæpe dictæ Ecclesiæ & Episcopatus Zagrabiensis Subditi, nulla omnino Prædia. Possessiones, terras arabiles, fœnilia, vineas, molendina, hortos aliosque fundos, Bona Immobilia & Jura possessionaria, sine præscitu & legitimo consensu dicti Episcopi moderni, & futurorum, vel Intra vos invicem, vel Capitaneis Confiniorum, Valachis, Prædaucijs, alijsque Confiniarijs, sed & externis Regnicolis, Jurisdictioni Ecclesiæ non subjectis, vendere, impignorare, cambiare, inscribere, neque Capitanei Confiniorum quorumcunque, Valachi, Prædaucij, alijque Confiniarij, sed & externi Regnicolæ, Jurisdictioni Ejusdem Ecclesiæ non subjecti, præspecificata Bona immobilia & Jura Possessionaria, emere, Hypothecare aut quovis alio titulo, sine præscitu, aut legitimo prævio, alioquin de jure requisito consensu Episcopi comparare præsumatis, nec sitis ausi modo aliquali. Hoc per expressum declarato: quod si quispiam in futurum quandocunque Nobilis Prædialis, aut alius Ecclesiæ Subditus, aliquid de præmissis Prædijs, alijsque quovis modo denominatis Juribus Possessionaribus, Ecclesiæ & Episcopatus Zagrabiensis, vendere, inpignorare, hypothecare, cambiare, aut quovis titulo inscribere, vel quemcunque super ijsdem Bonis immobilibus contractum facere, aut celebrare præsumpserit, talem venditionem, impignorationem, hypothecationem, aut quamvis aliam inscriptionem, sive contractum ipso facto Invalidum, ac nullius firmitatis, roboris, aut valoris, nisi præscientia talium, & prævius legitimus sæpefati Eppi accedat consensus esse volumus & declaramus. Ac insuper Emptor, Hypothecarius, Conductor, aut quivis alius, præscriptorum Ecclesiæ & Episcopatus Bonorum immobi-

K „ lium

„ lium, juriumque possessionariorum Comparator & aquisitor absque ulla depositione, vel „ restitutione præcij dati, pro Ejusmodi Bonis taliter comparatis, & comparandis, à Do„ minio & possessione talium Bonorum cadere, eadémque Ecclesiæ restituere, prout etiam „ Venditor aut quivis alius, quovis modo alienator, Ejusmodi precium acceptum Fabricæ „ Cathedralis Ejusdem Ecclesiæ reddere, vigore solum præsentis Benigni Nostri mandati, „ abscissis omnibus Juridicis remedijs debeat ipso facto & sit obligatus. Nolentes autem Vi„ carius Episcopi, pro tempore constitutus, qui in similibus ordinarius Prædialium esset Ju„ dex, cogere possit ac teneatur. Secus itaque non facturi. Datum in Civitate Nostra „ Viennâ Austriæ, Die 18. Mensis Junij Anno Dni 1649. Ferdinandus m.p. Georgius Sze„ lepcsenij. E. Eppus Nitriensis m.p. Georgius Orossij m.p.

Diploma Regium super Juramento Episcoporum Zagrabiensium tempore Introductionis deponi solito.

„ Nos Ferdinandus Tertius &c. Titulus. Memoriæ commendamus tenore præ„ sentium significantes quibus expedit Universis. Quod pro parte & in persona Fidelis no„ stri Reverendi Benedicti Vinkovich Episcopi Ecclesiæ Zagrabiensis & Consiliarij Nostri, „ exhibitæ sunt nobis & præsentatæ certæ quædam litteræ prædefunctæ Sacr. Cæs. Regiæ „ Mattis Domini & Genitoris nostri desideratissimi, felicissimæ memoriæ, Privilegiales in „ Regali Papyro patenter confectæ, ac Secreto Sigillo suo, quout Rex Hungariæ utebatur „ impressivè communitæ pro conservatione & augmento iurium, Prædicti Episcopatus Za„ grabiensis nec non Abbatiæ de Topuszka, eidem Episcopatui annexæ & unitæ, adeoque in „ propagationem S. Matris Ecclesiæ clementer elargitæ, tenoris Infrascripti. Supplicatum „ itaque extitit Matti Nostræ pro parte & in persona dicti Episcopi Zagrabiensis humillimè, „ quatenus easdem Literas prædefunctæ Sacræ Cæsareæ & Regiæ Mattis Privilegiales, om„ niaque & singula in ijsdem contenta, ratas, gratas & accepta habentes Literisque Nostris „ inseri & inscribi facientes, approbare, roborare, & ratificare, Cæsareúmque & Regi„ um Dni Genitoris Nostri in prætactis gratiosis literis suis contentum diploma certis adhuc „ ordinationum articulis benignè meliorare, augere, atque pro ipso Benedicto Vinkovich „ moderno Episcopatus, ac Abbatiæ possessore, sed & futuris Successoribus Ejusdem Uni„ versis clementer confirmare dignaremur. Quarum quidem Litterarum Privilegialium te„ nor talis est. Nos Ferdinandus Secundus Dei gratia Electus Romanorum Imperator (ti„ tulus *qui à nobis Caa Compendii omittitur*) memoriæ commendamus tenore præsentium „ significantes, quibus expedit Universis. Quod cum Matti nostræ per Fidelem nostrum „ Venerabilem Benedictum Vinkovich Præpositum majorem Ecclesiæ Zagrabiensis, dictæ„ que Ecclesiæ Eppi in Spiritulibus Vicarium, nomine & in persona Fidelis nostri Reveren„ di Francisci Erghelij Episcopi Zagrabiensis, & Consiliarij nostri expositum fuerat. Qua„ liter Bona Ecclesiastica ad Præfatum Episcopatum Zagrabiensem, & Abbatiam Thopu„ szkensem Zagrabiensem eidem Episcopatui annexam & unitam, spectantia, per superio„ rum temporum Episcopos, partim infeudata, partim pro pecunijs libertata partim verò „ etiam pro pecunijs pariter oppignorata extitissent, & quidem uti prætenditur talibus per„ sonis ut plurimum, quæ vix aliquod Notabile Servitium in commodum ipsi Ecclesiæ præ„ stitissent. Quorum Bonorum infeudatorum, libertatorum, & impignoratorum incolæ, „ tametsi ex aliqua parte videantur subesse jurisdictioni ipsius Ecclesiæ, & Episcopi Zagra„ biensis, exiguam tamen utilitatem tam eidem Ecclesiæ quàm Episcopo præstarent, adeo„ que per ejusmodi infeudationes, libertationes, & oppignorationes juribus tam Canoni„ cis, quam etiam patrijs prohibitas, imminutus & extenuatus redditus esset ipse Episcopa„ tus ut vix Decima pars Bonorum Episcopalium pleno jure ad rationem Episcopi, pro „ nunc haberi perhiberetur. Unde ab accisos ejusmodi proventus Ecclesiasticos, & Bona „ dicti Episcopatus distracta, etiam domesticis quotidianis usibus, idonee prospici vix pos„ se, præterquam quod ruinosæ Ecclesiæ, & aliorum ædificiorum ad Episcopatum spectan„ tium restauratione hactenus intermissa & neglecta, structuræ & Domicilia Residentiæ „ Eppalis penitus collapsa feruntur, & alia ad pios sacrosque ritus, & ministeria Ecclesia„ stica dietim peragi exercerique solita, ac debita officia, cum Fidelium profectus Spiritua„ lis, & ædificationis defectu & damno, intermissaque ac pene abolita comperiuntur, Ut „ itaque præmissis defectibus & necessitatibus, prælibatus Eppus succurere, & remedium „ adhibere posset, ad Mattem Nostram debita cum Instantia, medio prædicti Præpositi Ma„ joris Ecclesiæ Zagrabiensis recurrendum duxit, ut de remedio opportuno providere di„ gnaremur. Cùm ergo innatus Nobis erga Religionem, Et Ecclesias DEI affectus Divinæ „ providentiæ subsidio in eam inclinationem dirigi cupiat, ut non solum amplissimus Divi-

„ nus

„ nus Cultus & decor in istius Regni Nostri Sclavoniæ Partibus, pietásque erga Personarum „ Ecclesiasticarum in dignitatibus & prælaturis constitutarum intertentiones, Ecclesia„rum & aliorum piorum locorum, per hostilitates eversorum & pessumdatorum restau„rationes, Beneficiorum Ecclesiasticorum restitutiones, Seminariorum pro juventute institu„enda & erudienda erectionns eniteat: verum etiam ut Bona Ecclesiastastica quævis, si„gnanter autem & potissimum Episcopalia ad præmissos effectus æque à piissimis Regibus „ Hungariæ, Prædecessoribus Nostris, sanctæ memoriæ, collata ac in abusum tracta subleven„tur, ac quovis modo abalienata & dissipata rursum recuperentur, & pristino statui decoriq; „ restituantur. Proinde Authoritate Nostra Regia, jurisque Patronatus Bonorum Ecclesia„sticorum, per Regna & Provincias Nostras, quout Rex Hungariæ, ad instar Prædecessorum „ Nostrorum Regum Hungariæ utimur, perpræsens benignum Diploma Nostrum, & instru„mentum literale, tam suprafato Episcopo, moderno utpote Prælato, cœterisque con„sequenter succedentibus, & successuris Episcopis, ejusdem Ecclesiæ Zagrabiensis, be„nignam hanc ordinationem & voluntatem intimandam, notificandámque esse decrevi„mus, quatenus Bona illa Ecclesiastica ad Eppatum Zagrabiensem spectantia, quæ vel „ per Feuda, impignorationes, venditiones, donationes aliosque modos fuissent aliena„nata, & à jure Eppali illicite avulsa, modis omnibus recuperare studeant, quandoqui„dem præmissis sub titulis factæ alienationes, non solum Juribus, & Consuetudini„bus Sacræ Regni istius Nostræ Hungariæ Coronæ, & Articulis superinde in publicis „ Regni Constitutionibus editis, manifestè adversantur; verùm etiam censuris Ecclesia„sticis, & Sacrorum Canonum decretis, ac sanctionibus vetita, ac sub severis intermina„tionibus, & pœnis Ecclesiasticis, ac Episcoporum juramentis interdicta esse comperiun„tur. In præmissis omnibus tam ratione recuperationis, ab Infeudatione Liberationis, „ oppignoratorum redemptionis, aliisque sub titulis factarum alienationum rehabitionis „ id observando, quod complura edita, publicarum Regni Constitutionum & Decreta „ Tripartiti, ipsiusque Regni Nostri Sclavoniæ particularia, & municipalia jura dictant, „ & præscribunt observandum. Sed & modis omnibus cautum esse volumus, præliba„taque authoritate Nostra Regia, & Juris Patronatus, præsentium per vigorem consti„tuimus & decernimus ad tollendos & vitandos tales abusus, & dispendia ut supra com„memoratum exstitit, tam spiritualium quam temporalium profectum. Ne deinceps ipsi „ Eppo Zagrabiensi pro tempore constituto, vel etiam futuris in dicto Episcopatu Suc„cessoribus tam ex recuperandis, prout & multo minus ex iis, quæ pro tempore residua „ habentur, Episcopatus Ecclesiæ Zagrabiensis bona, & defacto possidentur. Una cum „ bonis Abbatiæ de Topuszka eidem Episcopatui unitæ, quovis modo alienare, infeuda„re, inscribere facultas fiat. Quia tamen Ministris & Operariis, servitia sæluraria præ„stantibus, ipsi Prælati & eorum Ecclesiæ carere non possunt, & talium merita & præ„clara servitia recompensari quoque necesse sit, tunc nt & præsens benignum Nostrum „ edictale Decretum, pro conservatione & restitutione ipsius Episcopatus accisi perma„neat, & simul mercede ac remuneratione præfati Operarii, & servitia utilia præstantes „ ministri haud quaquam destituantur, posse ipsum Prælatum & Episcopum sæpedictæ Ec„clesiæ Zagrabiensis temporaneam benemeritæ Personæ collationem Bonorum (si nimi„rum alia media & modi contentationis nullo modo suppeterent) conferendo videlicet „ aliquid ex Bonis, autlibertando, à servitiisque & oneribus Colonicalibus eximendo, id „ tamen duntaxat: vel ad dies vitæ, vel certè donec in servitiis Prælati & toties dictæ Ec„clesiæ manserit, facere. Quod ipsum etiam ut pro securitate ipsius Ecclesiæ Zagrabi„ensis, & corporis Bonorum integra permansione tanto facilius administretur, ut rem ma„ximè ad hoc conferentem; volumus ut cum præscitu & consensu etiam Capituli, ab „ ipso Prælato & Episcopo dicta remuneratio committatur, quatenus casu quo per deces„sum ex humana vita, vel etiam translationem ejusdem Eppi Successores, tanto facilius „ integram & realem possessionem dicti Episcopatus Ecclesiæ Zagrabiensis adeant, & mu„nia Episcopalia obeunda in interruptè & ordinatè peragi facere possint & valeant. In „ quorum omnium robur & firmitatem, hasce benignas literas Nostras secreto Sigillo No„stro quo ut Rex Hungariæ utimur communitas, roboratásque emanari fecimus. Da„tum in Civitate Nostra Viennensi die 8. Mensis Septembris Anno Dñi 1629. Regnorum „ Nostrorum Romani Undecimo, Hungariæ & Reliquorum Duodecimo, Bohemiæ vero „ Anno Decimo tertio. Nos itaque hujusmodi humillima supplicatione, pro parte præ„fati Benedicti Vinkovich Episcopi, Nostræ modo quo supra porrecta Majestati, Regia „ benignitate exaudita, clementer & admissa, præinsertas Literas prædefunctæ Sacræ Cæ„sareæ & Regiæ Majestatis, Domini & Genitoris Nostri, gratiosi Diplomatis Privilegia-

„ les, non abrasas, non Cancellatas, neque in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus
„ vitio ac suspitione carentes præsentibus Literis Nostris Privilegialibus, de verbo ad
„ verbum sine diminutione & augmento aliquali insertas & inscriptas, quoad omnes ea-
„ rum Continentias, Clausulas, & Articulos, eatenus quatenus eædem ritè & legitimæ
„ existunt emanatæ, juribúsque earundem veritas suffragatur, ratas, gratas & accepta ha-
„ bentes, approbamus, roboramus, & ratificamus, nec non subsequentium Articulorum
„ ulteriori ordinatione meliorando & adaugendo, pro præfato Benedicto Vinkovich, ejus-
„ démque posteris & successoribus universis perpetuò valituras gratiosè confirmamus. Et
„ primo quidem pro augmento clementer haberi volumus. Quod si quis Episcoporum
„ Zagrabiensium, sive modernus, sive futurus quivis, moderni videlicet successor, con-
„ tra præinsertam ordinationem, constitutionem, ac etiam prohibitionem, ex legitimis &
„ necessariis causis & rationibus per prædictum Dominum & Genitorem Nostrum, pro
„ pio erga Ecclesiam DEI affectu institutam, ex bonis & obventionibus ad prædictum Epi-
„ scopatum Zagrabiensem, ac etiam Abbatiam Thopuszkensem eidem annexam & ap-
„ plicatam, tam ex iis, quæ pro illo Episcopatu vel prætacta Abbatia, jure mediante re-
„ cuperabuntur, & per defectum seminis, aut alio Legitimo modo, eundem Episcopa-
„ tum Zagrabiensem, ac Abbatiam Thopuszkensem condescenderent, quam etiam ex iis
„ quæ ad præsens pœnes eundem Episcopatum Zagrabiensem, Abbatiámque Thopu-
„ szkensem exstarent, aliquid abalienare, vendere, infeudare, donare, impignorare, &
„ inscribere, sive etiam aliquem subditum Colonum libertare, aut etiam Prædialem, sive
„ Nobilem Regni, ex Bonis & Juribus Ecclesiæ, ac Episcopatus Zagrabiensis aliquid pos-
„ sidentem, à servitiis & pensionibus eidem Ecclesiæ, & Episcopatui Zagrabiensi de ju-
„ re præstandis in perpetuum eliberare, extra casum superius declaratum & concessum
„ præsumpserit, id totum Vanum, Cassum irritumque non solum extra judicium, sed
„ etiam coram quovis Judice, & Justiciario præmissorum Regnorum Nostrorum, tam
„ fori Spiritualis, quam etiam Sæcularis, habeatur & pronuncietur. Et in tali casu,
„ liceat Capitulo & Fiscali dictæ Ecclesiæ Zagrabiensis contradicere & bona ac obven-
„ tiones per Episcopum (contra præscriptam normam & prohibitionem) vel abalienata,
„ vendita, infeudata, vel autem donata, impignorata, & inscripta, imò etiam Colonum ex-
„ tra casum supra annotatum, libertatum, præsentium litterarum Nostrarum vigore occupare
„ apprehendere, & tamdiu possidere, quam diu talis Eppus abalienans, vendens infeudans &
„ donans, vel impignorans aut libertans Episcopatum sæpedictum Zagrabiensem possederit.
„ Eodem vero decedente, vel aliorsum migrante, rursus ad eundem Episcopatum, Bona
„ eadem reddeant, salvis cunctis pœnis Canonicis in suo esse, permanentibus circa tales
„ transgressores latis. Et quia Eppi Zagrabienses, à die Installationis sive Introdu-
„ ctionis suæ, usque Confirmationem à Summo Pontifice acceptam, & Juramenti super
„ non infeudandis, donandis & impignorandis, aut quovis modo abalienandis Ecclesiæ
„ suæ Bonis, ac obventionibus depositione, sive præstatione, plerumque soleant, tales
„ venditiones, infeudationes, donationes, libertationes, & oppignorationes, in & ex
„ Bonis prætactæ Ecclesiæ Zagrabiensis, & Abbatiæ Topuszkensis facere, ad obviandum
„ huic tanto malo per vigorem præsentis novi Nostri Diplomatis, & augmenti benignè
„ decernimus ex Prælatorum etiam Consilio, ut quilibet futurus Eppus Zagrabiensis tempore
„ Installationis, sive Introductionis suæ, ante ipsam Confirmationem fiendæ coram Capitulo,
„ & reliquo etiam Clero Ecclesiæ Zagrabiensis, toto denique Populo pro tunc inibi existente
„ solenne deponat juramentum super eo, quod ex Bonis & obventionibus, ad eundem
„ Episcopatum Zagrabiensem, Abbatiamque Topuszkensem ipsi Episcopatui Unitam, spe-
„ ctantibus tam ijs quæ vel jure recuperabuntur, aut in eundem Episcopatum, Abbatiam-
„ que, per defectum seminis, aut alio Legitimo modo condescendent, quam etiam illis
„ quæ adhuc penes eundem Episcopatum & prætactam Abbatiam Topuszkensem eidem ap-
„ plicata exstarent, nihil abalienabit, nihil infeudabit, vendet, aut donabit, impignora-
„ bit & inscribet, nullum etiam Subditum Colonum libertabit, nullum quoque Prædialem
„ sive Nobilem Regni ex Bonis & Juribus Ecclesiæ, ac Episcopatus Zagrabiensis, aliquid
„ possidentem à servitijs & pensionibus Eidem Ecclesiæ & Episcopatui Zagrabiensi de jure
„ præstandis eliberabit. Extra Casum in præinsertis gratiosis Litteris prædefunctæ Mattis
„ Sacrmæ Diplomatis Privilegialibus præscriptum & concessum. Quod si quis autem Epi-
„ scoporum Zagrabiensium tale juramentum præstare recusaverit, tamdiu suspensa & invi-
„ gorosa sit installatio seu introductio illius, donec tale præstiterit juramentum, Imò accep-
„ tamus, roboramus, ac præmissa ordinationis melioratione, dictum Dni Genitoris No-
„ stri Diploma adaugendo, & superinde præinsertas Ejusdem Litteras Privilegiales emana-

tas

„ tas innovando, pro ſæpedicto Vinkovich Epiſcopo, Ejuſdémque Poſteris & Succeſſo-
„ ribus Univerſis, perpetuo valituras gratiosè confirmamus, ſalvis juribus alienis. Ha-
„ rum Noſtrarum Secreto Sigillo, quo ut Rex Hungariæ utimur impendenti communitarum,
„ vigore & teſtimonio Litterarum. Datum per manus Fidelis Noſtri dilecti, Reverendi Ge-
„ orgij Lippay de Zombor Eppi Ecclesiæ Agriensis, perpetui Comitis de Heves, Conſilia-
„ rij Noſtri, & Aulæ Noſtræ per Regnum Noſtrum Hungariæ Cancellarij in Civitate noſtra
„ Poſonienſi die 15. Menſis Martij Anno Dni 1638. Regnorum Noſtrorum Romani Secundo,
„ Hungariæ & Reliquorum Decimo tertio, Bohemiæ vero anno undecimo, Reverend.
„ ac Venerabilibus in Chriſto Patribus, Dominis Emerico Losij, Metropolitanæ Stri-
„ gonienſis, & Joanne Telegdi Colocenſis & Bacſienſis Eccleſiarum Canonicè Unitarum Ar-
„ chiepiſcopis, Præfato Georgio Lippaij Agrienſi, Benedicto Vinkovich Zagrabienſi, La-
„ dislao Huſtoty electo Varadinenſi, Stephano Simondi electo Tranſylvanienſi, Georgio
„ Jakuſith electo Veſprimienſi, Joanne Cheh electo Quinque Eccleſienſi, Georgio Dra-
„ skovich de Trakoſtany. Jaurienſi. Georgio Nagyfalvay electo Vacienſi, dicto Joanne Te-
„ legdi Adminiſtratore Nitrienſi, Nicolao Peöthe electo Sirmienſi, Fratre Georgio Biela-
„ vich electo Tiñienſi, Joanne Püski electo Chanadienſi, Fr. Joanne Baptiſta Agatich Se-
„ gnienſi & Modruſſienſi Eccleſiarum Epiſcopis, Eccleſias Dei feliciter gubernantibus,
„ Item Spectabilibus ac Magnificis Comite Nicolao Eſzterhazy de Galantha, Præfati Regni
„ Noſtri Hungariæ Palatino Comite Joanne Drugoth de Homonna Judice Curiæ Regiæ No-
„ ſtræ, Comite Sigiſmundo Erdoëdy de Moniorokerek dictorum Regnorum Noſtrorum Dal-
„ matiæ, Croatiæ & Sclavoniæ Bano, Comite Chriſtophoro Banffij de Alſolindva Ta-
„ vernicorum, Comite Stephano Nyarij de Bedegh Janitorum, Comite Joanne Palffij de
„ Erdeöd Cubiculariorum, Stephano Oſtroſith de Diletincz, Dapiferorum, Comite Paulo
„ Palffij de dicta Erdeöd Pincernarum, Emerico Czobor, de Czoborſzentmihali Curiæ No-
„ ſtrorum Regalium Magiſtris, ac Comite Stephano Palffij de præfata Erdeöd, Comite Po-
„ ſonienſi, Cœteriſque quam plurimis Regni Noſtri Hungariæ Comitatus tenentibus & ho-
„ nores. Ferdinandus m.p. Georgius Lippay Eppus Agrienſis Manu prop. Ladislaus Fe-
„ renczffij Manu propria.

Prærecenſitum ergò Privilegium, ſecundum quod in eodem mandatur, occaſione Introductionis Solennis, Electi Zagrabienſis Epiſcopi, Ita prælegi ſolet, uti Ceremoniale Eccleſiæ Zagrabienſis Loquitur. Ubi præmiſſis alijs de modo Introductionis electi. *Dnus Præpoſitus Major* (ita Ceremoniale) *dicat ſequentia: Reverendiſſime Domine præſentia Diplomata Sacratiſſimarum Cæſarearum Regiarúmque Majeſtatum dictant, ut ſinguli Epiſcopi electi Zagrabienſes, antequam inſtallentur, omnia contenta horum Diplomatum obſervanda ſub juramento recipiant. Oportet ergo ut Regijs voluntatibus D. Veſtra Reverendiſſima, ſeſe conformet. Electus dicat. Legantur Regia Diplomata. Dnus Lector, vel alius eo abſente dignior, ſtans è Regione altaris, ex Cornu Evangelij eadem Diplomata legat, quibus peractis accedens Rſſimus ad Altare in ſupremo Gradu genuflexus, accipit diplomata ad manus - & jurat in hæc verba.*

„ Ego NN. Electus Epiſcopus Zagrabienſis, juro & ſpondeo, quod quæcunque in
„ omnibus & ſingulis Benignis Diplomatibus pro conſervatione & augmento Jurium Epi
„ ſcopatus Zagrabienſisæ, nec non Abbatiæ de Topuſzka eidem Epiſcopatui annexæ & u-
„ nitæ emanatis, Auguſtiſſimorum Felicis reminiſcentiæ quondam Cæſarum, & Apoſto-
„ licorum Regum Hungariæ Ferdinandi Secundi de dato Vienna Auſtriæ die 8. Menſis Se-
„ ptembris Anno 1629. Et Ferdinandi Tertii de dato in Civitate Poſonienſi die 15 Men-
„ ſis Martii 1638, nec non Leopoldi Primi de dato Viennâ 25. Menſis Auguſti Año 1679.
„ continentur, eadem in toto, & qualibet ſui parte fideliter & inviolate ſim obſervaturus.
„ Sic me DEUS adjuvet, & hæc ſancta DEI Evangelia. Quo finito Pontifex & reliqui
„ dicant DEO gratias. Deinde &c. ut in Ceremoniali.

Leopoldinum, quod ex ejus defectu nos non retulimus, quantum in duplici Inſtallatione facta obſervavimus, non continet niſi Confirmationem Ferdinandeorum.

Sed Dices: Vigore Præmiſſorum, cùm Diplomatum, tum Juramenti, qua ratione Zagrabienſes Epiſcopi conferre poſſunt prædia? Res hæc anxium multùm tenuit Excellentiſſimum D. Franciſcum Comitem Klobuſiczky, antequam juramentum depoſuiſſet, multúmque fuit ſolicitus. · Et cùm à diverſis ſententias exquiſiviſſet, remque ſerio examinari & indagari curaſſet. Depræhenſum eſt

1mò. Privilegium hoc in uſu non eſſe, nec hactenus fuiſſe, cum ipſi illi, eorúmque Succeſſores, vacantia prædia contulerint hactenus, uti ex eorum expeditionibus, & Protocollo pateret.

2dò. Privilegiis præmiſſis, Croatiæ Banos contradixiſſe, ac ſemper contradicere cauſa Banderii, quod alias Epiſcopus intertenere non deberet, Petierúntque producendas à *Banderio* Abſolutionales Regias,

3tiò. Cùm pro Defensione Ecclesiæ sint Prædiales, tolli sine Ecclesiæ præjudicio non possunt. Ubi enim in necessitate congregabit milites? qui tueantur.

4tò. Suprascripta Diplomata accipienda censeri, pro avulsis, vel avellendis quæ Mensæ Episcopalis sunt, nullatenus verò de aliis. hinc & Ferdinandus Tertius dixit: *Tam ex ijs . . quæ jure mediante recuperabuntur.* Ergo alias aquiri nequirent.

5to. Ijsdem conceditur Privilegijs, ut personis de Ecclesia benemeritis, & servitia præstantibus, conferri possint, ergò simpliciter prædia relaxata non sunt, neque nisi talibus conferri consueverunt.

6tò. Sensum horum Diplomatum peroptimè intellexerunt, *Erghelius*, & *Vinkovich* impetrantes: Et tamen prædiis non privârunt Prædiales, nec eos extinxerunt. igitur nec mens hæc est, vel fuit Diplomatum.

Imò si Articuli qui in Corpore Juris nostri continentur, accuratius fuerint examinati; Profectò Ecclesiarum Prædiales confirmati adeo videntur, ut dubitem an sine Sacræ Regni Coronæ præjudicio? tolli possint. Quoniam Articulo 46. 1681. præfatis Diplomatibus postériore, & 63. 1741. Ecclesiarum Prædiales insurgere & exercituare jubentur, quomodo ergò tolli poterunt. Hinc præfatus Zagrabiensis Eppus cum juramentum illud deposuisset, addidit: *Quod quæcunque &c. Secundum usum intellectis.*

Quare præfatorum Diplomatum sensus iste videtur, ex Episcoporum Zagrabiensium factis hactenus, quod de Bonis Episcopalibus exscindere novum amplius prædium non possint, neque ex iisdem oppignorare, Inscribere, Hypothecare. Dein quod possint prædia, legitimè ad ipsos devoluta, retinere, nec obligentur statim ea sæcularibus conferre: Seu in ipsorum sit arbitrio, vel ea tenere, vel conferre, sique contulerint, hoc non esse obligationis, sed gratiæ. Ita plura hodie possident, quæ olim prædia sæcularium fuerunt.

Occasione etiam Prædij *Bresane*, per Episcopum Klobusiczky, Fratri suo Antonio cum Prædio *Biszkupetz* collati, magnum habuit idem Eppus Klobusiczky dubium. ex eò quod Antecessor suus Georgius Braniugh prædium *Bresane* unà cum Prædio Lukarich, etiam per scriptum quodam suum, perpetuò Ecclesiæ univisset, rémque examinari curavit, etiam cum Capli voto, quod medio duorum è sui gremio ad eundem exmissorum, cum censuisset dicta prædia non obstante illo Braniughiano statuto, posse liberè conferre Episcopum, eò quod consensu Regio destitueretur statutum, consequenter obligare non posset successores. Ipse, re bene examinata, Prædium *Bresane*, ex rationibus etiam aliis, quas hic omittimus Fratri suo Antonio contulit, cum Prædio Biskupecz ad Varasdinum. Lukarichianum autem penes Ecclesiam reliquit, eò quod *Dombra* fundationalis Episcoporum esset Zagrabiensium, ubi dictum Lukarichianum Prædium situatum esset; consequenter credebat, illud esse *Mensæ Episcopalis*, hinc vi juramenti, neque conferri posse.

Agere de his fusius visum est, quod de *Judicatu* hoc, sæpius occurrat quæstio. Capitulum etiam vigore eorundem Privilegiorum, signanter Andreæ II, supra appositi, causas suorum cognoscit, & judicat. Ab Episcopi autem vel Capituli sententia, quo appellandum? Eadem docent Privilegia, usu continuo firmata. Alia quoque, quæ hic occurrere possent, ex *Sententiis Judiciorum*, & usu petenda.

Privilegium de Unica Romano Catholica Orthodoxa fide hic in Regno Sclavoniæ conservanda, exstat Ferdinandi Tertii. de Anno 1647. sed cum istud in pluribus etiam Articulis, Corporis Juris Hungarici contineretur; ab eo referendo prascindimus.

Decretum Leopoldinum de non diripienda, post mortem Parochorum. Parochorum substantia.

„ NOS LEOPOLDUS DEI Gratia Romanorum Imperator semper Augustus, ac „ Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæque Rex (*Titulus*) „ Memoriæ commendamus tenore præsentium significantes quibus expedit universis. Quod „ Nos ex demissa & simul quærulosa Fidelis Nostri Reverendi Martini Borkovich Episco„ pi Ecclesiæ Zagrabiensis & Consiliarii Nostri, medio sui supplicis libelli Majestati No„ stræ facta expositione, intelligentes, non deesse plerosque Parochiarum Patronos, seu „ Dominos terrestres, in Diœcesi sua Zagrabiensi constitutos: qui spretis Legibus Patriæ, „ Constitutionibúsque Canonicis, & Synodi Nationalis Decretis, nec non certo Beni-

„ gno

„ gno Regio indulto, signanter autem duabus Synodalibus Diœcesanis Zagrabiensibus
„ Constitutionibus, ubi, & quam primum aliquis Parochorum, sub eorundem Patronatu
„ moreretur, illico per Officiales hominésque suos, in domum Parochialem involent, om-
„ niaque ibidem reperta diripiant, & pro se usurpent. gravi libertatis Ecclesiasticæ cum
„ præjudicio, Consanguineorúmque & Creditorum detrimento Manifesto. Ideo cum ad
„ humillimam dicti Episcopi Zagrabiensis petitionem, ac Instantiam, Nostræ propterea
„ factam Majestati, tum vero benignè ruminatis prærecensitis Legibus Patriis, Sanctioni-
„ búsque Canonicis, & Synodalibus Decretis, præsertim verò Art. 10. 1552. ubi expres-
„ se caveretur, ne bona Parochorum sive testati, sive intestati decesserint; à Patronis
„ loci, seu Dominis Terrestribus occupentur, quod ipsum Art. 102. 1647. circa finem,
„ uti & Decretis Concil. Trident. Sess. 22. de Refor. c. 11. pariter etiam statuto 14. Syn.
„ Provin. Tyrnaviensis 1630. sub Cardinale quondam Petro Pazmanii. celebratæ confir-
„ maretur, id eidem Martino Borkovich Successoribúsque ejusdem futuris videlicet Epi-
„ scopis Zagrabiensibus, clementer annuendum & concedendum esse duximus. Ut ij-
„ dem, & non prærepetiti Parochiarum Patroni, seu Domini terrestres plenariam ac om-
„ nimodam eatenus disponendi habeant facultatem, atque potestatem. Decernentes in-
„ super, & statuentes, quod si quispiam Prænotatorum Patronorum seu Dominorum
„ terrestrium à modo imposterum, aliquid de substantia cujuscunque demortui Parochi
„ præter Ordinationem toties fatorum Episcoporum, & consequenter testamentariam si-
„ milium Parochorum dispositionem distraxerit, distrahíve fecerit, ex tunc liceat ipsis
„ Episcopis, vel loci Archidiaconis talem Patronum, seu Dominum terrestrem, super
„ facta ea in parte violentia, jure convenire & aggravare. Imò annuimus & concedi-
„ mus, decernimúsque ac statuimus. Harum Nostrarum secreto Sigillo Nostro quout
„ Rex Hungariæ utimur impendenti Communitarnm vigore & testimonio Litterarum.
„ Datum in Civitate Nostra Viennâ Austriæ die 20. Mensis Martii Anno Dñi 1672 Re-
„ gnorum Nostrorum Romani 14to. Hungariæ & reliquorum 17mo. Bohemiæ vero An-
„ no 16to. Leopoldus mp. Thomas Palffi Eppus Nitriensis mp. Stephanus Orban mp.

„ Anno Dñi 1672. die 13. Mensis Junii in Generali Dominorum Statuum & Ordi-
„ num Regni Croatiæ & Sclavoniæ Congregatione, in Arce Episcopali Zagrabiæ cele-
„ brata, præsentes literæ suæ Sacratissimæ Majestatis, præsentatæ, publicatæ, & accepta-
„ tæ sunt, nemine contradicente, salvo tamen jure Patronatus Dominorum terrestrium
„ permanente, Mgr. Nicolaus Patatich de Zajezda, Protho-Notarius Regni mp.

Sunt quoque quam plurima alia. Ecclésiæ, Episcoporum Capituli Privilegia, Hungariæ Regum, innatam pietatem, & Apostolicum Zelum attestantia, ut jure Vicarij Sacræ Apostolicæ Sedis sint, Sed ob molem, etiam talium, quæ transumpta haberemus, omittimus. Aliquorum infra facturi, suis locis mentionem. Illa retulimus tantum, quorum frequentior vel necessitas, vel utilitas.

CAPUT IX.

De Proventibus & Bonis Mensæ Episcopalis dictis.

Decimas *Primò* Proventus mensæ Episcopalis esse, tot tantáque Regum Privilegia & rescripta loquuntur. Sic *Mathias* sub dato Budâ feriâ sexta, post festum Purificationis, 1486. Ait *super facto Decimarum præfato D. Eppo & mensæ suæ Episcopali de Bonis ipsorum provenire debentibus* &c. alijsque pluribus suis expeditionibus. Wk Rasciæ Despotus, in sua cum Osvaldo Episcopo Zagrabiensi transactione, super solvendis annuè Decimis à Bonis suis Feyerkö & *Thethessevina* se obligat *quod Amodo semper & deinceps singulis annis omnes & singulas Decimas Mensæ Episcopali provenientes* &c. de Anno 1474. Georgius Item Mikrolychih de Brosin in Obligatione coram Capitulo Zagrabiensi innita, de Anno 1480. de persolvendis Decimis dicit: *ab antiquo Dictæ Mensæ Episcopali provenire debuissent*, Martinus quoque V. Romanus Pontifex, in suo Brevi Decimas *ad Mensam Episcopalem* spectare recognoscit. Hinc, nec plura adducimus, his persuasum habentes, Proventus illos, *Mensæ Episcopalis esse*. Quare summa de illis quondam Episcoporum cura, tot tantíque in corpore Juris Articuli.

Cœterùm præter illa, quæ in corpore Juris continentur, habet Zagrabiensis Episcopus, quam plurima Divorum Hungariæ Regum, hac super re Privilegia & Decisiones, Contractus item cum Diversis initos, processus Item varios, quos longum foret recensere. Quin occasione Litium, cum Quinque Ecclesiensi, Bosnensi olim Eppis, hæc producta sunt, comprobatáque. Ut tametsi plurima nos ipsi transumpta, de solvendis Decimis habeamus, tamen ea omittimus quædam in fine relaturi pro uberiori notitia.

2dò. Bona Fundationalia ad *Mensam Episcopalem* pertinere vel ex eo non dubitatur quod Lege, à Sæcularibus redimi nequeant. Quæ autem fundationalia Episcopatus Zagrabiensis Bona sint, mei non est officij definire. Profectò vel ex Recensitis Cap. 1. patet. Dombram sive Dubravam, Fundationale hujus Episcopatus esse, & ex *Emerici* supra citato Privilegio *Chasmam* Ejusque appertinentias. Quorum Limites metasque Legi ipse, per DD. olim Reges metatos. Dombrense amplissimum fuit Dominium, tam ex ijsdem Metallibus quam alijs, quæ habemus Documentis clarum est, & Gradecz, complectebatur, sanctúmque Georgium vulgo *Gyurgiez*, non quidem in toto, sed in parte, quia pars quæ hodie ad Gradecz pertinet. erat Dominij Szent. Mihalij, hodie Miholz sub Kemlek, ubi Cellarium fuit quondam pro colligendis Decimis, uti pateret ex ijs, quæ supra de Archidiaconatu Kemlek dicta sunt.

Bona quopue & Populus ad Zagrabiam, quorum in suo Privilegio Emericus meminit, Mensæ Episcopalis esse quis negabit? In Judicio fori octavalis 1628. Posonij celebratis, Co„ mes Nicolaus Eszterhazy Regni Hungariæ Palatinns, Post copiosam Literarum, *ut in sua*
„ *loquitur sententia* & literalium Instrumentorum, Privilegiorúmque, & pariorum Documen„ torum antiquorum nempe, ac ob Ejusmodi antiquitatem Venerandorum, omnique su„ spicione Carentium, Regestrorum & Urbariorum productionem, *ad Episcopatum Zagrabien*„ *sem pertinere per sententiam pronunciavit.* Ad Episcopatum Zagrabiensem Possessio sive di„ strictus Dombro, sive Dubrava, cum pagis Behonin, aliter Beholin, Verhovlian, aliter
„ Marinkovo Szello, Zekovecz, Parussovcz, Markovcz, Koritno, Fuka, Zaberdje, Gi„ urgievecz olim, nunc Gyurgiek aliter Szlovenczi, Tochenik, Veszelkovecz olim, nunc
„ Venekorecz aliter Dragichevo Szello, Hegen, Bolch, Kebel, Vuksincz Lubena, Lemes
„ Szent. Gyorgij; vulgo Sz. Gyurgij, cum Czubinecz & Lemessevo, Kapolna, vulgo Ka„ pella, Item altera Kapolna Habianovecz. Præterea possessio sive districtus Chasma cum
„ Castro & Oppido Ejusmodi nominis & Castellis Garich & Gyumnech aliter Boszilievo, nec
„ non Szerdahely vulgo Szredicza, & Narth Oppidis, & Villis Szischan, Szloboda, Grad„ china, Deves, Glogh, Remetincz, Poliana. Insuper tota Insula Ivanich appellata, com„ plectens in se pagos partim defacto etiam per Episcopum Zagrabiensem, possessos partim
„ vero per Valachos occupatos, nimirum oppidum S. Crucis in Obedt, cum Pagis Nro 18.
„ intra ambitum Ejusdem Insulæ adjacentes, Denique tres Villæ sive Pagi, Bregh, Szent
„ Laszlov & Kamarnicza.

Quæ tamen universa, licèt aliquaomnino secutis, postea etiam pluribus Regijs Comissionibus, neque alijs, neque Epppo Zagrabiensi è manibus Generalatus dicti Varasdinensis restituta sunt. Hinc, & in sententia, illa apponũtur, quæ tunc ex Generalatu exscindenda postulabantur.

Hrasztovicza quoque Mensæ Eppalis dici potest. A Primis enim Episcopatus temporibus Ecclesiæ, ab eadem avulsa. Dein per Ladislaum Eppum jure revindicata uti Cap. XIII. dicetur. suísque locis fiet mentio.

Biskupecz ad Varasdinum *Fundationale* esse, inde credimus, quod in Andreæ Regis, de Anno 1215. ac Privilegio Civitatis Varasdinensis, metæ Civitatis metari, & vicinari dicantur, *cum terra Episcopi.* De quo etiam suis locis, in Episcoporum serie, fiet mentio, De Abbatia B. M. V. de *Toplicza* hodie Topuszka dicta, infra in Mathia Brumano Episcopo Zagrabiensi dicetur. De alijs autem Bonis sequentibus Capitibus. Quare sit

CAPUT X.

De Ivanich, Ejusque Curia.

TRes antiquis & Vetustioribus illis temporibus districtus, sive Provincias Episcoporum Zagrabiensium fuisse monumenta referunt. Prima eaque Principalior fuit Chasmensis (de qua inferius parte 3. ubi de Capitulo Chasmensi) alia *Ivanich*, tertia *Dubrova*. Hæ, non solum sub se Nobiles habebant Prædiales, sed jobagiones sive Colonos, & Oppidanos etiam, Cives nuncupatos.

Et

Et in Ivanich tales fuisse videlicet Jobagiones, certum habeo ex Eberhardi, & Oswaldi Episcoporum olim Zagrabiensium Statutis & satis fusionibus Literis, in quibus Eberhardus de Anno 1406. eorum obventiones, robotas, Judiciorum modum &c. regulas. Quæ Oswaldus postea, partim auxit partim modificavit. Cúmque hæ Litteræ, majores mole essent, á nobis omittuntur.

2do Oppidum ac in eo Cives fuisse olim, ex Ejusdem Eberhardi Eppi, dato ijsdem Civibus Privilegio constat; ex quo (cum & hoc fusius foret) sequentia eruuntur.

Primò Fundatoris neque nomen neque fundationis Oppidi Ivanich annum ab Eberhardo adferri; sed duntaxat: quod *ab olim videlicet tempore fundationis & inceptionis Ejusdem Villæ Ivanich, per Ejusdem fundationem & dispositionem Eisdem & Consimilibus Libertatibus & libertatum prærogativis ac juribus fulciti exstitissent & roborati, quibus libertatibus Cives seu hospites, liberæ Villæ Nostræ Chasmensis fruerentur & gauderent.* Ex quo conijcio, à quopiam Zagrabiensium Episcoporum fuisse fundatum hoc Oppidum, & ex nomine *Ivan*, à Joanne fors primo Episcopo, fuerit inchoatum, & sub nomine D. Joan. Baptistæ fabricata Ecclesia, à qua locus ipse Denominationem accepit. Vide infra Cap. XII. in Joanne I. Episcopo.

Benedictus Vinkovich ex Inscriptione Anni 1508. supra portam Majorem & Insignibus LUCÆ Eppi credidit, ab hoc, & primò ædificatam Ecclesiam sub titulo Joañis Baptistæ, à qua Ecclesia, *Ivanich* appellatum fuisset, & oppidum ipsum primò ab Eodem fundatum. Sed Magnus Vir Civium Libertates ab Eberhardo concessas Anno 1404. & à Sigismundo, ac Alberto Regibus confirmatas non legerit, tanquam sibi ab ijsdem non productas, ut hæc natio difficilis foret in similibus producendis. Hinc restauràsse Lucam crediderim Ecclesiam illam antequam PP. Franciscanis dedisset eandem.

2dò. Quod temporibus impacatis, *Ladislaus de Losoncz* dictam insulam Ivanich hostiliter subintràsset, & ductis Civibus per manum violentam, primævas eorundem privilegiales Literas abstulisset, eosdem spoliando. Quod acciderit circa 1387. quo dictus Ladislaus de Losonz fuerat, Banus Zeuriniensis, & Generalis Capitaneus Regnorum Dalmatiæ Croatiæ Sclavoniæque. Qui in Epistola sua ad Cives Montis Græcensis Zagrabien. data Die 1ma Martij 1387. Inter reliquos Reginali Majestati rebelles, Joannem videlicet Machoviæ Banum, Item Joannem Priorem Auranæ, cum Horvath &c. ex quorundam relatibus Eppum, & Caplm Zagrabiense, se præfatis adjunxisse scribit, mandátque ut ad Capitulum sub pœna Infidelitatis descendant, omnes & singuli, illudque spolient, quod tamen postea verum non fuisse, Sigismundus agnovit. Credimus ergo occasione ista Ladislaum de Losoncz, etiam Insulam oppidúmque Ivanich spoliàsse.

3tio. Præfatum Eberhardum, has nominetenus prædicto oppido Ivanich libertates concessisse. *Imò* ut Ipsi facultatem habeant, eligendi Judicem cum 12. Assessoribus, qui tamen vel ab Eppo, vel Ejus Vicario temporaneo per illos præsentatus confirmabitur. Judicaturus in oppido causas omnes præter causas Notæ Infidelitatis, & graviores Ejusmodi, pro temporaneo Vicario reservatas. Appellatione ad eundem Vicarium, vel Ipsum Eppum in causis à Judice ipsorum judicandis, *Salva.* Absque omni persolvendo, in hoc foro appellatorio, ut ibi dicitur, *Tributo.* *2do* ut Liberam habeant testandi de omnibus facultatem, & si intestati decederent, Bona eorum ad uxores & proximos devolvantur, qui autem uxores non haberent, intra spatium anni unius omnia servabuntur, comparentibúsque cognatis aliquibus, ipsis: dabuntur, si autem non comparuerint intra annum pro anima defuncti dividentur. *3tio* Si quis ex Nro Civium aut de dicto oppido abire voluerit, depositis prævie 12. Denarijs Judici, una cum rebus suis abire valebit, si vero furtim & non obtenta venia abiverit, universa ejus ad Cameram Eppalem devolventut. *4to.* Decimas universas à terris suis Sanctimonialibus B. V. M. de Ivanich dabunt & persolvent. *5to.* Si quis homicida esset ex Civibus, perpetuo exulabit, portióque ejus cedet Judici, salva uxoris & prolium ejus portione. *6to.* A qualibet Integra Curia seu Mardurina in festo B. Petri Apostoli 12. Denarios Item in Vicem piperis, vini, pabuli, farinæ &c. quæ olim in natura præstabant, juxta Joannis Eppi constitutionem solvent ad festum S. Georgij 30. Denarios & alios 30. ad festum S. Andreæ, pro prædictis minutis, ad Cameram Eppalem. *7mo.* Causas extraneorum Comes Provinciæ de Ivanich, cum Judice Villæ judicabit, à quibus duæ partes Comiti, tertia judici cedet. Civium causas solus Judex cum Assessoribus. *8vo.* Triduo ante festum Assumptionis B, V. M. triduoque post festum, nullus causa debiti audeat aliquem ex Civibus molestare vel impedire, sed nec alium in nundinis, præterquam si fur vel latro in dictis nundinis reperiretur, Quos Judex oppidi poterit detinere & judicium ac justitiam facere. *9no.* Causas quæ occasione nundinarum occurrere possent Judex judicabit. 10. Nullus extraneus testis contra Cives, in Judicio assumi poterit. 11. Nullus Comitum, vel Officialium Episcopalium descensum apud Cives facere præsumat violenter. *12o.* Nec Eppus, nec ullus possit Cives, ad aliquos labores compellere. 13. In foro præemptionem rerum Cives habeant, nec ullus pu-

gilem adducere contra, vel duellare cum Civibus possit. 14. Cives de Ivanich ab omni Conductura Retium & Cassidum, & quarumlibet rerum Episcopalium perpetuo sint exempti. Neque ab Officialibus Eppi possint vadiari aut damnum pati aliquod, quin nec ab ijsdem Officialibus attrahi. Coram alio, ac eorum Judice, à quo satisfactionem obtinebunt. 15to. Alij qui intra Cives commorarentur, & Cameræ Eppali nil solverent, ad communitatem Civium solvent. 16to. Ipsi duntaxat Cives eisdem sylvis utantur, & possint perfrui in perpetuum quibus utuntur Jobagijones in provincia Ivanich commorantes.

Hæc Civibus concesserat Eberhardus Privilegia. à Rege Sigismundo etiam confirmata sub duplici Sigillo pendenti de Anno 1407. IV. Kalend. Mensis Septemb. *Per manus Reverendi in Christo Patris Dñi Eberhardi Eppi Ecclesiæ Varadiensis Aulæque Nostræ Majestatis Summi Cancellarii. Reverendis in Christo Patribus & Dominis Valentino Titul. S Sabinæ Ss. Romanæ Ecclesiæ Presbythero Cardinali & Ecclesiæ Quinque Ecclesiensis Gubernatore, Joanne Strigonien. Colocensi & Jadrensi Sedibus vacantibus. Andrea Spalatensi, & altero Andrea Ragusiensi Archi Episcopis, eodem Dño Eberhardo Varadiensi, Stephano Transylvanien, Zagrabiensi, & Agriensi Sedibus vacantibus. Joanne Bosnensi, Joanne electo Resprimiensi, Joanne Jauriensi, Vacensi Sede vacante Fratribus Dosa Chanadiensis, Hynkone Nitrien Electis, ac Thoma Scgnien. Ecclesiarum Eppis, Ecclesias DEI feliciter gubernantibus, Syrmiensi, Traguriensi, Scardonen, Tinniniensi. Nonensi, Sibinicensi, Macarensi, Pharensi & Corbaviensi Sedibus vacantibus Nec non Spectabilibus ac Magnificis Viris Domino Hermanno Comite Ciliæ & Zagoriæ, Dalmatiæque & Croatiæ Prædictorum ac totius Sclavoniæ Regnorum Nostrorum Bano Socero Nostro Charissimo, Nicolao de Gara Regni Nostri Palatino, Joanne & Jacobo Vaivodis Nostris, Transylvaniæ, Comite Francisco Filio quondam Kouye Bani, Judice Curiæ Nostræ, Joanne de Maroth Bano Nostro Machoviensi, bonore Banatus Szeveriniensis vacant &c.*

Idem quoque Sigismundus Præfatis Civibus Jvanicensibus forum Annuale seu Nundinas liberas, & ab omni exactione Tributorum sub Castro *Sumpneth* in Lupoglo & in partibus exigi solitorum in festo Assumptionis B. V. M. & uno die idem festum præcedente, & alio sequente, annis singulis concesserat, Alberto Rege etiam istud extendente ad Nundinas in foro Annuali Oppidi Jvanich, & eas concedente : Pro Octavo die Festi Paschæ Domini, Item singulis Festivitatibus Nativitatis B, Joannis Baptistæ. de Anno 1438. quas ipsorum Immunitates, cum plurimi Epprum Zagrabiensium confirmâssent, Ipse quoque D Leopoldus 1660 die 12. Mensis Martii confirmavit adjectis his conditionibus. *Batenus quatenus eadem ritè & legitimè existunt emanata, viribusque earundem veritas suffragatur, & in quantum iidem oppidani Jvanisenses in continuo ejusmodi Privilegiorum suorum usu, bactenus fuerunt, ac etiamnum existunt, ratas gratas & . Stylus salvo etiam jure alieno.*

Sed cum his obuterentur, Anno statim sequente 1661. non obstante etiam *Protectionali* mandato, iidem Cives sententia mediante oboliti fuêre. Privilegiáqne eorum inter *Obsoleta* rejecta, pro Tribunali sedente, & judicante Joanne Szakmardi Regni Protho-Notario, ut Delegato per suam Majestatem Judice. Hinc, Novas gratias ab Eppo Petro Petretich sibi impetrârunt de dato 1661. die 21. Mensis Decembris, quas longum foret describere. Quæ tamen tales sunt, ut integrè subjecti Eppo, & ejus Officialibus maneant.

Hi autem fuerunt illi, qui in præsidio Jvanich forisque extra Fossatum habitant, sese postea Confiniariis subjicientes. Præmissa retulimus ideo, quod plebs antiqua illa hodiedum haberet Privilegia, quibus 1750. parum abfuit, quod tumultus non fecerit.

Jvanichii Zagrabienses Eppos Residentiam Curiamque amplissimam olim habuisse certum est. Quæ in quo loco antiquitus fuerit? pro certo non comperimus. A Joanne Primo Episcopo præsidium ædificatum comperimus, sed an Curia in loco illo supra Monasterium, posita à Joanne fuerit? dubitamus, credentes postea collocatam in colliculo qui vulgò *Pallachibche* appellatur. Et quidem à Ladislao Eppo Zag Qui 1337. confirmans statuta Capituli, finit. *Datum in Castro novo de Jvanich.* Habuit vetus illa curia, hortos amplissimos, Piscinas item aliáque ad amœnitatem composita, ut Benedictus Vinkovich, suis temporibus, horum fuisse vestigia testetur.

Et licet vacante annis pluribus Zagrabiensi Sede in ruinas quasi omnia desolationemque abivissent; attamen à Luca Episcopo, ut sua supra Portam Monasterij, perhiberent Insignia : Annúsque 1508. Reparata fuerit, Patrésque D. Francisci de Observantia in Monasterium inducti, cum antea & prioribus Sæculis an aliqui fuissent? non comperiamus. Præter Moniales Ordinis Præmonstratensis. Quæ ibi fuisse eruuntur ex Eberhardi Civibus dato Privilegio, ubi hodie est Parochialis. Cùm sub Titulo B. V. M. ab eodem Eberhardo fuisse memorentur. Hinc & in *Regestro* Parochorum 1501. inter Parochos non invenitur. *Parochialis B. V. M. de Jvanich.*

Tam ergò Curia à Luca reperata, quam & Monasterium in flore manserant ad Annum Dñi 1552, quô Antonius Vramecz Zagrabien. olim Canonicus, secundum monumenta

ta quoque Ecclesiæ Zagrabiensis (tametsi Jstvanffius 1553. id factum fuisse scribat) Turcæ Csasmam occupaverant, eandem desolando. Cúmque Chasmensium incolarum plures, sese Jvanichium recepissent, ac de die in Curia Episcopali servâssent Vigilias, Noctu autem securitatis majoris gratia, sese ad Monasterium (quod à Patribus Franciscanis Anno 1544. jam desertum ob metum Turcarum, qui Anno eodem Velikam & Moszlovinam sive montem claudium expugnaverant, fuerat) salvare consuevissent, accidit ut Chasmam Turcæ per Rascianos vulgo *Valachos* noctu deducerentur, & nemine in Curia Episcopali reperto, eandem Rasciani succenderunt, totáque in Cineres abiens, finem accepit, sub Wolffgango Gaulai Eppo Zagrabiensi.

Cum autem PP. Franciscani Monasterium Jvanicense 1544, & aliud *Podgradie* deseruissent, Præfatus Episcopus *Gyulai* illud apprehendit, ac hominibus suis, metu Turcarum undique profugientibus repleri curavit. Paulo postea, datis ex Mandato Regio, Regníque voluntate Confiniis Sclavonicis, Germano Militi, hinc ipso etiam Monasterio Jvanicensi & Ecclesia, cujus Sacrarium pulveribus Pyrriis conservandis, serviebat, Episcopus Gyulai Capitaneum Jvanicensem Petheo cognominatum, suum, pro tutandis magis illis partibus, in Provincia Jvanicensi Provisorem & Plenipotentiarium constituit. Cujus Servi, Vino somnóque obruti, magna injuria ex succenso, stabuli fœno, Monasterium incenderunt noctu, ut ex incendio non solum conflagrârit, sed ob accensos Pulveres, quorum intus custodia fuit, maximas ruinas, extremosque casus accepit. Et cum Episcopus irrogata damna jure prosequeretur, vitæ prius finem, quam causæ accepit. Irritans potius Milites, qui nec Dominium ei, indulgebant. Quare Petrus Hereltinczi. Episcopus Zagrabiensis de Anno 1639. cum Domus illas, quas pro se Petheo erexerat, cuidam Petro Haszanovich donâsset, ipse partem Orientalem præfati Monasterii texit, reparavit, & cum difficultate Provisores suos reduxit. Atque ita Monasterium prædictum, ad Francisci Erghelij tempora, à solis possidebatur Eppis, quod plures apud subditos Jvanicenses legerim litteras, in quibus Eppi Monasterium *Jvanicense*, suum vocant Monasterium, uti Petrus Hereltinczi, Georg. Draszkovich &c.

Franciscus autem Erghelius cuidam Fratri Meghyuvechky, ex Crisiensi Conventu vocato, ibi cum provisore hospitium indulserat, habitabántque in simul annis quatuor. Cum autem verbales quasdam injurias à Gregorio Vaidich Episcopali Provisore accepisset, Crisium reddiit. Tandem Benedictus Vinkovich Zagrabiensis Eppus, ex affectu quo in PP. Franciscanos fuerat, Divini etiam Cultus augendi Zelo P. Provincialis indultu, P. Fr. Christophorum Borosich, cum alio Sacerdote, & Laico uno suscepit, eósque in medietate Monasterii statui curavit per Andream Suppanich Archidiaconum Csasmensem, & Officialem suum Joannem Zmollianovich, aliam autem Medietatem pro se reservaverat, quæ nescio à quo dein PP. obtigit. Hæc omnia ex eodem Benedicto Vinkovich 1641. de hoc Monasterio scribente, accepimus; licet fusiorem ejus calamum, in compendium redegerimus. Plura omittentes, quæ ipse scripserat, facti quodammodo sui pœnitens.

Petes 1. Quando Monasterium illud Monialium desiit? ℞. Quamvis annum non invenerim, puto tamen revolutionibus illis quæ sub Mathia, aut Vladislao fuerunt, dum Turcæ partibus in illis grassarentur, de quo vide Jstvanffium.

Petes 2. Num Pagus Oppatinczi ad has Moniales pertinuerit? ℞. Ex sententia Comitis Nicolai Eszterhazii adjudicatoria constat Pagum Oppatinczi. ad Archi-Abbatem Montis Pannoniæ spectâsse, fuisse quoque ibidem quæ ad Abbatem B. V. M. de Bell. sztena spectabant, eadem sententia docet. Hinc Pagus ille ab *Oppat* suam videtur sortitus denominationem.

CAPUT XI.

De Alijs Bonis Episcoporum Zagrabiensium.

D*OMBRO* sive Dubrava in Cottu Crisiensi Fundationale esse ex supra dictis constat. Fuisse olim ibidem Oppidum Civésque ex Eberhardi Eppi dato Civibus Ivanicensibus Privilegio eruitur, quin & Episcopale Castellum: quod Fossato à quo cinctum sit, non comperimus. Interim clades varias, ac sæpius quidem passum fuisse, indubium est. Tam antea, quam & sub Osvaldo Episcopo, ac Simone postea. Maximam autem accepit cladem 1553, dum à Turcis direptum succensúmque est. Ac postea à Confiniario Milite tentum, quousque Casparus Ztankovachkius, illud rehabuit, denuo

ædificavit, uti pateret, ex suis Litteris, quas de Anno 1595. Dombrensibus dedisset, tenoris sequentis.

„ Nos Caspar Ztankovachky DEI & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Ecclesiæ „ Zagrabiensis, Sacrmæ Cæsareæ Regiæque Mattis Consiliarius, ac Regnorum Dalmatiæ „ Croatiæ & Sclavoniæ Banus, &c. memoriæ commendamus tenore præsentium significantes „ quibus expedit universis. Quod postquam Nos ad curam & regimen dictæ Ecclesiæ No„ stræ, superna disponente gratia assumpti sumus, id potissimum sedula mentis nostræ me„ ditatione pensandum plerumque suscepimus, ut Desolato Episcopatui Nostro, quem tot „ annis Turcica Tyrannis crudeliter ferro & igne vastavit, & nunc quoque vastare non „ cessat, consulere, illumque Populorum in locis, in cinerem & favillam redactis colloca„ tione, amplificare & proventibus augere satageremus. Idcirco Anno Dni 1487. pro„ ximè præterito Castrum Dombro, cum oppido tot annis in turpi & deformi statu, ma„ ximâque vastitate & solicitudine situm, metu Turcarum alias incensum, & relictum, mul„ tis expensis, curis & Laboribus nostris restauravimus, & munivimus, novámque quan„ dam coloniam DEO auspice concessam, novis hospitibus & Incolis integri septennij pro„ ximè præteriti libertate, ibidem instituimus, in quo quidem Oppido Dombro, postquam „ certi Cives domos & ædificia sibi fecerunt, talem cum illis transactionem perpetuo dura„ turam inivimus. Quod ijdem Dombrenses Cives, Universas Decimas, Frugum tritici „ videlicet, & Siliginis, hordei, Millij & avenæ in manipulis, porcorúmque & Apum nobis „ & Ecclesiæ Nostræ prænotatæ semper futuris temporibus dare & administrare debeant, „ & teneantur. Decimam Haidinæ, ibidem ab antiquo dicari & exigi solitæ, per duode„ cim annorum spatium, nunc statim sequentium ab Anno præsenti 1595. incipiendo ipsis „ Civibus Dombrensibus paternè relaxantes. Item si quis eorum Civium aliquas extirpa„ turas in territorio dicti Castri & Oppidi Dombro, à Dato præsentium fecerit, extunc duo„ bus annis à novis extirpaturis inseminatis, nullas Decimas nobis & Ecclesiæ nostræ præ„ notatæ præstet, sed tertio tandem Anno Decimator aut Officialis Noster, illas pro Nobis, „ & dicta Ecclesia Nostra exigere possit. Deinde dictis Civibus eorundemque Successori„ bus universis, Fundorum, Domorum, terrarum arabilium, aliorúmque quorumlibet Bo„ norum immobilium invicem Vendendi & Emendi facultatem perpetuo concedimus & be„ nignè annuimus. Salvis semper proventibus ex hujusmodi Bonis, Nobis & Ecclesiæ No„ stræ provenire debentibus. In quorum omnium fidem, testimonim, firmitatémque per„ petuam, ijsdem Civibus Dombrensibus, totique communitati Civium & incolarum ejus„ dem Oppidi Nostri Dombro, Ipsorumque Successoribus Universis præsentes Literas no„ stras, manus nostræ propriæ subscriptione, & authentici Sigilli nostri appensione commu„ nitas & roboratas dandas duximus & concedendas Datum Zagrabiæ die 9. Mensis Septem„ bris Anno Dni 1595.

Quas Literas Petrus Domitrovich in Anno 1612. feria 4. proxima post Pentecostes ipsis quoad omnia confirmavit. Usum liberum quarundam sylvarum addiciens, *secluso* ut dicit, *quorumcunque Vicinorum hominum si quando glandium ferax foret, aliisque in rebus consortio.*

Præmissa vendendi facultate abusi mutum Episcopales sunt: quamvis enim ex Desolatione per Turcas facta, in Deserta abivissent plurima, ut reducti Dombram incolæ, amplissimas perfecissent extirpaturas, tamen ob inductos Confiniarios præcipue postquam Petrus Domitrovich gentem Schismaticam induxisset, uti inferius parte 3. ex eorum apparebit historia, Dombrenses novis his Colonijs plurima vendiderunt, partimque in extirpationis socios assumpserunt Valachos, qui postea ob obtenta à Rudolpho Privilegia Decimas reliquerunt, & Confinijs adhæserint. Habemus quidem scriptum quodam vetus in quo Pagorum illorum illocationes describuntur, & quid? à quo? fuerit extirpatum, quidve à Dombrensibus venditum, sed causa brevitatis missa facimus. Pagus hodie *Zvekovczi* vocatus, prædium olim fuit Georgii Marich, qui Captus à Turcis vendiderat illud Centum florenis Imperialibus, sive 150. fl. Rh. cuidam *Delimiter* ex Turcia profugo. hic factus *Marcsa* Monachus denuo in Turciam reddiit, & Subditos suos Zvekovczi libertavit, erga depositionem præmissorum 150. florenorum. Hi dein Confinio adhæserunt, hócve sub Erghelio Episcopo. Qui ut his finem faciat, ad Ferdinandum pro supra relato Privilegio recurrit, & abolita tunc similis venditio, mandato etiam ad Generalatum Varasdinensem dato. Cúmque vigore illius Privilegii, tam Franciscus Erghelius, quam & Benedictus Vinkovich, recuperare, sua intendissent, per Processus, judiciaque Octavalia Pagorum plures, Contumaces facti, ad Protectionem Generalatus aufugerunt, seséque subjecerunt, re semper ad Commissiones relegata, & protracta, ut hodiedum maneat indefinita.

CSAS.

CSASMA Arx & Dominium magnum fuit Episcoporum Zagrabiensium, per Turcas, aliosque desolatum, sed de hoc parte 3. Ubi de Capitulo Csasmensi agetur.

GARICH Arx celebréque olim Dominium, quod tamen 1544. malè defensum, Episcopi Militibus Jvaniehium sese recipientibus, & solum 20. remanentibus, neque sufficientibus à Turcis eversum desolatúmque est, nec amplius restauratum. Vide infra in Timotheo Eppo, & ejus Successoribus.

CASTRUM SUMPNETH ad Lupoglo Episcopale quoque fuerat, quod in Sententia Comitis Nicolai Eszterhazy *Gijumnetb*, aliter *Boszilievo* credo appellari. Hoc finem etiam suum sortitum est 1557, per Ferhatem Turcam. Quod tamen postea ut audivi, licet non surrexerit ad splendorem pristinum, per Martinum Braikovich, ad servandam ejus memoriam in Lupoglav erectum est. De aliis vide superius Cap. IX. in sententia Comitis Palatini Nicolai Eszterhazy. Unde illa omittimus, *Berzencze* amplissimum olim Episcoporum Zagrabiensium fuit Dominium ex Donatione Ladislai IV, Filii Stephani V. Kvvntlaszlo dicti. Qui Donatione Perennali in Anno Domini 1277. non solum Dominium Bonáque Berzenze contulit, sed etiam Comitatum. De quo Comitatu jure quæri potest, an purè honoris sit, vel realis olim fuerit. Ex Authorum Historiæ Hungaricæ silentio de Berzewczensi Comitatu, credit Vinchovichius, per hunc Comitatum non intelligi aliud, quam Bona ipsa Episcopalia, in quibus Episcopus Judex est, suos Subalternos creans Officiales, puta Comites, qui Curiales dicuntur, & eorum Vice-Comites, item Vicarios temporaneos, qui Ordinarii sunt causarum Judices, quæ intra Subditos accidunt. Cum enim à Jurisdictione Comitatuum Ecclesiæ hujus populus exemptus esset, Episcopum eorundem Supremum Comitem esse existimat, atque ita Ladislaum Comitatum de Berzenze intellexisse, quod videlicet, in Amplissimis Bonis illis, nulla Comitatensis Jurisdictio sit, sed Episcopus ipse gaudeat Jurisdictione, qua Comitatus. Hoc ita, aut aliter Ladislaus intellexerit, nos relinquimus. Interim cum hodiedum Honor iste soleat conferri Episcopis, credimus Titulum Comitatus hujus olim fuisse. Et an Judicatus ille, quo funguntur Episcopi in Bonis suis, sub hoc veniat Comitatus nomine, Nostrum decidere non est. Plura de hoc Comitatu, in TIMOTHEO & Successoribus Episcopis cognosces.

VASKA, *ZOPIE*, *SLATINA* in Comitatu hodie Verôcensi Bona ad Eppatum pertinentia esse, Carolus ipse VI. per Donationem suam 1728. emanatam, agnovit. In quibus & Episcopus Georgius Braniug Statutus est, & certus annuus census, arendæ titulo, ab his annuè Eppo Zagrabiensi, à Camera persolvitur.

Porro alia quoque Bona, Episcopatus fuisse ex Archivo constat. Egóve qua Alumnus Philosophiæ Viennæ studens, ex repræsentatione Eppi Zagrabiensis, Laborante Georgio Marcellevich Can. Zagrabiensi, copiando plura descripsi. Et sunt

Bazie hodie in Dominio Orahovicensi.
Barova In Dominio Vuchin.
Brogianczi in Dominio Valpo.
Budanicza in Vuchin.
Bukovicza in Verôcensi.
Chachinczi in Dominio Orahovicensi.
Chiagavicza in Valpo,
Chernacz in Orahovicza.
Chiabuna in Vuchin.
Dobrovich in Orahovicza.
Dolczi sive *Dolenczi* Orahovicza.
Gachische seu Bachische in Vuchin.
Kapelna in Orahovicza.
Kapinczi in Veroviticensi.
Koricze in Verocensi.
Lipovecz seu Lipoa in Verocensi.
Lukauczi seu Lucas in Verocensi.

Medinczi, *Melani*, *Miholyancz* seu *Miholiacz*, *Nahodovcz*, *Noskovczi* seu *Viskovczi*, *Novakij* seu Novakovecz, *Oreſſecz*, *Reidfalije*, *Szladojevczi*, *Sztarin*, *Turbina* nunc *Bakichje*, *Verovcza*, *Vranoſſevcz* in & sub Eodem Dominio Verovczensi.

Milievcz, *Rainopolje*, *Szuha Mlaka* in Orahovecz.

Moszlovina in Valpo. *Pchelich*. *Popevcz* seu *Popovacz*, *Rachinovcz* seu *Rechina*. *Rezovacz* in Vuchin.

Alia præterea etiam Bona habuit: uti *Krachinovcz* ubi Castellum de Anno 1482. *Radonfalva* in Cottu Crisiensi 1485. *Hruſſevcz* in Eodem Comitatu *Zlobodchina Zigeth*, & *Simonfalva*, *Mentyncz* *Zalatnok*, *Kneya*, *Ivancz*, *Borichkovz*, *Breghi*, *Varfalva*, *Zemnik*, *Nagylovnik* *Beſſáſzentivan*, *Antalovcz* *Udvarovcz*, *Kanincz*, *Zredanovcz*, *Zelcza*, *Geſſe Tremecz*. *Gveſche* Vide supra Cap. VI. *Zelkovcz*,

kovcz, Zerdadely, Zenlaszlo Provincia appellata. *Zdelaszent Mihalij* in Cottu Crisiensi hodie Miholcy. *Tersztenik Jazvanya, Gachischia, Ivanecz* Oppidum, *Beketyncz. Klych Zredanovcz. Wilheu* & Myrsa &c.

Ex quibus non omnia ampliora fuisse Dominia puto, sed pagos, villas & oppida. Quædam tamen, Dominia Magna fuisse Invenio.

Pro his, aliisque revindicandis, & restituendis, plurimum laboraverunt Martinus Braikovich Epp. Zagr. qui etiam 1704. per Decretum Camerale plurima resoluta habuit, ea tamen sub conditione, ut annuè proventuum fructuúmque tertialitatem Cameræ Regiæ administrare teneatur. Qua obligatione, dum se per Regiam Benignitatem eximendum etiam ante resolutorum Bonorum apprehensionem allaborâret, moritur. Post hunc, Georgius Branjugh, statim ac resolutus fuisset, rem hanc promovit, ursitque fortissime, Et Anno 1728. die 20. Maij quædam resoluta habuit. Uti Comitatum de Berzencze, tam quoad officium & honorem, quam etiam Dominium & possessionem cum Arce & Oppido in quantum præ manibus Fisci exstârent, & Eppus intra Anni Spatium Apertinentias Ejusdem probaverit. Salvo jure tertij, & Familiæ signanter Szallayanæ.

2do. Terra Vasca & prope Vaskam S. Martini, olim ab Urbano Podbrath, Consensu Regio accedente Thimotheo Eppo Zagr. pro 30. Marcis argenti venditum, in quantum præ Fisci Manibus essent, & Episcopo Quinque Ecclesiensi data non fuissent, resignanda decernuntur una cum alijs.

Plura quoque habuîsse olim, Episcopos Zagrabienses: infra ex Eorum serie advertetur. Idcirco existimet nemo, juris ideo Eppalis quædam non esse, quod nos Eorum non reminiscamur, qui illa retulimus, quorum notitiam obtinuimus. De VUGRA, Selinna, Inferius dicturi.

SED PETES num Medvedvar, sive Medved juris sit Ecclesiastici? cum illud Philippuus Ecclesiæ Zagrabiensis Episcopus ædificâsse legatur.

℞. Cum Anno 1748. Viennæ fuissem, & in in erudito amicorum discursu, mentio hujus obvenisset, fateórque minus respondere potuissem, amicorum quidam, hæc mihi die altero dono dedit authentica, licèt transsumpta documenta, quæ sub Leopoldo Rege credibilius per Capitulum fuerint exhibita. Ac primò quidem Instantiam ipsius Capituli ad D. Leopoldum factam tenoris sequentis: „ Sacratissima &c. Serenissimus quondam „ D. Bela IV. Rex Hungariæ certam possessionem supra Zagrabiam, Zagrabiensi jure „ perpetuo contulit Ecclesiæ, in qua Castellum Medved sumptibus dictæ Ecclesiæ con„ structum, & postmodum eidem Regi Tartaricam in Insulas Maritimas fugienti perse„ cutionem, pro nonnullis rebus Regiis conservandis, ab eadem Ecclesia accomodatum „ fuit, & præ manibus dicti Belæ Regijs, ejúsque Filii Stephani, ad mortem usque per„ mansit. Ladislaus vero Filius Stephani prædicti, iterum Zagrabiensi Ecclesiæ resti„ tuit. In quo quidam Gardinus Castellanus constitutus, immemor fidelitatis suæ, ma„ le sana consilia secutus, idem pro se usurpavit, nec ullo pacto ab inde dimoveri po„ tuit. Sed quando Andreas Tertius Venetus, Rex Hungariæ factus, ipsum compre„ henderat, idémque, ipsi prædictum Castellum tandem pro sui eliberatione consignâ„ rat. Spes affulserat Nostris Antecessoribus, ut iisdem memoratus D. Andreas Rex, uti „ Hungariæ Summus Patronus, antelatum Castellum restitueret. At ille Castellanatum „ ejusdem, cuidam Veneto Nicole Torusto tradidit, illo mortuo ad manus Janini Fratris „ ejusdem devenit, ipso interempto Marcus Presbyter Canonicus dictæ Zagrabiensis Ec„ clesiæ, Frater ipsorum Nicole & Janini, qui tunc in eodem Castello morabatur, idem „ apprehendit, ipsúmque Stephano, Joanni, & Ladislao Filiis cujusdam Bobonigh præ„ cio accepto tradidit. Idem deinde Stephanus ad conscientiam suam reversus spo„ ponderat se memoratum Castellum recepta sua pecunia remissurum, interea autem mo„ re Castellani idem possessurum, subjiciendo se poenis Ecclesiasticis, si suis non staret „ promissis. Dum igitur ad Capitulum prænotatum suprascriptum Castellum redire deberet „ quidam Hermanus, & Petermannus, idem à Divo Sigismundo Rege Hungariæ impe„ trârunt. Ab illis ad Cilliæ Comites devenit, illis extinctis D. Mathias Corvinus Rex „ itidem Hungariæ, apprehendit, ab illo ad Filium ipsius Joannem, & per relictam ejus„ dem Beatricem Frangepani ad D. Georgium Marchionem Brandeburgensem, cui illa „ nupserat: illis deficientibus, ad Joannem Torquatum Carlovicii, Comitem Corbaviæ, „ illo etiam deficiente ad Sororium ejusdem Comitem Nicolaum á Zrin Szigethanum, „ mediante Regia donatione Divi Ferdinandi Primi Regis Hungariæ devenit, & præma„ nibus Familiæ Zrinianæ ad præsentia usque tempora permansit. Prouti hæc omnia au-

„ then-

„ thenticis Literalibus documentis si necessum foret Coram Inclyta Vræ Majestatis Sacra-„ tissimæ Cancellaria Hungarica Aulica comprobare parati sumus. Quapropter suppli- „ camus humillimè, quatenus si in moderno statu rerum, cuipiam Fidelium Vestræ Maje- „ statis Sacratissimæ prænotatum Castellum jam jam destructum & desolatum, à M.V. SS, „ conferendum foret, idem potius Nobis, uti olim Nostrum, & male ab Ecclesia hac „ Cathedrali Zagrabiensi alienatum cum universis suis appertinentiis, cleme ter restitui „ facere, quam cuipiam alteri donare dignaretur. Pro quo si quid Fiscus Majestatis „ Vræ SSmæ, à Nobis petierit, & Majestati Vræ, ita visum fuerit, eundem etiam pro „ possibilitate Nostra contentare conabimur, dummodo ipsum tot annis ab aliis dete i- „ tum recuperare, & iterum Bonis Ecclesiæ DEI reunire possimus. Quam gratiam &c. „ Humillimi Capellani Capitulum Ecclesiæ Zagrabiens.

Ex hac Capituli Instantia, Historia Castri hujus possessorum, colligitur: quæ ut verbá illa: *Comprobare parati sumus authenticis Literalibus documentis*, nullum relinquere videtur dubium.

Attamen ex paulo post adducendis, quæ idem amicus Nobis suppeditavit, documentis, hæc Castri hujus deducitur historia. Philippus Zagrabiensis Eppus simul una cum Zagrabiensi Capitulo idem Castrum postquam erexisset, Belæ pro Thesauro Regio conservando ad tempus fuit traditum, ac postea per Duces, Banósque Sclavoniæ successivè constitutos, ob bella inter Stephanum Regem, & Regem Boemorum perdurantia pro conservatione Sclavoniæ possessum conservatúmque. Timotheo Eppo Zagrabiensi & Capitulo, perpetuo possidendum 1273. per Ladislaum Regem restitutum est. Sed per JOANNEM Eppum Zagrabiensem cuidam GARDINO una cum Castellanatu donatum. Qui Andreæ dicto Veneto in sui liberationem illud tradidit, cum Michaël Zagrabiensis Eppus prohibuisset ne Gardino Castellano de Medved, petita à Capitulo Victualia, suppeditare audeat Capitulum. Ab Andrea, Torustijs donatum, sed à Marco causa injuriarum (uti infra dicetur) venditum Bobonoghijs, tandem ab Eberhardo Zagrabiensi Eppo revindicatum, & ab hoc contradicente Capitulo, Nepotibus suis Hermano ac Petermano, mediante Donatione Episcopali, à Sigismundo Rege confirmata Donatum, cum possessionibus Szlamnovcz, & Szent Jakob. nec non Vado seu portu fluvii Savæ. Penes eosdem, aliosque postea Successores permansit. Cum Simone Eppo ut Actore, contra Capitulum pro Literalibus Instrumentis litigando. Tandem post defectum Marchionis Brandeburgici, in parte appertinentiarum ejusdem Castri Medvedvar Capitulum subintravit, uti videre est ex Mandato statutorio inferius apponendo. Post defectum autem Zrinianæ familiæ, contradicente Episcopo Borkovich, utpote purè ad Episcopos spectare Castrum Medved prætendente, nil conclusum est, sed & Capitulum cum Episcopo ad Bona Boszjako impetranda, prout illa & impetraverant sese transtulerunt, ab Instantia superius adducta supersedendo. Jam hactenus dicta, roboranda. Igitur sit.

Donatio Regis Ladislai.

„ Nos Præpositus & Capitulum Strigoniensis Ecclesiæ, significamus tenore præsentium „ Universis. Quod honorabilis Vir, & discretus Dominus Jacobus Præpositus Zagrabien- „ sis Ecclesiæ nomine suo, ac totius Capituli memoratæ Ecclesiæ Zagrabiensis, in nostri con- „ stitutus personaliter præsentia, Literas Privilegiales Ladislai Dei gratia illustris Regis Hun- „ gariæ Nobis exhibere curavit, petens à Nobis cum Instantia, ut easdem nostris litteris in- „ seri faceremus cujus tenor talis est.

„ LADISLAUS Dei gratia Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Serviæ, Gallitiæ, Lodo- „ meriæ, Cumaniæ Bulgariæque Rex, omnibus præsentes literas inspecturis salutem in Vero „ Salvatore. Ad universorum notitiam tam præsentium, quam futurorum, harum seriæ „ volumus pervenire. Quod cum olim clarissimus avus noster Dominus Bela Rex felicis re- „ cordationis, Castrum quodam juxta Zagrabiam, quod Medvedvar nuncupatur, tempo- „ re translationis Domini Philippi tunc Episcopi Zagrabiensis, ad Ecclesiam seu Archi Episco- „ patum Strigoniensem, pro conservando Thesauro Regio, ad tempus ab Ecclesia Zagra- „ biensi recepisset, & licet postmodum ipsum Castrum taliter, à jam dicta Ecclesia aliena- „ tum extitisset, & per Banos, Duces Sclavoniæ successivo pro tempore constitutos, eò quod „ dictum Castrum in Confinio Regni Sclavoniæ est constructum, Guerra inter Dominum „ Stephanum Regem charissimum Patrem Nostrum claræ memoriæ, & Regem Bohemorum „ perdurante, ad conservationem illius Provinciæ retentum fuisset & conservatum. Tamen „ quia pro certo certius constitit nobis, per Barones & Nobiles Regni Nostri, quod jam di- „ ctum Castrum ex Bonis & Sumptibus Ecclesiæ Nostræ Zagrabiensis, per præfatum Vene- „ rabilem Patrem, tunc Prælatum ipsius Ecclesiæ constructum fuerit, & munitum. Nos

„ nolentes juri cujuspiam, & specialiter juri Ecclesiastico derogare, attendentes maximè, „ quod Vblis Pater Timotheus Eppus præfatæ Ecclesiæ Zagrabiensis. Dilectus & fidelis noster, qui nedum id quod suum & Ecclesiæ suæ jus attigit, de regali magnificentia meretur, verum & propter suæ immensæ fidelitatis & servitiorum merita, majora & ampliora sibi & Ecclesiæ suæ imperpetuitatibus seu Donationibus perpetuis debuisset promereri. Prædictum Castrum Medvevar cum ipsius omnibus pertinentijs, & utilitatibus universis restituimus & reddidimus præfato Vbli Patri, & Capitulo Ecclesiæ suæ perpetuo possidendum pariter & habendum. In cujus rei memoriam firmitatémque perpetuam, præsentes concessimus literas, Duplicis Sigilli Nostri munimine roboratas Datū per Manus Mgri Benedicti Orodiensis Ecclesiæ Præpositi Aulæ Nostræ Vice Cancellarij Dilecti & fidelis nostri Anno Dni 1273. Regni autem nostri anno secundo, Metropolitica Sede Strigoniensi Vacante, VVlbbus Patribus, Stephano Colocensi, & Joanne Spalatensi Archi Eppis. Lamperto Agriensi, Brictio Chanadiensi, Job Quinque Ecclesiensi, Paulo Vesprimensi, Aulæ nostræ Cancellario, Philippo Vaciensi, Aulæ Dominæ Reginæ Consortis nostræ charissimæ Cancellario, Comite Neogradiensi. Ludovico Varadiensi, Timotheo Zagrabiensi, & Petro Transylvano Episcopis Ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Rolando Palatino, Henrico Bano totius Sclavoniæ, Nicolao Voivoda Transylvano Comite de Zonuch, Jowachino Magro Thavernicorum nostrorum, Comite de Pilis, Egidio Bano de Machov, & de Bozna, Paulo Bano de Seurino, Renoldo Mgro Dapiferorum nostrorum, Comite Zalgageniensi, Ugrino Magistro Agazonum nostrorum Comite Sirmiensi, Laurentio Mgro Pincernarum nostrorum Comite de Kewe, & de Korassow. Joanne Comite Soproniense, Gregorio Comite Castriferei, Moys Comite Simigiensi Dedalo Comite Zaladiensi, Michaele Comite Nitriensi, & alijs quam pluribus Comitatus & honores Regni tenentibus. Nos igitur, &c. stylus. Datum in Dominica, quæ cantatur *Reminiscere* Anno Dni 1325.

Aliarum Tenor talis est.

Capituli Albensis circa Medvevar relatoriæ.

„ Excellentissimo Domino suo, Domino CAROLO Dei gratia Illustri Regi Hungariæ Capitulum Albensis Ecclesiæ, Orationes in Domino salutares. Literas Excellentiæ Vestræ cum reverentia qua decuit recepimus, hunc tenorem continentes. Carolus Dei gratia Rex Hungariæ fidelibus suis Capitulo Albensis Ecclesiæ &c. Nos igitur mandatis Vræ Excellentiæ obtemperare volentes, pariter & perceptis, unum ex nobis discretum Virum Magistrum Blasium sub Custodem Ecclesiæ Nostræ, cum Joachino filio Thomæ Beridoy homine vestro, ad Ven. Patrem Dominum Ladislaum loci Ejusdem pro faciendis Inquisitionibus duximus transmittendum, qui demum ad nos reddeunres concorditer & pari voce retulerunt. Quod facta Inquisitione, tam apud Nobiles Regni, Cives Civitatum Regalium, communes populos, divites, & pauperes, quam apud Religiosos Sacerdotes, & Clericos Regni Sclavoniæ, ex confessione & relatione eorundem resciverunt. Quod Vener. Pater Dominus Philippus olim Eppus Zagrabiensis, & demum Archi Eppus Strigoniensis Castrum Medve, unà cum Capitulo Zagrabiensi in terra ipsorum proprijs sumptibus suis, & suorum construxerant & per multos annos pacificè possederunt. Tandem tempore Joannis Episcopi dictæ Ecclesiæ, per Gardinum cui Castellanatum ipsius Castri, Idem Joannes Eppus tradiderat, redditum non fuit, assumendo scrupulum Infidelitatis & malitiæ. Postmodum ad manus Andreæ Regis & suam liberationem, per quem detentus fuerat, est devolutum. Qui quidem Andreas Rex, traddidit Castellanatum dicti Castri cuidam Veneto Nicole Torusto, quo mortuo ad manus Janini Fratris Ejusdem devenit, ipso etiam interempto, Marcus Presbyter Canonicus dictæ Zagrabiensis Ecclesiæ, frater ipsorum Nicole & Janini, qui tunc in eodem Castro morabatur, habuit Castrum memoratum. Et per eundem Marcum, Stephano Joanni, & Radis filijs Bobonogh fuit traditum, quamvis Dominus Augustinus etiam Zagrabiensis Episcopus, Marcum prædictum de alienatione & filios Bobonogh de receptione legitimè personaliter, & per Idoneas personas ac sententias latas inhibuisset. Datum quarto die B. Joannis Baptistæ Anno Dni 1328.

Tertiæ Michaëlis Eppi.

„ Michaël DEI gratia Episcopus Zagrabiensis. Honorabilibus Viris Fratribus suis in Christo. Charissimis Capitulo Zagrabiensi syncere charitatis augmentum cum Benedictione paterna. Relatum est Nobis quod Gardinus Castellanus de Medved à Vobis peteret victualia, Unde cum Ecclesiam Nostram sibi vel cuiquam alteri tributari non velimus, Devotioni Vestræ Universitatis mandamus in præsentibus, quatenus dicto Castellano de Medved de Victualibus breviter nihil detis, nec dari faciatis.

Quar-

Quartæ sic se habent.

„ Nos Joannes Torquatus Comes Corbaviæ ac Regnorum Dalmatiæ, Croatiæ & Sclavoniæ Banus memoriæ commendamus. Quod cum in quadam causa inter Rssmum in Xto Patrem Dominum Simonem Eppum Ecclesiæ Zagrabiensis, ut Actorem, ac honorabile Capitulum Ejusdem Ecclesiæ Zagrabiensis veluti Incattum, ratione & prætextu certarum litterarum, & litteralium Instrumentorum Privilegiorúmque præfatæ Ecclesiæ Zagrabiensis, & per consequens ipsius Dñi Episcopi super diversis Bonis ac Juribus Possessionarijs Ejusdem Ecclesiæ, in diversis terminis, & annis emanatarum, certarum etiam aliarum differentiarum mota, ac de ipsarum ambarum partium, unanimi voluntate, in præsente feria sexta proxima post festum Epiphaniarum Domini, proximè elapsa præteritum. In do. Rdi Dni Andreæ Cheli Præpositi Ecclesiæ Strigoniensis, & Canonici prædicte Ecclesiæ Zagrabiensis, hìc Zagrabiæ constructa, coram nobis ac Egregiis Paulo Kerethjeni de Laniafelde Vice Bano Nostro, Magistro Stephano Henczelffi de Petrovcz Judice Curiæ Regiæ Mattis, & hujus Regni Sclavoniæ Protonotario, Balthasare Hobetich de Dobovcz, Vice Protonotario Ejusdem Regni, nec non Nobilibus Joanne Sampuh de Fœlso Thoplichicza, altero Joanne Barilovich de Goricza, altero Joanne de Neszpessa Judicibus Nobilium Cottus Zagrabiensis item Nicolao Woykffij de Klokoch, altero Nicolao de Peszerio, cœterísque probis, & Nobilibus Viris, Sedis Nostræ Zagrabiensis judiciariæ juratis Assessoribus, specialiter, videlicet causa in eadem Judicibus electis & deputatis. Inter cœtera prætacta literalia instrumenta quædam quinque literæ, Una Capituli Ecclesiæ Albensis protestationalis, Alia Capituli Ecclesiæ Quinque Ecclesiensis inhibitoria, tertia conventus cruciferorum Domus hospitalis Ecclesiæ B. Regis Stephani de Alba similiter Protestationalis. Quarta Capituli Ecclesiæ Chasmensis Transumptionalis, Quinta & ultima ejusdem Capituli Chasmensis relatoria super facto Castri Medvedwar, omnes in Papyro patenter confectæ & emanatæ sigillísque eorundem Capitulorum & Conventus à tergo impressivè consignatæ, ipsum videlicet Capitulum in causam attractum eodem modo veluti præfatum Dominum Simonem Episcopum, actorem concernentes per Honorabilem Magistrum Petrum de Grangya Lectorem & Canonicum ac Legitimum Procuratorem, Ejusdem Capituli Ecclesiæ Zagrabiensis in judicio fuissent exhibitæ, Mox idem Mgr Petrus in persona Ejusdem Capituli, paria earundem litterarum, in transumpto literarum nostrarum eidem Capitulo per nos dari postulavit. Quarum primi videlicet Capituli Ecclesiæ Albensis protestationalis tenor talis est:

„ Nos Capitulum Ecclesiæ Albensis memoriæ commendamus. Quod honorabilis Vir Dominus Joannes Cantor & Canonicus Ecclesiæ Zagrabiensis, prædictæ Zagrabiensis Ecclesiæ, & totius Capituli ejusdem, Nominibus & in Personis, coram nobis personaliter comparendo, per modum protestationis & inhibitionis nobis significare curavit. Quomodo Sereníssimus Princeps Dominus Sigismundus Dei Gratia Rex Hungariæ Dominus Noster Gratiosus quodam Castrum Medwe nuncupatum, ad quod eadem Ecclesia & Capitulum Zagrabiense merum & plenum jus & litteralia efficacissima Instrumenta habere dignoscerentur, ad instantiam & petitionem Reverendi in Christo Patris & Dñi, Dñi Eberhardi, ejusdem Zagrabiensis Ecclesiæ Episcopi Petermanno. & Hermano Nepotibus ejusdem, jure perpetuo & perennali contulisset, in ejusdem Ecclesiæ & Capituli grande præjudicium, & derogamen: facta itaque hujusmodi protestatione annotatus Dominus Joannes Cantor nominibus &in personis præscriptæ Ecclesiæ futurique Episcopi, & Capituli Zagrabiensis, annotatum Dominum Nostrum Regem à Donatione & perpetuatione dicti Castri Medwe, & suarum pertinentiarum, præfatosque Dominum Eberhardum Episcopum, Petermannum & Hermannum, ac alios quoslibet, a receptione, detentione & occupatione fructuumque & utilitatum ejusdem & suarum pertinentiarum perceptione, vel alio quovis exquisito colore se ad idem, vel easdem intromissione, factis, vel fiendis prohibuit contradicendo, & contradixit inhibendo, præsentium Nostrarum testimonio litterarum. Datum Tertio die, Diei Festi Assumptionis Virginis gloriosæ Anno Dñi 1399.

Alterius vero tenor sequitur in hæc Verba:

„ Nos Capitulum Ecclesiæ Quinque Ecclesiensis memoriæ commendamus. Quod Honorabilis Vir Magister Fabianus ejusdem Ecclesiæ Nostræ, & Zagrabiensis Ecclesiarum Canonicus, in medio Nostri personaliter constitutus Egregium Rodulfum filium Rodulfi de Alben, ac Leonardum filium ejusdem, nec non Serenissimum Principem

Dominum Sigismundum Dei Gratia Romanorum Imperatorem, ac Regni Hungariæ &c. Regem, Dominum videlicet Nostrum Gratiosum, à Donatione, venditione, Impignoratione, seu quavis alienatione cujusdam Castri dicti Capituli Zagrabiensis, & Ecclesiæ Ejusdem Medwewar dicti, in Cttũ Zagrabiensi habiti & existentis, universarumque Villarum, & Possessionum, ac aliarum utilitatum, ad idem Castrum spectan, nec non Villarum seu Possessionum Szlamnovcz, Szent-Jakob nuncupatarum, in dicto Cottũ Zagrabiensi existentium, nec non Vadi seu portus fluvii Zave, in eadem Szent-Jakob habiti, cunctarumque utilitatum, seu proventuum, ad easdem portiones Szlamnvocz,& Szent-Jakob pertinentium.Item MagnificumFridricum filium condamHermani de Cilia, Comitem de eadem, ac Ulricum filium ejusdem, & alios quoslibet, ab émptione, pro pignorúmque receptione, & sibi ipsis quovis alio quæsito sub colore perpetuatione, seu appropiatione Prædictorum, Castri Medwewar, ac possessionum Szlamnovcz, & Szent Jakob nominatarum, cunctarúmque possessionum ac Villarum, & aliarum utilitatum, ad idem Castrum & dictas duas possessiones spectan., usuúmque fructuum, & quarumlibet utilitatum ejusdem, & earundem perceptione, & percipi factione qualitercunque factis vel fiendis, prohibuit contradicendo, & contradixit inhibendo publice & manifestè coram nobis. Datum feria tertia proxima post festum Beatarum undecim millium Virginum Anno Dñi 1436.

Tertiæ similiter Protestationalis continentia verbalis hæc est:

„ Nos Conventus Cruciferorum Domus Hospitalis B. Regis Stephani de Alba memoriæ commendamus. Quod Stephanus Sublector Zagrabiensis, in persona Honorabilis Capituli Ecclesiæ Zagrabiensis ad Nostram personaliter veniens præsentiam, per modum protestationis Nobis significare curavit in hunc modum. Quomodo Honorabilis Vir Magister Joannes de Somlio Canonicus Ecclesiæ Albensis vigore quarundam litterarum Regalium, una cum homine Regio missus pro testimonio fide digno statutoriarum Illustribus Principibus Friderico & Ulrico ejus nato Comitibus Ciliæ, Ortemburgæ, & Zagoriæ super Castro Medwe, cum suis pertinentiis & aliis possessionibus, qui quidem Regius & dicti Capituli Albensis homines, non convocatis vicinis & commetaneis, uti in talibus solitum est & consuetum, dictos Comites clandestinè ad Dominium prædictarum possessionum prætacti Capituli Zagrabiensis ipsos ab olim, cujus hominum memoria non existit pacifica possessione, ac legitima tentione, uti dicitur, statuissent, in præjudicium & damnum prætacti Capituli Zagrabiensis valde magnum. Qua protestatione facta prætitulatus Magister Stephanus Sublector petiit Nos, ut eidem Capitulo Zagrabien. literas Nostras superinde concedere dignaremur. Quas Nos ipsi Capitulo concessimus communi Justitia suadente. Datum Feria IV. proxima post Festum Paschæ Domini, Anno ejusdem 1438.

Quartæ Transumptionales sic sonant.

„ Nos Capitulum Ecclesiæ Csasmensis memoriæ commendamus per præsentes. Quod Honorabilis Vir Dominus Gerardus de Pattak Canonicus in Ecclesia Zagrabiensi, suo ac universorum Dominorum Canonicorum & totius Capituli dictæ Ecclesiæ Zagrabiensis nominibus & in Personis nostram veniens in præsentiam exhibuit & præsentavit nobis quasdam literas Privilegiales, condam RR in Christo PP. Dominorum Thomæ Strigoniensis, Petri Spalatensis, Vincentij Colocensis Ecclesiarum Archi-Epporum. Benedicti Vesprimiensis, Haak Vaciensis, Emerici Varadiensis, Joannis Nitriensis, Ladislai Sancti Irenæi, Petri Quinque Ecclesiensis, Martini Agriensis, Benedicti Chanadiensis, & Fratris Gregorii Boznensis Ecclesiarum Epporum, undecim Sigillis uti prima facie apparebat in pendenti consignatas, tenoris infrascripti. Petens nos debita cum Instantia ut tenorem earundem in transumpto literarum patentium, eisdem Dominis de Capitulo Zagrabiensis Ecclesiæ dare dignaremur, juris ipsorum ad cautellam. Quarum tenor talis est: Sanctissimo Patri ac Domino suo, Domino Clementi Dei Gratia Sacrosanctæ Romanæ. ac Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Thomas Strigoniensis, Petrus Spalatensis, Vincentius Colocensis Ecclesiarum Archi-Eppi, Benedictus Vesprimiensis, Haac Vaciensis, Emericus Varadiensis, Joannes Nitriensis, Ladislaus S. Irenei, Petrus Quinque Ecclesiensis, Martinus Agriensis, Benedictus Chanadiensis, & Fr. Gregorius Boznensis Ecclesiam Eppi, cum omni obedientia Pedum oscula

„ Bea-

„ Beatorum. Detrimentum unius Ecclesiæ, velut ejusdem membro Capitis, proprium „ finguli incomodum reputantes, fuggerente Charitatis affectu, Vestræ Beatitudini scribimus „ quod Castrum vocatum Medved, per Philippum quondam Zagrabiensem Episcopum, „ de rebus Ecclesiæ, & pro Ecclesia constructum, de Regis Belæ beneplacito & assensu Za„ grabiensis Eppi, & Ecclesiæ fore dignoscitur, pleno jure. Quod à quibusdam tempo„ ribus per manum Laicalem transiens tandem ad Marcum Sacerdotem de Venetiis ejus„ dem Zagrabiensis Ecclesiæ Canonicum exstitit devolutum. Dictus vero Marcus Dei ti„ more postposito, victus cupiditate, Idem Castrum accepta pecunia potestati tradidit „ Sæculari, in ejusdem Ecclesiæ magnum præjudicium & gravamen. Cum igitur his in „ partibus, ea quæ diximus, tam manifesta veritate pateant, ut eis contradici non pos„ sit, oppressa per hoc ingenti servitute Ecclesia, quæ cunctis invigilat, vestra digne„ tur pietas providere. Datum Budæ VIII Kalen. Julij, Pontificatus D Clementis Pa„ Quinti Anno IV. Nos igitur justis & juri consonis petitionibus annotati Domini Ge„ rardi, suo & nominibus quorum supra, ad nos factis annuentiis, Præscriptas, Literas „ Privilegiales annotatorum condam DD. Archi-Epporum, & Epporum, præsentibus li„ teris Nostris Patentibus inseri, & de verbo ad verbum transumi, & transcribi, Sigil„ loque Nostro consignare facientes, eisdem Dominis de dicto Capitulo Zagrabiensi du„ ximus concedendas juris ipsorum ad cautelam. Datum Feria 6ta proxima post Festum „ S. Marci Evangelistæ. Anno Dñi 1458.

Quintæ Relatoriæ tales sunt in quibus notas - - noveris denotare voces tales, quæ Legi nequivêre.

„ Reverendissimo & Magnifico Domino Petro Berizlo Eppo Ecclesiæ Wesprimien. „ nec non Regnorum Dalmatiæ, Croatiæ, & Slavoniæ Bano, ac Capitaneo Segniensi, „ Domino & Amico ipsorum Plurimum Venerando Capitulum Ecclesiæ Chasmensis Ami„ citiam paratam cum honore. Vestra noverit Rssima Dominatio Nos literas ejusdem „ Introductor. & Statutorias Nobis amicabiliter loquentes & directas, honore quo decuit „ recepisse in hæc verba : Amicis suis Reverendis Capitulo Ecclesiæ Chasmensis Petrus „ Berizlo Eppus Ecclesiæ Wesprimien, nec non Regnorum Dalmatiæ, Croat. & Sclavo„ niæ Banus, ac Capitaneus Segniensis amicitiam paratam cum honore. Dicitur Nobis „ in Persona Honorabilis Capituli Ecclesiæ Zagrabiensis, quomodo idem Capitulum in „ Dominium totalis Castri Medvevar vocati, in Comitatu Zagrabiensi adjacen, nec „ non universorum Oppidorum, Villarum, Possessionum, Prædiorum, Tributorum, Da„ ciorum, Teloniorum portionumque, & quorumlibet Possessionariorum jurium ad idem „ Castrum de jure & ab antiquo spectan & pertinere debent, tam in dicto, quam etiam „ alias ubivis, & in quibuscunque Regni Slavoniæ Comitatibus existen, nunc apud ma„ nus Illustris Domini Georgii Marchionis Brandenburgensis, nescitur quo juris titulo „ habitorum, Ipsum Capitulum exponens optimo juris titulo jure perpetuo concernen, le„ gitimè vellet introire. Super quo Amicitiam Vestram præsentibus petimus diligenter, „ quatenus Vestrum mitatis hominem pro testimonio fide dignum, quo præsente, Geor„ gius Barbaich de Jazenowcz, aut Andreas Literatus de Marochia, vel Ladislaus filius „ ejusdem, sin Nicolaus de Peserjo, seu Gregorius Kerztolovich, de Glavnicza, sive „ Joannes Paris de Adamovecz, aliis absentibus homo noster ad facies totalis Castri „ Medvevar prædicti, nec non totalium Oppidorum, Villarum, Possessionum, Prædio„ rum, Datiorum, Tributorum, Teloniorum in portionibus & tenutis, seu districtu „ ejusdem Castri Medvevar exigi solitorum, portionumque & quorumlibet jurium Pos„ sessionariorum ad idem Castrum spectan. & pertinen, Vicinis & Commetaneis ejus„ dem ac earundem, & eorundem universis inibi legitimè convocatis & præsentibus ac„ ceden. introducat præfatum Capitulum exponens, in Dominium ejusdem, eorumdem, „ statuatque, idem, easdem & eadem, eidem simul cum cunctis suis utilitatibus & per„ tinentis quibuslibet præmisso jure ipsi incumben, perpetuo possiden. si non fuerit con„ tradictum, contradictores verò si qui fuerint, evocet eosdem contra annotatum Capi„ tulum ad Octavas Festi Epiphaniarum Domini, proximè venturas nostram in præsen„ tiam in Sedem Zagrabien. causam contradictionis eorum reddituros. Et post hoc hu„ jusmodi Introductionis, & Statutionis seriem, cum contradictor. & Evocator, si qui fue„ rint vicinorumque & Commetanorum, qui præmissæ statutioni intereunt, nec non oppi„ dorum, villarum, possessionum, prædiorum, Daciorum, Tributorum, Teloniorum ac „ portionum, & quorumlibet jurium possessionariorum inibi statuendum nominibus, octa-

„ vas ad prædictas ut fuerit expediendum nobis suo modo Amiccubiliter rescribatis Præ-
„ sentes autem Sigillo Egregij Balthasaris de Alap Vice Bani, & Comitis Nostri Cri-
„ siensis fecimus consignari. Datum Crisij feria 2da proxima post f. stum S. Nicolai Eppi
„ & Confessoris Anno Dni 1517 Nos igitur amicabilibus petitionibus Ejusdem - - annuen.
„ ut tenemur una cum Nobili Georgio Barbarich de Jeszenowcz, Homine Ejusdem Magni-
„ ficentiæ Vræ prædicto, nostrum hominem videlicet discretum Dominum Blasium Recto-
„ rem Aræ Beatæ - - - chorique Ecclesiæ nostræ Chasmensis prædictæ Præbendarium ad
„ præmissam executionem fideliter peragendam nostro pro testimonio transmisissemus fide
„ dignum. Tandem - - - Nobis uniformiter retulerunt eo modo. quod cum præ-
„ tactus homo Magnificentiæ Vræ ipso nostro testimonio præsente in festo Beati Stephani
„ Prothomartyris proxime - - - - - - - post sese affuturum, & sequentibus ad id
„ aptis & sufficientibus primo & principaliter ad facies totalis Castri Medvedar prædicti, nec
„ non totalium - - - Prædiorum Datiorum, tributorum, teloniorum, in possessioni-
„ bus & tenutis seu districtu Ejusdem Castri Medvevar exigi solitorum portionumque quo-
„ rumlibet - - - - - ad idem Castrum spectan. & pertinere deben. vicinis &
„ Commetaneis Ejusdem, ac earundem, & eorundem universis inibi legitime convocatis,
„ & eisdem præsentibus acceden. idemque Capitulum in Dominium Ejusdem totalis
„ Castri Medvevar, nec non universorum oppidorum, villarum possessionum, prædiorum,
„ Datiorum Tributorum, teloniorum, in possessionibus & tenutis ac districtu Ejusdem Castri
„ Medvevar exigi solitorum, portionúmque & quorumlibet jurium possessionariorum, ad
„ idem Castrum Medvevar pertinen. jure ipsi incumben perpetuo possidendum - - -
„ - - voluisse, & ad quandam possessionem - - nominatam in prænotato Cottu Zagrabien-
„ si adjacen. ad prætactum Castrum Medvevar spectan. ac in - - - antefati Dni Ge-
„ orgii Marchionis Brandenburgensis habitam pervenisset, subito providus Stephanus
„ Chernchich dictus, jobagio in eadem possessione commorans - - - & in persona Ejusdem
„ Dni Georgij Marchionis Brandenburgensis hujusmodi statutioni contradictionis velamine
„ obviâsset ob quam quidem contradictionem, inhibitionem - - - Magnificentiæ Vestræ
„ - - nostro testimonio - - - - die memoratum Dominum Georgium Marchionem
„ per prædictum Stephanum Chernchich contra annotatum Capitulum Zagrabiense, ad octa-
„ vas festi Epiphaniæ Dni, nunc venturum, Ejusdem Magnificentiæ Vræ evocasset in præ-
„ sentiam, in sedem Zagrabiensem, rationem contradictionis redditurum. Datum tertio
„ die, Diei Executionis prænotatæ Anno Dni 1517. Suprascripto. In dorso autem earundem
„ Literarum Relatoriarum suprascriptio erat talis, Regni Sclavoniæ Bano, pro Honorabi-
„ li Capitulo Ecclesiæ Zagrabiensis, contra Illustrem & Magnificum Dominum Georgium
„ Marchionem Brandenburgensem ad octavas festi Epiphaniarum Dni, nunc proximè ven-
„ turas in Sedem Zagrabiensem Introductionis & Statutionis relatio.

„ Quibus exhibitis, quia eædem quinque Literæ præsentibus superius verbotenus con-
„ scriptæ, præfatum Capitulum Ecclesiæ Zggrabiensis in certa sui parte tangere & concer-
„ nere videbantur, pro eo nos tenores earundem de verbo ad verbum, sine diminutione,
„ & augmento aliquali transumi & transcribi, *Præsentibusque Literis Nostris insꝛri facien. Ei-
„ dem Capitulo Zagr. Ecclesiæ duximus concedendas communi justitia observata juris sui ad Cautellam.
„ Præsentes autem Sigillo novo Egregij Pauli Kerethieni de Kaniafeulde Vicebani & Comitis Nostri Za-
„ grabiensis fecimus consignari. Datum Zagrabiæ prædicto quarto die, termini prænotati Anno Dni*
„ 1523.

Jam post Zrinianæ familiæ defectum, Eppus Borkovich, quo ex fundamento, Castrum Medvedvar, cum suis Appertinentijs privativè Eppale esse, prætendere potuit indagandum. Hujus sequentes fuêre rationes. *1mo.* Quod per Joannem Eppum olim Zagr. (uti superius in Relatorijs Capituli Albensis ad Carolum Regem) Gardino donatum fuerit. Michaelque Zagrabiensis Eppus ideo suppeditanda Gardino Victualia prohibuisse credatur, ne sui illud juris Capitulum contendat. Eberhardus iterum Nepotibus suis illud, quod, superdicta Regia Donatione dedisset, Capitulo nunquam se ad processum immitente, imo sub Simone Eppo, litteralia instrumenta resignare Eppis debente. *2do.* Capituli Quinque Ecclesiensis transumptionalibus usus est, ubi ipsum Capitulum Zagrabiense Castrum esse Episcopale, excepta turri una recognosceret, tenoris sequentis.

„ Nos Capitulum Quinque Ecclesiensis Ecclesiæ memoriæ commendamus significantes
„ quibus expedit Universis, præsentium per tenorem. Quod Anno Dni 1313. Quinto Ka-
„ lendas Julij, Reverendus & Discretus Vir, Magister Dominicus Custos Ecclesiæ Zagra-
„ biensis, Nuncius & Procurator Capituli Ejusdem Ecclesiæ, exhibuit nobis literam ipsius
„ Capituli, in hæc verba: Viris Discretis & Honestis Capitulo Quinque Ecclesiensi, Capi-
„ pitulum Zagrabiensis Ecclesiæ, omnimodam reverentiam cum honore. Discretioni Ve-

„ stræ

„ ſtræ notum facimus in præſentibus proteſtando. Quod pactum sive conventionem ſuper „ conſervatione Caſti Ecclesiæ Zagrabiensis Medve vocati, inter Magnificum Virum Ste- „ phanum Banum totius Sclavoniæ, & Procuratores Noſtros, habitam, pacti ſumus, quan- „ tum in Nobis eſt, ratam habere, & firmiter obſervare. Dummodo Domini no- „ ſtri Auguſtini Dei gratia Zagrabienſis Epiſcopi interveniat conſen- „ ſus Legitimus & expreſſus, tum quia arduum negotium eſt, cum „ etiam quia Caſtrū eſt Epple, ad nos autem ex eo ſolumodo pertinet „ turris una. Petimus inſuper Diſcretionem Veſtram inſtantiſſime per præſentes, qua- „ tenus ſuper proteſtatione noſtra, coram vobis facta, literas veſtras memoriales cum pen- „ denti Sigillo concedere dignemini. Formam autem pactionis ſeu conventionis pro- „ ut e literis ipsius Stephani Bani, coram votis exhibitis, videbitis . . inſerentes. Datum „ in Vigilia Beati Joannis Baptiſtæ. Exhibuit etiam alias literas, Magnifici Viri Stephani Ba- „ ni totius Sclavoniæ, cum pendenti Sigillo tenorem hujuſmodi continentes. Nos Stepha- „ nus Banus Sclavoniæ ſignificamus Univerſis, quibus expedit Præſentium per tenorem, „ quod nos conſiderantes animæ noſtræ detrimentum, quod ex detentione Caſtri Eccleſiæ „ Zagrabienſis Medve vocati, incurrere poſſemus, volentes huic remedium præbere, aſ- „ ſumpſimus ipſum Caſtrum more Caſtellani ex parte Ejuſdem Eccleſiæ tenere & conſervare, „ Eccleſiæ ſupradictæ promittentes, firma & bona fide noſtra mediante, reddere & reſtitue- „ re, habita tantum ipſius pecunia, quam pro redemptione ipſius Caſtri nomine & vice Ec- „ cleſiæ præfatæ, Magiſtro Marko, Fratri condam Janini perſolvimus plenariè & integrè „ ab Eccleſia memorata. Si verò aliquo caſu interveniente vel quomodocunque ſeu quali- „ tercunque jam dictum caſtrum Eccleſiæ prædictæ non reddidimus, vel non reddemus, aut „ alienavimus ab eadem: pœnam perjurij in transgrediendo aſſumptam incurramus, & etiam „ Eccleſia præfata à ſolutione totius pecuniæ, quam pro Redemptione caſtri prædicti „ nobis tenetur, et debet ſit libera penitus & expedita ipſo facto. Et nullo unquam tem- „ pore nobis & noſtris hæredibus in toto vel in aliqua ſui parte teneatur pro eodem. Inſuper „ Dominus Epiſcopus Zagrabienſis Eccleſiæ, contra nos & noſtros Succeſſivos detentores „ prædicti Caſtri auctoritatem habeat per cenſuram Eccleſiaſticam procedendi. Ad conſer- „ vationem vero ejuſdem Caſtri totalem, quolibet anno ---- ab eadem Eccleſia mile Cubu- „ los Vini, & quingentos cubulos de Blado, Nrō quadraginta marcas in Denarijs, pro „ alijs neceſſarijs & opportunis quæ ad conſervationem Caſtri præfati dignoſcuntur pertine- „ re --- Dominus Epiſcopus quæ inter nos & Eccleſiam ſuam ſunt ordinata ſuper facto Ca- „ ſtro prædicti habito conſilio cum fratribus ſuis acceptare vel accedere voluerit, nobis li- „ teras ſuas ſecundum formam præſentium dare teneatur. Alioquin præſentes nobis re- „ mittere debeat intra menſem. Negotio Caſtri inter nos & Dominum Epiſcopum ac Eccle- „ ſiam ſuam in priori ſtatu permanente. Datum in Toplika in Octavis Pentecoſtes Anno „ Dni 1313. Nos igitur ad Juſtam & Legitimam petitionem Ejuſdem Honorabilis Capli Ec- „ cleſiæ Zagrabienſi tenores prædictarum litterarum de verbo ad verbum præſentibus inſeri „ fecimus & Sigillo Noſtro majori communiri. Datum Die, & Anno prænotatis.

Quæres quid cauſæ fuerit, quod in Marco Toruſtio Concanonico ſuo, Capitulum prædictum Caſtrum non obtinuerit. ℞. Fuit Toruſtius natione Venetus in Collegium Canonicorum cooptatus, at inviſus plane, nec unquam affectum meritus. Mortuóque Fratre ſuo Nicolao, cum Janini alter Fratrum miſerè occubuiſſet, ipséque Marcus, mortem Fratris, ex detentione Caſtri ſecutam fuiſſe ſuſpicaretur, Canoninicorumve quoſdam de Cœde Janini Fratris incuſaret, ſuſcepta à Stephano Bano pecunia, Venetias redijt. Sub Auguſtino Sancto per ſententiam Canonicatu privatus uti Cap. XIII.

Hæc de Caſtro hoc, ſincerè retulimus ideo, ut ſciat poſteritas, quæ Ejus cura fuerit. Et quod iſta aliunde obtinuerimus. Studium noſtrum nemo condemnet, hæc ſine ratione non retulimus. Vide etiam Lector, quæ in Philippo Epiſcopo inferius dicentur.

CAPUT XII.

Series Episcoporum Zagrabiensium à fundato Episcopatu ad Annum M. CCC.

I.

DUUH.

PRimus Ecclesiæ Zagrabiensis Pontifex, à D. Ladislao Rege constitutus, *DUUH* (scribunt alij DUCH) fuerat. Hunc Bohemum fuisse, vitæ morúmque Venerabilium superius adductum FELICIANI testimonium perhibet. Hinc Joanni Archid. de Gvercse Anno 1334. scribenti, *forsitan fuit de Linea Sclavica, quod bene importat suum nomen Duh id est Spiritus*, licèt Sclavum non asserat, sed *de Linea Sclavica* haud deferendum. Ad quem Annum rexerit Ecclesiam? aut an translatus alio? vel in hac sede mortuus? non comperimus. Huic tamen Dombram, sive Dumbroam, à S. LADISLAO donatam fuisse, ex verbis illis pag. 1. *Alter Capellanus Cupan nomine, præcepto Ejusdem Regis* nempe Ladislai *dedit* ut supra, credere est. Uti &, quod non solum, sub S. Ladislao Rege, sed & COLOMANNO, annis saltem aliquod, provide rexerit Ecclesiam.

P. Martin. Szent-Ivanius, in suis miscellaneis Catalogo XX. Episcoporum Zagrabiensium Prioris Successorem posuit *BARTHOLOMÆUM*, Qui sub COLOMANNO, Regere Ecclesiam debuisset. Sed unde nam hoc acceperit? nil commemorat. Joannes quoque Archidiaconus BARTHOLOMÆUM priori supponit: Ejus tamen ita meminit. *Forsan fuerit tempore Ladislai, sed nullibi suum nomen reperitur in Privilegiis vel alibi, forsan ex eo, quia antiqua Privilegia Ecclesiæ perdita sunt.* Hinc scribit dubius, nec refert unde eum desumpserit. Nos etiam in dubio relinquimus.

Attamen cum in subscriptionibus Episcoporum tempore COLOMANNI Regis apud LUCIUM pag. mihi 118. Item alijs pluribus Episcopi Zagrabiensis nulla reperiatur mentio, Dubitant quidam, an & fuerit sub Eodem aliquis? illi præcipuè, qui Eppatum Zagrabiensem a S. LADISLAO Rege, Institutum negant. Vetus autem, quod habemus MSS. varias continens antiquitates ita notat.

Singidunus, COLOMANNO Regi Charus, Zagrabiensem rexisse Ecclesiam in Privilegio Marmogna de genere Subitbiorum, à Colomanno Rege 1102. dato, invenitur, in Archivo Zriniano. Qui cum Rege CRISIUM appellens, ita negotium temperavit, ut Regi ultro armis positis Croatæ se subjecerint, & Rex illos ut Amicos haberet & tractaret. Dato illis Privilegio, quod sua pacificè possideant, neque teneantur unquam ullum Censum Regi solvere, sed suis expensis ad tutanda Confinia Regalia, & terram usque ad flumen Dravæ, debeant cum decem Armigeris Equitum, de quavis generatione Nobilium (Hic credimus Banderiorum posita initia) *concurrere & bellare. Trans Dravam autem vocati à Rege, non propriis, sed Regalibus sumptibus, usquequo exercitus duraverit, permanere teneantur. Quod mediante Singiduno Episcopo factum ad Colomanni complacentiam est. Qui pro Ecclesia sua, multa illi donavit & Belgradum supra mare duxit, qua in urbe COLOMANNUS in Dalmatia & Croatia Regem coronatus est. Deditque multa Privilegia tam Dalmatis, quàm Croatis, & Ecclesijs, quorum aliqua exstant.* Hactenus MSS.

QUÆ si ita sunt, prouti cum Historia Thomæ Archidiaconi, & LUCIJ in aliquo multum conveniunt fol. mihi 113. Monialium S. Mariæ Jadræ, vel Copiantis, vel Typographi incuria erratum est. Dum pro Agriensis, *Acriensis:* in locum Zagrabiensis, *Ragariensis* scribitur. Ita enim ibi: *Et hoc confirmamus nostra sigillatione istorum Comitum, Procopius Acriensis Eppus Laud. Singidunus Ragariensis Episcopus Laud.* &c. Sed legendum erit. *Procopius Agriensis, Singidunus Zagrabiensis.* Quod vel inde verosimilius, quod legerit nemo, *Ragariensem* Episcopum in Hungaria fuisse. Et litterarum permutatione, præcipue post tantam vetustatem, tempore videlicet LUCIJ facile pro Z. litteram R. sumpserunt, & in Vicem *Zagrabiensis*, omissa in medio littera B. *Ragariensis* Legerunt. Accedit: quod errore certissimo existente, *Ragariensis ad nullum* ex Hungariæ Episcopatibus, melius quam Zagrabiensem possit derivari. Itaque censemus (quidquid sit de *BARTHOLOMÆO*, quem pace nostra, habere fas esto, pro Episcopo, atque hac ratione, seriem augere Episcoporum, & loco quo placet ponere, ob Authoritatem Joannis Archidiaconi, 1334. scribentis, & eum referentis) quod fuerit.

I I.

Histor. Balth. Kercselich.

II.
SINGIDUNUS.

De quo præter superius recensita, aliud nil comperimus. Neque scimus, an ad Stephani Regis tempora pervenerit?

III.
FRANCICA.

Quidam scribunt FRANCITA. Sed in originali Sententia Archi Eppi Strigoniensis Feliciani, ponitur FRANCICA, nonminus &, à Joanne Archidiacono, dicente: *forsan fuit Gallicus iste.* Vel à COLOMANNO sub finem vitæ, vel ab Ejus Successore Stephano Rege, ad Zagrabiensem Sedem elevatus est. Toto Regis Stephani tempore, hujus Pontifex fuit Ecclesiæ. Series Archiepiscoporum Colocensium, Eum Saxonem fuisse indicat, dum scriberet: *Saxonibus ex Patria sua Anno* 1142. *per Geysam Hungariæ Regem in Transylvaniam evocatis, de idoneis rerum Divinarum ministris, per suffraganeum suum Albensem Episcopum provideri curavit.* Dein sub Bela II. ad Archi Episcopatum Colocensem translatus est. Jurium Ecclesiæ defensorem fuisse ex relata Cap. I. Feliciani Sententia clarum est. Anno M. C. XIX. apud Peterffium legitur, Nationali Synodo, sub Laurentio Metropolita subscripsisse, quà Zagrabiensis Episcopus. . . .

Sed: An Francica iste? S. Ladislai fuerit Capellanus, per quem Primus Episcopus fuisset ordinatus, uti supra Cap. I. est legere.

Resp. Si idem est plus Centenario obijt. Præcipuè si verum est, quod Colocensem Ecclesiam sub BELA Cœco, & ejus filio Geysa, Regibus Hungariæ rexerit, uti liber Archi Epp. Colocensium loqueretur. Equidem ad S. Regem Ladislaum, ante M. XCI. pervenerit necessum est, quo fundatum fuisse Episcopatum Zagrabiensem superius sustinuimus. Quod si lectori videatur Incredibile, pace nostra, aut alium fuisse credat: aut ad Geysæ tempora non pervenisse sustineat. Cœterum FRANCICA qui Zagrabiensis fuit Episcopus, quod ille sit, qui S. Ladislai fuerat Capellanus, ex testimonio Cap. I. eruitur, ex verbis *PRÆDICTO verò FRANCICA illius Ecclesiæ Episcopatum tenente.*

IV.
MACELLINUS.

A Geysa Rege constitutus, & Priori circa Annum 1129. datus Successor, ex CANONICO Hierosolymitano. Ab Archidiacono Joanne malè *MATHIANUS* scribitur, & Bernaldo postponitur. Vetus MSS. nostrum, Italum fuisse, de celebri Familia, ex nomine suspicatur. Eúmque cum Sacra Militia Hierosolymas, tempore Colomanni Regis profectum fuisse, & occasione illa Canonici Hierosolymitani titulo potitum scribit. A Geysa dein, ad Zagrabiensem Infulam elevatum, postquam Hierosolymis ad illum redivisset. Ex Sententia Feliciani supra Cap. I. posita, Et Szent-Ivanium lapsum fuisse apparet: qui FRANCICAM ad COLOCENSEM Sedem 1131. translatum posuit; Et authorem libri Archi-Episcoporum Colocensium, Qui hanc translationem ad Annum 1135. scripsit. Cùm sententia illa, 1133. pronunciata sit, Et Macellinus Tertio sui Episcopatus Anno primò turbatus fuisse in eadem dicatur. Volunt Quidam, quod Molestiarum pertæsus, primùm Romam, inde Hierosolymam transiverit Macellinus, & Resignato Episcopatu, quod Eidem successerit.

V.
GOTSALDUS.

Hunc ex Ordine S. Benedicti, nescio unde? Ritterus notavit. Nec de eo scimus aliud, ac quod in diversis subscriptionibus, nomen Ejus inveniatur. Sic 1156. pag. 26. in serie Archi Episcoporum Colocensium subscriptus reperitur *Gotsaldus Zagrabiensis.* Apud Timon fol. 67. in Anno 1158. etiam.

VI.
BERNALDUS.

Legunt, ponúntque aliqui *Bernardus*, & cum Gotsaldo anteponunt. Sed Diplomate STEPHANI III. Anni M. C. LX. III. quô Bernaldus Eppus Zagrab. in Possessione Dombræ confirmatur, Antecessori postponendus. *NICOLAUS*, Filius Pauli, Comes Simigiensis,

& Jobagiones, id est Nobiles Castri ejusdem (ita olim vocati Nobiles) violentè Dombram pro se usurpaverant, & Ladislai II. ac Successoris Geisæ temporibus possidebant, hos Bernaldus Eppus, coram *BELO* Bano Sclavoniæ in jus traxit, Qui Banus, hanc primùm tulerat sententiam; ut usurpatores edoceant, Belæ Regis tempore, pro parte ipsorum MARCELLUM à judicibus ad terram Dombrensem missum fuisse; Quod cum docere nequivissent, imò contrarium ex literis pro Episcopo datis, appareret: terra Bernaldo Eppo est adjudicata, & Privilegium super eo Rex tale confecit:

„ Ego Stephanus inspirante Divina gratia, Paterna insignitus Dignitate, præ cunctis „ negotijs, Ecclesiæ Sanctæ DEI providens quæ à Sanctis Patribus Statuta, membris Satha„ næ destructa reperio, emendare non differo. In Nomine itaque Sanctæ & Individuæ Tri„ nitatis, quæ prior Ladislaus Rex Gloriosissimus & II. Bela Rex felicis memoriæ Pater me„ us & Dominus, Zagrabiensi Ecclesiæ contulerant, & coram Principibus suis Sigillis con„ firmaverant omnia prædictæ Ecclesiæ, & Sylvam Dombrensem cum terra ei appendente „ quàm Sudegna auferre conatus, concedo. Hujus Litigij Belus Banus Judex exstitit, in „ quo litigio Bernaldus Eppus prædictæ Ecclesiæ, suique Jobagiones, Petrus Comes præ„ dictam sylvam cum terra à Ladislao datam fuisse & in tempore Belæ Regis in litigio politi „ per Pristaldum Marcellum recuperavisse dicebant. Iterum autem tempore gloriosissimi Regis „ Geysæ Nicolaus Comes, Filius Pauli & Jobagiones Sumegiensis Castri CICIGNA, JO„ ANNES, MARASCELAV, vim inferentes prædictæ Ecclesiæ, terram cum sylva ei abstule„ runt, & violenter usque ad tempus Ladislai II, tenuerunt. Hanc injuriam passam Eccle„ siam fuisse Bernaldus Eppus suique Jobagiones clamabant. Tunc Belus Banus rem quæ„ rens justificare, judicavit: Si prænominati hostes Ecclesiæ, Marcellum fuisse Pristaldum „ comprobare possent, eis terra cum sylva remaneret. Sed quoniam hoc probare non po„ tuerunt, injusti remanserunt, & Ecclesiæ ut justum erat terra cum sylva reddita est. „ Insuper Eppo Belus Banus dedit Pristaldum Lepoldi, filium Petri, ut sicut tempore Be„ læ Regis Marcellus Pristaldus prædictam terram cum sylva reddiderat, ita & iste per eas„ dem metas circumiens per pontem Colomani Regis. . . *Metæ referuntur* . . . Eccle„ siæ redderet. Tunc Stephanus Rex Pijssimus rei veritate cognita, ut possessio Ecclesiæ „ firma stabilisque maneret, Privilegium inde fieri jussit, & Sigillo suæ Majestatis confirma„ ri, coram Principibus Regni Michone Bachiensi Archi Eppo, Macario Quinque Ecclesi„ ensi Eppo, Nicolao Garadien (*Varadiensi*) Epo, Stephano Sunadien. (*Chanadiensi*) „ Eppo Electo. Belo Bano Ejusdem causæ Judice. Thoma Palatino Comite, Broccha Curia„ li Comite, Boricio Bano, Adriano Comite, Henrico Bodrugiensi Comite, Eusa Suna„ diensi Comite. Anno Dominicæ Incarnationis M. C. LX. III. Indict. XI. Epacta XIV. Ste„ phano pijssimo Regis Ungariæ, II. Belæ Regis filio. Primo Anno Regni sui. Hugone No„ tario, Thoma Magistro Capellæ Strigonij hoc Privilegium factum est. Quicunque verò „ æmulus, & Inimicus Ecclesiæ DEI huic Decreto Regis detrahere præsumpserit, gratiam „ Regis inexorabiliter amittat, & æternis deputetur supplicijs.

Bernaldum hunc, ex *Templariorum* fuisse Ordine, Vetus MSS. dicit, & in tantis fuisse, Stephani Regis gratijs, ut plurima Eis, in Sclavonia & Dalmatia, Stephanus Latifundia contulerit, confirmata ab Andrea II. Anno M. CC. IX. (suo loco uberius) Primúsque in has partes Templarios induxerit. Joannes verò Archidiaconus. Bernaldum, Burgundum fuisse, vel Cathalanum conjecturatur, ideo, quod illi plerumque tali nomine vocarentur. Obijsse in Episcopatu scribitur, & CSASMÆ sepultus.

VII.
JOB.

IN diversis hunc Regiorum Diplomatum reperire est. Qui ad Archi Episcopatum postea Strigoniensem translatus. Szent-Ivanius ex Quinque Ecclesiensi Episcopo ad Strigoniensem translatum scripsit. At malè eum ad annum 1220. Quinque Ecclesiensem rexisse Ecclesiam supponere videtur. Quia nos in pluribus Regum Diplomatibus *JOB* Episcopum Quinque Ecclesiensem, reperimus 1273. Sed plures fuisse hujus nominis facile est. Quare in tanta antiquitate nil valet definiri. MSS. nostrum vetus, ex Zagrabiensi ad Quinque Ecclesiensem translatum perhibet. Et si 1188. JOB Strigoniensis fuit Archi Episcopus, uti & tanta fidem præbent Diplomata, facilè ex Zagrabiensi, ad Quinque Ecclesiensem Sedem translatus, JOB iste fuerit. Vetus etiam Castrum Aureum Strigoniense (ut Author libri, Archi Episcopi Strigonienses, perhiberet) hunc Jobum ex Eppo Quinque Ecclesiensi, ad Metropolitanam transivisse testatur.

VIII.

VIII.
PRODANUS. I.

EX Templariorum ordine, hunc quoque fuisse quidam volunt. Et vetus MSS. nostrum. Attamen hoc non statuimus, licèt sciamus Prodanum Templariorum Patronum tantum fuisse, ut *Georgius Marsellevich* existimet, Templarios in Diœcesim Zagrabiensem vel induxisse Prodanum, vel certe recens inductos dotavisse. Tria Prodanum emisse Prædia ex Privilegio Belæ III. infra apponendo constat *Glogovnicžam nempe*, *Zelinam*, & *Novum Pradium*. Ex quibus Primum Templarijs, reliqua duo Zagrabiensi Capitulo donavit. Quas Capitulo factas Donationes, tam Romanus Pontifex, quam & Bella III. dum Albæ jura diceret, post Festum S. Stephani Regis, juxta consuetudinem Regum Hungariæ, quam postea Andreas II. Rex, in Legem scriptam redegit, in sui Decreti Art. I.) confirmârunt. Prædium Zelina, nunc *Biskupec* dictum, cessit postea Episcopis suis Capitulum, per quos nunc etiam possidetur. Quodnam vero sit *Novum Pradium* non comperio. Quod autem Glogonczam attinet, & hujus Donationem confirmâsse Regem Belam ex Privilegio Andreæ, Anni M.CC.IX. clarum est. Zagrabiæ quoque (hodie *Nova Villa*) Prodanus Templarios constituit. & Ecclesiam ipsis ædificavit, prouti hoc Joannes Archidiaconus annotavit. Fuit Vir integer, & ut Divini Cultus Zelantissimus; ita Ecclesiæ suæ, Bonique Publici studiosissimus. Ut Regum testantur Privilegia. Profectò in Emerici Regis de Anno M.CC.I. Privilegio, Prodani hujus frequens est mentio. *Ad Metam magnam Prodani Episcopi*. Item ad *Ad metam Prodani Eppi*. Item *hinc per magnam viam ad rivum Glogovnicza quo fuerat pons Prodani Eppi.* &c. Hunc pontem Colomanni Regis antea dictum fuisse *Georgius Marsellevich* ex Privilegijs putat, & Colomanni dictum ideo, quod Rex Colomanus per illum transierit, verosimilius, quod per illum constructus fuerit. Sed eundem esse Colomanni & Prodani pontem non credimus: Si idem est. A Prodano noviter extructus fuerit; Cœterùm ex Illustri Familia *Prodoievicz*, Quæ ab alijs *Pousedevich* mutatis litteris dicta est) postea de NADASD vocata. Prodanum fuisse, *Raphaël Levakovich*, & apud illum *Joannes Archid.* tradiderunt. Et quod, Prodani hujus beneficio, avita *Prodojevicziorum*, partim ad Zagrabiensem Ecclesiam: partim ad Templarios, Bona pervenerint, ut Canonicorum Nro 33. (quemadmodum & Statutorum liber contestaretur) fuerit per Prodanum numerus constitutus, & Fundatum Zagrabiense Capitulum, quod *Monasterium* appellabatur, ex Communi Bonorum, ut vocamus, possessione, illud Argumento est, quod in nullo ante *Prodanum* Privilegio, Canonicorum vel *Monasterij*, id est Capituli inveniatur mentio. Post hunc continuo. Uti pateret ex ijsdem Privilegiis. Sed de his parte 3tia fusius. Bona Familiæ hujus in Crisiensi Comitatu potissimum fuêre. Et Parochia *Prodavicz* in Camarcensi Archidiaconatu. Fatendum est, Dominium *Szent Mihalti*, Prodani liberalitate Ecclesiæ obtigisse. In Baraniensi quoque Comitatu Dominia familiam hanc habuisse ex Metalibus Eppi Quinque Ecclesiensis colligitur de Anno M, C.XC. sub Rege Bela III úbi legere est: *Et ibi incipit vicinitatem terra tenore cum terris Prodanorum de Nadásd adhuc de parte Meridionali procedendo versus occidentalem, juxta terras memoratorum Prodanorum in via magna, qua est in vertice montis* &c. In transumpto alio legimus *Pritanorum* de Nadásd. In Ecclesia Spalatensi, *Grupcius* filius Prodani, Archidiaconus fuisse legitur apud *Thomam Archid.* Cap. XXVII. pag. mihi 336. Ut Familiæ nomen *Prodanus* fuerit. Vixit in Episcopatu Zagrabiensi Prodanus noster, ad Annum Domini M. C. L. XXV. Quô: Die V. Maij, piè mortuus & sepultus Zagrabiæ sub Lapide Albo in Majori Ecclesia. Uti Joan. Archid. perscripsit. Insignia Ejus, illa sunt, Quæ Nadasdianæ Familiæ. Et Crucifixus Ejus, cum insignibus Nadasdianis, nunc in templo PP. Societatis JESU Zagrabiæ, ad Latus Sacelli S. Apolloniæ visitur. Quem illius esse Ritterus in suis Miscellaneis, notat. Et hæc se ex authenticis scriptis accepisse perhibet: *Alexander* namque *Mikulich* Eppus Zagrabien. antiquas has, examinari curavit Imagines, plurimísque testimonia perhibet. Uti nos ipsi vidimus. BUTKO, similiter, sive BUTECO, fidelitate contra Polizanos, pro Bela Rege clarus, Comes Corbaviæ, hoc titulo uti solitus. *Comes Butteco DEI & Regia gratia Maritimus Banus*, Quod ex Nadasdiana fuerit Familia, ex Armis Gentilicijs Ritterus existimat. Insignia enim Nadasdianæ sunt familiæ (uti delineata etiam producit Ritterus) In quibus tamen, duplici insignitus Corona Annas apparet, una in Capite, in Colo altera. Apud Lucium pag. 118. tempore COLOMANNI Regis, in Privilegio subscriptus invenitur, *Ego Buzko Comes Laudo & confirmo.* Vide infra, in *Paulo* Eppo, & Epist. Dedicatoria.

IX.
UGRINUS.

UGrini Catalogus hactenus nullus, meminit. Hunc tamen fuisse Eppum, & *Raphaël Le-*

vakovich, & *Georgius Marcellevich* annotârunt. Uterque inserendum Cathalogo esse evincit, ex Privilegio Belæ Regis, III. tenoris sequentis.

„ Notum sit omnibus Catholicæ fidei cultoribus. Quod Ego Bela III. Secundi Geisæ „ Regis Filius DEI gratia Ungariæ, Dalmatiæ Croatiæ, Ramaque Rex, cum Albæ S Stephani Regis solemnes agerem dies, Zagrabienses Canonici, cum UGRINO tunc „ temporis Zagrabiense Electo, Præsentiæ Nostræ Assistente, Devotas porexerunt preces, „ simul & Apostolicas literas præsentantes, quod Prodanus condam Eppus Zagrabiensis „ tria emerit prædia Golgonisa, Zelina, & Novum Prædium in propriis distincta terminis. „ Et Golgonisa Templariis tradidit: Zelina vero & Novum Prædium Ecclesiæ Zagrabiensi „ in usus Canonicorum perpetuo habendum instituit. Supradicti vero Canonici, secundum temporis qualitatem, & hominum malignitatem provida cautione sibi & Ecclesiæ „ suæ consulentes, jam dicta prædia per Successores Eppos, vel per alios. ne ab ipsis possent alienari, ab Apostolica Authoritate literarum confirmationem impetraverunt. Nostram etiam serenitatem intervenientibus Domini Apostolici petitionibus postulaverunt, „ Ut institutionem prænominati Prodani Eppi & confirmationem Domini Apostolici, Regiæ Celsitudinis Privilegio communire. Ego verò ut dignum erat, justis petentium desiderijs facilem præbui consensum, & quia vota eorum, à rationis tramite, non discordabant, affectu volui prosequente complere. Concurrens ergo grato assensu, Eorum „ postulationibus Prænominata duo Prædia, Zelina videlicet & Novum Prædium, quæ „ Bonæ memoriæ Prodanus Eppus emit, in perpetuo Zagrabiensibus Canonicis habendum Regia Authoritate institui: & Privilegii Regalis Patrocinio communivi. Sigillo etiam meo, & annuli mei Impræssione roboravi. Statuens ut nulli horum omnino liceat, „ hanc Paginam nostræ Confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis „ autem hoc attentare præsumpserit Regalis Excellentiæ iram se noverit incursurum, & decem marcas auri persolvat. Factum est autem hoc Privilegium Anno Dominicæ Incarnationis M.C.LXXV Regnante Gloriosissimo Rege Bela III. Secundi Geysæ Regis filio. Job Strigoniensi Archi Epo existente. Paulo Colocensi Archi Epo existente, Notario Adriano. Farcasio Palatino Comite, Subano Bano, Ugrino Zagrabiensi electo, & „ aliis compluribus ejusdem Regni Principibus existentibus.

Quo ex Privilegio liquet, Ugrinum *electum* fuisse Zagrabiensis Ecclesiæ Episcopum, sed an institutus fuerit per Romanum Pontificem ignoratur. Forsan ideo, nec Joan. Archidiacon. de Guerche, Ugrini meminit, quod confirmatum non crediderit. Verba Privilegij illa: *Cum Ugrino* . . . *Præsentia Nostra Assistente* suadent Ugrinum ex Belæ Regis Ministris fuisse. Sed quo in officio? Divinare nolumus. Ultra M. C. LXXVI. hìc non sedit. An mortuus Zagrabiæ? vel translatus alio, non comperimus. Observandum quoque: *ut Institutionem Prodani Eppi & confirmationem Dni Apostolici.* Institutum nempe à PRODANO Capitulum, & à Sede Apostolica confirmatum.

X.
PRODANUS II.

UNicum Prodanum, in Cathalogis legere est. Sed quia in Privilegio supradicto Prodanus vocatur *Bonæ memoriæ.* Item *condam Eppus Zagrabiensis* Ejusque Successor Ugrinus ponatur, satis mortuus indicatur. Hinc necessarium est dicere Prodanum Eppum Zagrabiensem, qui Anno M.C.LXXVII. invenitur in Diplomate Belæ III. confirmante emptionem cujusdam terræ, factæ per *BARANUM* Decanum, & Archidiaconum Zagrabiensem, esse Prodanum II. Præterea dum sub *Gualterio* Albanensi, Papæ Alexandri Legato, de Zagrabiensis Diœcesis finibus etiam, 1176. Anno, Jaurini actum fuisset, *PRODANO Zagrabiensi Electo* legitur, uti supra Pag. 34. retulimus.

De Banis Sclavoniæ nullam sub Prioribus Eppis fecimus mentionem. Res enim perantiqua est. Banos Sclavoniæ á Dalmatiæ & Croatiæ Banis his & sequentibus multis Sæculis distinguere oportet. Neque Petrus, SARUBA, Conradus, de Dachowe Comites &c. qui Croatiæ Bani leguntur, Sclavoniæ quoque fuisse Bani censendi sunt. Et ante 1140. an Quis, sub Bani Titulo Sclavoniam moderatus sit, necdum comperimus. Belus alijs Bela, Urosciæ Syrbliæ Principis filius, Geysæ II. Ungariæ Regis Avunculus, sub Nomine Bani Sclavoniæ, per nos, primus hactenus inventus est. Post hunc circa Annum 1160. OMPUD alijs OMPUNDINUS Sclavoniæ Banus, Dein BORICIUS 1163. Subanus 1173. Sclavoniæ Bani leguntur

In Dalmatia autem & Croatia, varia his temporibus rerum facies. RELES Croatorum DUX, vir potens & ferox nimis, à Thoma Archid. nuncupatus, à Spalatensibus ejus gubernium abnuentibus jaculo vulneratus, obijt. CONRADUS Bavariæ, Dalmatiæ & Croatiæ Dux Anno 1164. invenitur. Obijt in Scheyern. Constantinus Sebastus, Emannelis

Imper.

Imper. Avunculus, totius Dalm. & Croat. Dux 1171. ROGERIUS Sclavone, Dal. Croatiæ Dux, Emanuelis Imperatoris Administer, in Expeditionibus litterarum: hoc usus Titulo: *Ego Rogerius Sclavone, DEI & Imperiali Gratia, Dalmatiæ & Croatiæ Ducas* 1180. reperiuntur. Ex Aurea autem Bula Andreæ II. Fratribus templi concessa, apud Ritterum pro parte Hungariæ Regum, his temporibus Croatiæ Bani fuisse perhibentur. GAUFRIDUS, & MARCELLUS. ac 1181. MAURUS, *DEI & Ungarorum gratia Comes*, *ac totius Maritimæ Provinciæ exercituator*. De quibus omnibus, DEO dante in Historia Civili, sive Banorum fusius.

XI. TIMOTHEUS. I.

HUnc non solum Vetus MSS. ex Archivo Frangepaniano: sed & Ritterus ex Zagrabiensis Ecclesiæ monumentis refert. addens exiguo eum tempore Ecclesiam gubernâsse.

Volunt quoque aliqui BERTHOLDUM, qui Colocensis postea fuerat, & Capituli Posegani cum Colomanno Duce fundator, Zagrabiensis fuisse Ecclesiæ Episcopum, eo moti fundamento, quod in Andreæ Regis Diplomate de Anno MCCXI. superius pag. 39. notato, Bertholdus electus Colocensis, & *BANUS Sclavoniæ* dicatur. Quia si Banus fuit Sclavoniæ, Episcopus fuerit Zagrabiensis, inferunt. At, nos hoc non convincimur argumento: *Berislavich* fuit Banus Sclavoniæ, non tamen Zagrabiensis, sed Vesprimiensis Episcopus. *Calanus* etiam, alijque, uti in Banorum Historia, DEO dante dabimus. Item OSVALDUS Episcopus Zagrabiensis, uti inferius in Osvaldo videbitur, ex Laico Zagrabiensis Episcopus factus est. Potuisset & Bertholdus ex Bano Sclavoniæ, fieri Colocensis. Accederet, quod Annis illis, quibus Bertholdus Zagrabiensis Pontifex esse debuisset, alij fuisse inveniantur. Hinc.

XII. DOMINICUS.

SUb Emerico Rege, legitur iste sæpius. uti 1191. Item 1201. & 1206. alijsque. Sepultus ante Aram S. Michaelis in Ecclesia majori, sub lapide Rubeo Marmoreo, uti Joan. Archid.

XIII. GOTHARDUS.

IN diversis Diplomatibus, sub Andrea II. Rege, invenitur. Circa MCCXIII. vel XIV mortuus, & ibidem penes Dominicum sepultus.

Ad alia modicum digredi liceat, non quidem ex instituto de ijs scribendo, sed Insinuando duntaxat. Ab Anno 1145. Intestinis ferrè Continuis bellis laborabat Hungaria, una cum Regnis eidem annexis: Equidem, uti Græcorum perhiberent Annales Stephanus Belæ II. Filius, icto fœdere cum Emanuele Constantinopolitano Imperatore, Vastata 1146. Stiria vicinisque Provincijs adversus Venetos pergunt, ac in Illijria & liburnia, oppida plurima in suam potestatem redigit Stephanus 1149. Ad Coronam 1163. Hungariæ evocatus, postquam domi res composuisset, ad Dalmatiam componendam & firmandam redux. Interea Ladislaus Belæ filius, ab Emanuele clam excitatus (causa occidentalis contra Barbarossam Imperij, hac ratione facilius consequendi) Coronam arripit, Seque Hungariæ Regem (suffragantibus quibusdam Episcopis & Proceribus jactitat, sed post sex menses moritur. Fratris exemplum sequitur Stephanus IV. Tantam Insolentiam, Vindicat prælio Patruus Stephanus III. quô, summa Nobilium multitudo perijsse scribitur. Sed & Eodem Anno 1172, non sine Veneni suspicione moritur Stephanus III, & ex mœrore animi, Stephanus IV. BELA III. Sequenti Anno Rex Constituitur: & è Græcia redux XIII January 1174. Coronatur. Finis quoque Civilibus Bellis, ad Annum 1199, Quô Andreas Dux Sclavoniæ, postquam 1198. de Venetis, & Dalmatis triumphâsset, in Fratrem Emericum, Vivente Bela III. Coronatum, & 1196. (quô Bela utriusque parens obijt) imperium adeuntem, quorundam optimatum Consilio, & Regnandi ambitione, vertit gladios. At Innocentij minis (consulendus Spondanus) territus, Arma ponit. & Captivus detinetur in Castro Kheene, uti infra in Stephano I. Episcopo dicetur ex Andreæ Privilegio. Tandem 1204. sub finem Anni mortuo Emerico, & Ejus successore filio Ladislao, 1206, uti ex Andreæ pateret Privilegiis, Coronam Hungariæ est consecutus.

XIV. STEPHANUS I.

CIrca Annum MCCXIV. successit Gotthardo Stephanùs, Cujus in Diplomatibus Regijs frequentior memoria. Ejusdem temporibus Varasdinensis Civitas, in liberam Regiámque ab Andrea II. Anno Domini MCCXV. erecta est, & Privilegiis ornata, ob præstita Andreæ fidelia servitia, ita enim Andreas in Diplomate exprimit: *Dum in carcere in Castro Kheene detineremur, ob fidelia servitia nobis ab Incolis Villæ Varasd. fideliter præstita* &c. Et hujus captivitatis suæ, meminit etiam in Fundationalibus Abbatiæ de Toplica, sive Topuszka. De qua superius: fusius alibi.

Andream II. ad Terram Sanctam proficiscentem, hospitem Zagrabiæ habuit, Anno MCCXVII. Quô, plura ab Eo Privilegia obtinuit. Et Ecclesia etiam consecrata est. Uti Parte II. dicetur. Capitulo terram Zizeg, Odrá, aliáque supra Pag 46. contenta, donavit. Floruit sub eo, æterna dignus memoria, CIRIACUS Præpositus Zagrabiensis cujus Laudes supra pag 46. ex Andreæ Regis testimonio, videndæ. Stephanus Iste, pacis fragrabat studio, hinc Amicis & Benefactoribus pluribus, gaudebat Ecclesia. Summo omnium dolore, & perenni sui desiderio MCC. XXVII. obijt Mense Januario,

De Regis Andræ Expeditione ad terram Sanctam, dicendum foret aliquid. Sed de hac, Spondanus videndus, Et nos DEO dante, in BANCONE Bano rem hanc pertractabimus. de cessa per Andream Dalmatia Venetis, eundem vindicaturi. Banorum idcirco memoriam continuemus. Anno 1189 CALANUS Episcopus Quinque Ecclesiensis Sclavoniæ Banus. Anno sequenti legitur totius Dalmatiæ & Croatiæ Vicarius Regius: alibi: Gubernator 1195. NICOLAUS de Sala Sclav.Banus. 1196. ANDREAS Totius Dal.Croat. & Sclav.Dux, post cujus captivitatē iterum Nicolaus de Sala. Ac 1201. Dominicus Banus Dein 1207 BANK sive Banco de genere Boritiorum Sclavoniæ Banus. 1211. BERTHOLDUS Electus Colocensis. Andreæ II. Affinis, Sclavoniæ Banus. 1213. MARTINUS,qui etiam 1210. in Andreæ Regis Privilegio Banus memoratur. 1215. JULA Sclavoniæ Banus, ex Comite Bacsiensi, & Curiali Comite Regio. Dein Ungariæ Palatinus. 1217. BANKO Banus,& Regni Hungariæ, profecto Jorosolymas Andrea Administrator. 1220. OCUCZ totius Sclavoniæ Banus. 1222 COLOMANNUS Andreæ filius, DUX dein Rex Sclavoniæ. Sub quo tamen reperiuntur 1123. SALAMON totius Sclavoniæ Banus, & 1226. BUZAD de genere Hahold Sclav. Banus. Dein Monachus, & à Tartaris interemptus, à Fr. Ferrario inter Martyres Monachos recensetur.

Fr. PONTIUS de Cruce, Magister militiæ Templi, per Hungariam & Sclavoniam, Regius Locumtenens in Dalmatia & Croatia 1217. invenitur.

XV. STEPHANUS II.

EOdem Anno MCCXXVII. priori Stephano, Stephanus iste, successit. Vir illustri & potenti fuerit Origine: cum de Eo Thomas Archidiaconus Cap. 41. ita scribat: *Erat autem Episcopus ipse, in Auro & Argento locuples valde, alijs etiam divitiis opulentus. mundanæ pompositate largus, & Curialis: benignum se omnibus, & affabilem exhibebat; totus enim extolli favoribus, & efferri auris Popularibus cupiebat.* COLOMANNO Galliciæ & Sclavorum Regi, Familiaris & charus, prouti & Hungariæ Regibus Andreæ, & Successori Ejus Belæ IV. fuerat,

Statim ab Episcopatu consecuto, Prodani Episcopi statutum confirmavit, sanxítque ut CANONICI in commune viverent, Anno 1227, Et firmitati statuti hujus consulere volens, Curiam Vicinam Ecclesiæ ex parte septemtrionis, cum Piscina juxta eam existente, quæ prius, uti ait, *à Fundatione Ecclesiæ, Capituli fuit*, Eidem restituit, Seséque sponte ad paranda ædificia pro habitatione communi necessaria, obligavit. Existimat hic Georgius Marcellevich, in MSS. suis 1mo. Sub hoc Episcopo, vel Ejus Antecessore Fundum *Area Capitularis* vocatum, quem Rex Ladislaus 1284. iterùm restituit, à Capitulo Belæ, qua DUCI Sclavoniæ, vel Colomanno Galliciæ & Sclavoniæ Regi cessum fuisse, quem post eos, Croatiæ Bani tenuerunt. 2do Locum in quo Stephanus Eppus Canonicos collocaverat, *puto* inquit, *esse murum illum qui ex Arce moderna ad piscinam descendentibus sub turri huic imminente, ex utraque parte via, velut in transversum olim situs apparet.* An hæc perfecerit Stephanus, non constat, & ob Bella, ac Tartarorum incursiones, vix effectum res sortita est. Multa sibi proponi passus est: Fuítque Adulatorum osor, miræque in ijs cognoscendis prudentiæ. Hinc in Canonicorum aliquos, ob hoc vitium, gravissimè animadvertit, dicens *Adulationem summum Justitiæ esse impedimentum.* Quare mandavit suis Litteris, Zagrabiensi Capitulo, ut quæcunque ab Antecessoribus Eppis, fors à Capitulo accepta fuissent, productis litteris, vel testi-

testimonijs doceant. Quod is restituere velit. Hinc & Toplicam, quam pro exiguo quodam Prædio cambiatam, antea Episcopus possidebat, Capitulo restituit. Abolet solutionem duarum Marcarum & Fertonis, quam pro suis ministerialibus id est Ministris & Ephebis, exigebant Eppi. Jus hospitij apud subditos Capitulares, ab Episcopis tentatum & usurpatum cedit.ac denique plura in comodum Capituli se facturum promittit. Litteris suis Anno 1237. Pontificatus sui Anno X. VUGRAM autem & ZELINAM, Quæ Capituli ex Regum & Pontificum Privilegiis cognovit, tanquam Sibi & Episcopis necessaria hac ratione cambiavit. Ut pro his *Podgoria* cum omnibus ibiDecimis. & duas Insulas juxta savam sitas *Quas* inquit *BUZA & ALBERTUS ex parte nostra jure fiduciario ut Prædiales possidebant* Capitulo dederit.

Justitiæ liberalitatem adjunxit, Decimas Parochiæ ut vocat Zagrabiensis, cum Decimis alijs Capitulo adjunxit, Aliaque plura præstitit, pro augendis Canonicorum Proventibus. Et ut res firma stabilisque esset: Belæ, Andreæ, aliorumque Privilegia, Donationes, Legata, per Gregorium IX. Pontificem stabiliri procuravit. Morem sustulit Dignitates Capituli Zagrabiensis, *Chasmensibus* Conferre Canonicis, *Immunitate* ut ait *Ecclesia*, *& decore Domus Dei id postulante.* Liberam Canonicis, de rebus suis testandi, dat Facultatem, Et si ab Intestato aliquis eorum decesserit, non ad Episcopum, sed Capituli dispositionem, res ita de mortui devolvi debere statuit, Anno Dñi 1237.

Novam Chasmam æquè, ex novis ædificijs per eum positis, instituit. Hinc Anno 1232. Capitulum Chasmense, ita restaurat, cum Consensu Zagrabiensis Capituli, ut pro se, & successoribus suis *jure Patronatus* reservato. Præpositus Chasmensis, unus ex Zagrabiensi Capitulo, quem ex Tribus, vel Quatuor Zagrabiensibus Canonicis, Ipsi Chasmenses eligerent, & Episcopus Confirmaret, semper esset. Præpositus iste Dignitas esset, ob quod Archidiaconatum *Gesse*, & *Szenteze* ipsi perpetuo, cum Quarta abinde Decimarum conjunxit, alijsque Archidiaconalibus Proventibus. Prædium item *Bijenik* attribuit. Et sic eum, seorsim à Capitulo dotavit, Ob quæ, ad hæc usque tempora, separatus à Capitulo, eorum est Præpositus. Ab hac restauratione, Primus Chasmensis Capituli Præpositus, UGRINUS fuerat. De quo, Thomas Archidiac. ita, Cap. 47. *Fuerat vir litteratus, & naturali facundia præditus, & maximè in Divina pagina eruditus. Studuerat enim apud Parisios annis ferè duodecim in Theologica facultate, subministrante sibi scholastiços sumptus Hugrino Colocensi Archi-Episcopo Patruo suo &c.* Quô Postea, ad Spalatensem Archi-Episcopatum elevato, ibidémque mortuo (de quibus, idem Thomas Archidia. Cap. 47. accuratè, quem vide sis) Eidem in Præpositura Chasmensi successit *ZOIJM.* tempore Stephani Episcopi.

Capitulo autem Chasmensi, quod ex XII. constare voluit, donavit terram de Veteri Chasma cum metalibus. Decimas de Nova Chasma. Decimas de Monoszlo omnes, excepto Vino, ex quo 200. tantum cubulos eis excidit. Medietatem Tellonij de Nova Csasma. Tres Vineas. Molendinum de GRABRONCZA cum sufficienti terra pro Cultura. Item mancipia aliquod. Item duas Capellas, S. *Joannis Baptistæ*, & S. *Martini*, in eorum Prædiis existentes, ad usum mensæ Communis. Salvo Archidiaconi jure, quoad Præsentatorum per Canonicos, Confirmationem. Redditus Parochiæ de Nova Chasma. Cum Authoritate judiciorum Spiritualium in Eadem Nova Chasma. Subditos autem ab omni exactione, Censu, aut servitute, Episcopo, aut Præpositis etiam Chasmensibus præstandis eximit. Sub pœna excommunicationis, ipsofacto incurrenda, inhibens Præposito, ne ullam molestiam inferat Capituli subditis. Quibus, Glandinationem & Pascuationem in Episcopalibus sylvis, ea ratione indulget, ut à porcis, suo Capitulo Decimam solvant. Lectori, Cantori, & Custodi, de portionibus quæ dividi solent intra Canonicos, duas portiones designat. Ac Insuper Ecclesiam S. CRUCIS de Kyris, Cantoriæ Contulit. Hac Capituli Chasmensis fuit Restauratio, à Stephano II facta, ab Andrea Rege Hungariæ & Colomanno Galliciæ & Sclavorum Rege probata, & Gregorio Papa IX Confirmata.

Credunt multi à Stephano hoc Episcopo, *Chasmense* Capitulum Fundatum fuisse. Ipsúmque pro Fundatore statuunt. Sed nescio quomodo? Sub D. Ladislao Rege, uti Pag. 5. Csasmenses fuêre Capellani *Timotheus & Laurentius*, S. Ladislao à Servitijs. Sub Emerico etiam Rege, Csasmensium in Diplomate est mentio, quin Statutiones, Fassiones &c. Coram Chasmensi Capitulo factæ, ante Annum 1232 reperiuntur. Csasma Civitas Episcopalis fuit, locúsque Celebrior. in ea PP. Prædicatorum, celebre monasterium. Ordo quoque Hospitaliorum, duas habuit Residentias. Monialium Conventus fuit Unus. Colomanni Sedes, & ut infra dicetur, Sepulchrum. Belæ Item Anno 1225, Qua DUCIS Sclavoniæ. Alia Vetus: Nova Chasma hæc, quam Stephanus erexit dicta. Beneficia Sacerdotum in ea plurima de quibus omnibus Parte III uberius. Ipsæ Stephani Litteræ, & supra apposita Statuta, vel potius Regula, Stephanum Fundatorem non fuisse satis innuunt, subditos enim Capituli dum immunitat; Jus Pascuationis indulget, (ubi tamen, nullos tunc illis subditos

R con-

contulit) dum in Canonicoruum Prædijs existentes Capellas Capitulo attribuit: dum *morem tollit* Dignitates Capituli Zagrabiensis, Chasmensibus dehinc non conferrendi. Satis loquitur, Chasmense Capitulum antea fuisse. Proinde cum Vinkovich, Ritter, Kovachevich, Marcellevich, quin & Thoma Archidiacono, Scriptore tam antiquo, censeo Stephanum hunc, non Fundatorem, sed Restauratorem fuisse Chasmensis Capituli. Erant enim ipsis, cum Eorum Præposito *PHILE*, ad Zagrabiensem Præposituram, post mortem *Ciriaci* translatô, in Anno 1231, graviora Incommoda, & lites continuæ, hinc Stephanus II, sicuti Zagrabiense, similiter & Chasmense restauravit Capitulum, præcipue Cum & *Novam CSASMAM* constituisset. Cœterùm an S. Ladislai tempore? CSASMENSE fuerit, per ipsum repertum Capitulum, dubium omnino est: volunt Quidam, uti supra Cap. II diximus, eo fundamento: quod olim Basilicæ omnes Capellæ Regiæ dictæ sint, & CANONICI Capellani Regij. Hinc dum S. LADISLAUS CSASMENSES Capellanos nominat, *CANONICOS* fatetur. At hoc, an ita fuerit? necdum Comperimus. Credibilius nobis est *Csasmense* hoc Capitulum, ab ALMO DUCE Institutum fuisse. Ut suo loco dicemus.

FUNDATO quoque Posegano Capitulo non multos ante annos existente, per COLOMANNUM Andreæ Regis secundogenitum filium, Sclavoniæ Ducem & Regem Bosniæ à Patre declaratum (qui & sub Regis Galliciæ & Sclavoniæ titulo, in diversis Legitur Diplomatibus) ac Bertholdum Colocensem Archi-Episcopum, *Stephanus* cum *Nicolao* Quinque Ecclesiensi Episcopo, de Constituendis ex parte illa Diœcesium limitibus, erant soliciti, & supra memoratum ab Andrea II obtinuerunt Diploma. Metuebant equidem, ne Novo huic Capitulo, Episcopus quoque suus ponatur. Cum mens ea, Bertholdi fuerit, & apud Gregorium IX, hac de re egerit. In quo, Collatis una Consilijs, & Nicolaus, & Stephanus restiterunt.

Actum quoque à Stephano II Zagrabiensi Episcopo, pro PRIMATIS CROATIÆ, & Archi-Episcopi Titulo, hac ratione fuerat; ut Spalatensis Ecclesia, cum Zagrabiensi Uniretur. COLOMANNUS Rex Galliciæ & Sclavorum, BELA quoque hoc Gregorio IX. commendârunt, & hanc sedium unionem ab Eodem postulârunt. Causa petitionis erat, *quod per varias incursiones, ad summam devenisset Ecclesia Spalatensis Egestatem.* Quamvis illud respexerint supplicantes, ut JUS SACRÆ Coronæ, facilius hac Unione conservaretur. Communicatur Instantia Archi-Eppis, Strigoniensi MATHIÆ, COLOCENSI UGOLINO, seu ut verius alij UGRINO, & BERTHOLDO tunc Aquilejensi, alijsque per Dalmatiam Episcopis. Qui, Unioni huic minus Amici fuêre. Mathias, quod periculum esset, ne hac ratione, à Sacra Regni Hungariæ CORONA, Sclavonia avellatur, quâcum tamen Unita est. Et quod Primates DUO sub una Corona esse nequirent. Colocensis, se jam Sclavoniæ Metropolitam esse, Ex Regum, & Pontificum Diplomatibus probabat. Dalmatæ ob Spalatensis Ecclesiæ Antiquitatem, & ut dicebant ex Apostolicis unam, Consensum non secus præstabant, ac ut ibi semper resideat. Quid Bertholdus senserit, non Comperio. Pontifex ob Spalatensis Archi-Eppi Guncelli vitam, definire suspendit, Interea Tartarorum accidit (de qua, infra) irruptio, ob quam Intermissum Negotium. Suprememorato COLOMANNO, MATTHIA, UGRINO ex bello Tartarico mortuis. Stephanus Episcopus, cum BELA Rege, dum Spalatum venissent, GUNCELLUS Archi-Episcopus Spalatensis moritur. Et Stephanus ibidem, ut Thomas Archidia Cap. 41. eligitur. Urget fortius, Unionem harum sedium Stephanus, causa etiam desolatæ per Tartaros Zagrabiæ. Sed Gregorius etiam IX moritur. Et biennio fermè protelata Successoris Pontificis electio. Hinc & Electionis Stephani Confirmatio. INNOCENTIUS tandem Romanus pontifex factus. Cum Unionem hanc non admisisset, uti hujus, Cap. 45. Thomas Archidiaconus meminit, *Zagrabiensis Episcopus*, inquiens, *missa relatione ad Romanam sedem, nitebatur obtinere sua postulationis assensum, CUM QUIBUSDAM CONDITIONIBUS quas admittere noluit Dominus Innocentius, nuper ad summam sedem Apostolicam sublimatus. Quam ob rem dictus Episcopus misit Spaletum, & renunciavit postulationi de se facta &c.* Archi-Eppatum renunciavit. Ac post varias intra Spoletanos dissensiones (quas Thomas Archidiaconus, fusius describeret) UGRINUS, Præpositus Csasmensis, spoletanum Archi-Episcopatum consecutus est. Cujus vitam, mortem, idem Thom. Archid. Cap. 47. reffert. Vocans HUGRINUM. Hinc profectum est, ut in Plerisque libris, Archi-Episcopi titulus, Zagrabiensi tribuatur. Utque à Majoribus accepta quasi traditione, à suis, PRIMATIS nomine decoretur. Prouti & ex ijs quæ Cap. V. pag. 19, supra dicta sunt. Postea etiam hac de re actum est, Præcipuè desolato COLOCENSI Archi-Episcopatu, ac sub Turca lugente, per Episcopos Petrum Petretich, & Martinum Borkovich, sed nil resolutum est. Hæc ex Rittero accepimus. Qui ex monumentis ista se desumpsisse fatetur.

AD STEPHANUM jam reddeundum. Florentissimis Hungariæ temporibus, uti ex Thoma Archidiacono Cap. XXXVII., & sequentibus videre est Præfuit Ecclesiæ. Sed & ad miser-

miserrima & infelicia attigit, Occasione irruptionis Tartarorum, quæ Stephani hujus accidit temporibus. Hanc sub BATH & Caijdam Tartarorum Ducibus persecutionem, pluribus Capitibus Thomas Archidiaconus, testis oculatus & vivens, accuratè describit. Immanem stragem refferens & tantorum virorum obitum. Uti Mathiæ Strigoniensis, UGRINI Colocensis, imo COLOMANNI ipsius ex vulnere à Tartaris accepto, *COLOMANUS Rex*, sunt verba Thomæ Archid. Cap. 38, *ad Dominum feliciter de hac luce migravit, fuit enim vir pietate magis ac Religione Praditus, quam in administrandis Publicis rebus Intentus. Sepultus est autem in loco Fratrum Prædicatorum apud CESMA Latenti Mausoleo infossus, etenim gens nefandissima Tartarorum, sepulchra Christianorum & maximè Principum, sceleratis manibus violantes confringebant, ossáque spargebant.* Hac infausta occasione, STEPHANUS, BELAM IV, Reginam, aliósque multos hospites Zagrabiæ habuit, Et intellecto Barbarorum adventu, cum Rege & alijs ad Spalati partes sese recepit, ita scribente Thoma Archidiacono: *Itaque antequam Dravi fluvij gurgitem transmearent*, videlicet Tartari, *Rex persentiens eorum adventum, relictis stationibus Zagrabiensium partium, cum omni Comitatu suo ad mare descendit. Tunc diversi diversa quærentes diffugia, per omnes Civitates maritimas, quæ propiores videbantur ad fugam, dispersi sunt. Rex vero & totus flos reliquorum Ungarorum, ad Spalati partes devenit. Erant autem in Comitatu Regio multi Ecclesiarum Prælati, Plures Principes & Barones, reliquum vero vulgus utriúsque sexus, & ætatis penè innumerabile erat. Appropinquante autem D. Rege ad Introitum Civitatis, Universus Clerus & Populus processionaliter exeuntes, debito venerationis obsequio susceperunt eum, dantes ei hospitia infra muros, quotquot voluit ipse. Venerunt etiam isti Magnates cum eo. Stephanus Episcopus Zagrabiensis, & alter Stephanus Vaciensis, & idem in Strigoniensem Archi-Eppum postulatus, Benedictus Præpositus Albensis, Aula Regia Cancellarius, & idem ad Colocensem sedem electus, Bartholomeus Quinque Ecclesiarum Eppus. Et quidam alij Episcopi. Affuerunt nihilominus, Hugrinus Præpositus CSESMENSIS, Achilles Præpositus. Vincentius Prapos, Thomas Prapos. & alij quamplures Prælati, quos enumerare supervacuum duximus. Proceres quoque Curiæ isti erant. Dionysius Banus, Uladislaus Comes Curialis, Matthæus Mgr. Tavernicorum, Rolandus Mgr. Agazonum, Demetrius, Mauritius, & alij multi Illustres viri, omnes cum Dominabus & Familiis suis.* Commorante Spaleti Stephano, Guncellus Archi-Eppus Spalatensis obijt, & Stephanus ad eam Sedem postulatus, & electus fuerat, uti superius dictum.

POST ABITUM STEPHANI, Tartari Zagrabiam venientes, eam desolârunt, ruinârunt, nec Ipsi parcentes Basilicæ, tantò magis, quod putârint ibi, aut Regem, aut de Regio sanguine aliquem Latitare. Prouti hæc Benedictus Vinkovich ex Privilegio VICILATINORUM, ab hoc Stephano, illis dato se desumpsisse narrat. *Arbonam* occasione ista monumenta Ecclesiæ hujus litteraria, portata fuisse, scribuntur. Sacræ autem Reliquiæ CLISSAM.

Hujus Porrò Tartarorum irruptionis, non solum Thomas Archidiaconus locis supracitatis, sed plurimi quoque scriptorum, faciunt mentionem, uti Rogerius &c. Imo ex tot Regum deducitur litteris. Profecto in Donatione Belæ IV, de Anno 1244. XI. Cal. Maij Regni Belæ Regis IX, Quâ, Comiti *JUNK* filio ISAAC, terram Regalem nomine ZLONIJN, & VORBOUCZ in Sclavonia habitam, & à Castro Crisiensi exemptam, perpetuo possidendam donat, hæc exprimuntur servitia: Quod charissimo Fratri suo COLOMANNO felicis recordationis Regi & Duci totius Sclavoniæ, à multis temporibus Continuata fidelitate servierit, & post Decessum Ejusdem Colomanni, Belæ & Consorti Ejusdem, servitijs suis gratæ semper fidelitatis, & per maximè occasione Tartarorum, impenderit obsequia. Quam terram Misso ACUS Plebano de Pest Capellano suo lustrare fecit, metásque posuit. Similiter Martinus POUSA, Martinus DRAGOS Comes HUDINA, obtinent à BELA Rege *Donationales* ut vocamus *Litteras*, in quibus: eo *quod Tartaricæ maximè Irruptionis tempore, Regi ultra* Dravum *id est in Sclavoniam profecto, cum suis expensis adfuit* (nempe Comes Hudina) *Et Rege versus Maritima profecto barbarorum impetum suis pluribus etiam cognatis amissis, fortiter sustinens, maximam hominum multitudinem defendit.* De Anno 1245. est Donatio.

Capitulo quoque Zagrabiensi de Dato ZOLUM III Idus Septembris Anno 1247, dum BELA IV villam in Monte *GRADICZ* donaret, testante Thoma Kovachevich ita loquitur: *Quod cum formido, quæ Specialiter ex terribili sævitia Tartarorum, seu aliorum hostili incursu ipsis id est Capitulo, in futurum imminere timeatur, munitionem aliquam pro recipiendis, tuendis, & defensandis suis & suorum personis, ipsos quærere seu condere impellat, montem Quendam nomine Gradicz in Comitatu Zagrabiensi juxta Zagrabiam existentem, Cujus Montis partem Quandam, ad vilam hospitum de Grecz, Quandam verò ad VANLEGAN novimus pertinere, Eis conferre & tradere dignaremur. Cum non habeant in tanto vento turbinis, imo tam generali metu mortis, ubi sua & suorum Capita valeant reclinare, vel Bona Ecclesia Zagrabiensis ac sua tuto munimine defensare. Nos igitur … dictum montem cum terra circumjacente, sufficiente usui & Commoditati unius magnæ villæ, eidem Capitulo in perpetuum dedimus, & Contulimus pleno jure.* Dein concedit Capitulo, ut Communibus

nibus expensis, in aliqua parte talis terreni exstruat sibi munimentum quodpiam sive Castrum. In residua autem Portione, ut Capitulares pro se ipsis, & suo famulitio domos ædificent, data Legandi, Donandi, vendendi facultate. Et in possessionem villæ illius, per Abrahamum Comitem de MAROUCSA Capitulum fuit Introductum. Hactenus Kovachevich.

Circa Annum 1230 Stephanus II Eppus. Zagrabiensis, coram UGRINO Archi-Eppo. Colocensi, invenitur transactionem fecisse amicabiliter de Quadam terra RASECHA dicta, cum Fratribus Domus Militiæ templi. De Dato 1230. Mense Majo COLOCSÆ. Inveniuntur sub Eodem Stephano fuisse. CIRIACUS Præpositus Zagrabiensis. Hoc mortuo PHILE præpositus Zagrabiensis, ex CHASMENSI Præposito translatus. Qui contra Spalatenses exercitum duxerat, uti Thomas Archidiaconus Cap. 47 testaretur. *Anno Domini MCCXLIIII. Quarto idus Julij factum est ingens Prælium in suburbio Spalat, Totus namque exercitus per acies ordinatus, cœpit circa Masseriam præliari: Diviserunt se autem Ungar. per Cuneos & steterunt cum BANO proceul, Episcopus cum acie sua, PHILETUS Præpositus cum acie sua &c.*

Inveniuntur Præterea *JOB* Canon. Zagr. & Præpos. Bacsiensis, ac Comes Capellæ Regiæ. *UGRINUS*, & post hunc *ZOIJM* Præpos. Chasmensis. *PETRUS* Cantor. *PETRUS* Cathedralis. *MICHAEL* LECTOR. LADISLAUS Decanus & Can. Zag. *PETRUS* CAMARCENSIS, *PETRUS* de KEMLEK Archidiaconi. Gregorius Can. Zagr. Plures, & alios qui sub Stephano fuerunt, non comperimus.

Sclavoniæ DUCES Imò BELA, post hunc COLOMANNUS. BANUS Sclavoniæ: *DIONIJSIUS*, qui post mortem Colomanni, Ducis Sclavoniæ titulo fuerat Insignitus. Item *Benedictus* totius Sclav. Banus *OPOI* 1236 Comes & Banus Sclavoniæ, à quo Dirutum nunc Castrum, non procul à Raszina, intra montes situm *OPOI* exstructum fuisse credimus. Quod postea Templarijs pro remedio animæ suæ donavit. *LADISLAUS* totius Sclav. Banus 1240 invenitur. *DIONIJSIUS DUX*, Banus Sclavoniæ, & ex Joan. Lucio l. 2. Cap. 43 LOCUMTENENS Belæ Regis, postea Palatinus. *ROLANDUS* de genere Ratold Comes Posoniensis totius Sclav. Banus 1246. Dein Palatinus Ungariæ. 1249. BELA D. Gratia. totius Sclav. Dal. Croat. Dux. Belæ IV filius.

VICE BANOS hos Invenio. 1221. Albericus vice Banus. 1230 Nemil vice Banus & Comes Zagrabiensis. 1247 Dominicus Comes Crisiensis vice Banus. His temporibus plurimæ Familiæ, imò Communitates Prærogativa Nobilitari Insignitæ. Samoboriensibus Confirmata per Belam IV Privilegia, quæ illis antea COLOMANNUS REX dederat.

Tandem Anno 1247. VI. Idus Julij Stephanus Episcopus Zagrabiensis, Religiosè in Domino, summo omnium luctu obijt CSASMÆ, ibidémque sepultus. Postquam nempe, Ecclesiæ Cathedralis Zagrabiensis, per Tartaros ruinatæ ædificium incoâsset, uti Parte II. uberius. De hoc Joan. Archidiac. scriptum reliquit: *Fuit solemnis homo, & plures in Episcopatu fecit ædificari Ecclesias, specialiter & ipsam Ecclesiam fecit ædificari* (nempe Cathedralem Zagrabiensem) *Et aliam Ecclesiam B. Mariæ Magdalenæ in CSASMA, & plurima alia meritoria opera fecit uti specialiter Capitulum CSASmense & Præposituram CSASmensem Ipse dotavit.*

XVI.
PHILIPPUS.

A Morte Stephani, an illico Philippus successerit, vel biennio vocaverit Sedes, Incertum. *PHILIPPUM* in Diplomatibus ante Annum 1250. non reperimus. Non desunt, qui hunc PHILIPPUM ex Zagrabiensi Præposito, factum fuisse Episcopum contendant, ac Eundem esse, qui supra *Phile*, à Thoma Archidiacono *Philetus* dicitur. Quod nobis dubium est, ob Thomæ Archidiaconi Appellationem, qui Philippum eum nominasset, si *Phile* idem esset, quod Philippus. Per nos, liceat hac de re, quod lubet, cuivis sentire.

Turbulentis impacatísque Philippus temporibus, Ecclesiæ Zagrabiensi obtigit Pontifex. Qui in Dalmatia fuerunt tumultus, ex Thoma Archidiacono Cap 50. Item 51. & aliis videre est, prouti & LUCIO. Ut Scriptores Veneti, Quinquies Belam IV. ad Dalmatiam profectum fuisse, Ter alij, scribant. Cùm Stiris, ab Anno 1246. quæ intercesserint Bella, superius Pag 33. & 34. commemoravimus. Hinc statim sibi, Patriæ & Capitulis, totique Clero in necessitate tanta prospicere cupiens, Arcem Medved, sive Medvedvar de qua supra, ædificari facit. Communibus omnino impensis, ut opus velocius absolveretur. Curàmque Capitulum habuit, per BENEDICTUM Decanum & Canonicum Zagrabiensem, operis, quòd Philippus in Anno 1254. ad INNOCENTIUM IV. Regis nomine Legatus

tus invenit. Cujus Legationis Rein. N 32. etiam meminit. Fuitque terminatum Opus 1255. Et ob Stirorum incursiones, magnum Præsidium.

Thomas KOVACHEVICH credit scribitque, Philippum, à BELA IV. impetrâsse Bona Medve, ac ibidem Regia Donatione habita, Castrum cum Capitulo ædificâsse. Et hoc ex INNOCENTII IV. Litteris, ejusmodi,

„ INNOCENTIUS Episcopus Servus Servorum DEI. Vene„ rabili Fratri Episcopo Zagrabiensi salutem, & Apostolicam Benedictionem. Justis pe„ tentium desideriis, dignum est præbere consensum, & vota quæ à rationis tramite non „ discedant, affectu prosequente complere. Lecta quidem coram nobis tua petitio conti„ nebat, quod Charissimus in Christo filius noster, Bela Hungariæ Rex Illustris, quan„ dam possessionem prope Zagrabiam ad se pertinentem, quæ nunc Castrum Eppi appella„ tur, Zagrabiensi Ecclesiæ pia liberalitate donavit, prout in ipsius litteris confectis ex„ inde, plenius dicitur contineri. Nos itaque tuis supplicationibus inclinati, Donationem „ ipsam sicut piè & provide facta est, ratam habentes, & gratiam illam Authoritate Apo„ stolica confirmamus; & præsentis scripti Patrocinio communivimus. Nulli ergo omnino „ hominum liceat hanc Paginam Nostræ Confirmationis infringere, aut ei ausu temerario „ contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, Indignationem Omnipotentis DEI „ & BB. Petri & Pauli Apostolorum Ejus, se noverit incursurum. Datum Perusii X Kalend. „ Martij. Pontificatus Nostri Anno IX. Verùm an Donatio Castri Medve, vel Castrū Zagrabiense, quod nunc Castrum Episcopi, sive Arx nominatur, hìc ab Innocentio intelligantur, nobis dubium est. Ex ijs quæ Cap. XI. produximus, non videtur, hæc INNOCENTII Confirmatio, ad Castrum Medve spectare: cùm videatur incredibile, mentionem hujus exmitti potuisse, ab Episcopis CLEMENTEM interpellantibus, ac in tot litteris, supra productis eodem capite, alto volutam silentio; si eam, Veteres Castrum Medve respexisse cognovissent. Proinde Castri eam Zagrabiensis, sive actualis Episcoporum Residentiæ esse censeremus. Vide quæ Cap. VII. dicta. Ut arbitremur, à Bela IV Castrum Residentiæ, Donatum Episcopis. PAULI Episcopi dein infidelitate amissum, à MATHIA I. Rege, iterum Episcopis restitutum fuisse. At revertamur,

RITTERUS dubitat, an non à *Philippo* Architecto, *Philippo* Episcopo ædificium arcis *Medved* attribuatur? ex eo; quòd Castrum hoc pro servando Thesauro Regio, in Donatione Ladislai Regis, à Philippo Episcopo traditum fuisse Belæ IV. dicatur; consequenter occasione Irruptionis Tartaricæ, quæ sub STEPHANO II accidit. Hinc credebat Philippum, STEPHANO anteriorem. Sed Diplomatibus Regiis convictus, Successorem Stephani fuisse Philippum agnovit, quare vulgi errore Philippo Eppo attributum fuisse, quod per eum Arx Medved exstructa sit.

VErum superius Cap XI. à nobis producta, Ritterus non legerit. Quis? Capituli Albensis potissimum, *Relatoriis* negabit fidem? Qui recenti hominum memoria, & post Annos circiter 70. hac de re, jussu Regis CAROLI inquisiverunt: refferendo: *Quod facta Inquisitione tam apud Nobiles Regni, Cives Civitatum Regalium, Communes populos, Divites & pauperes, Quam apud Religiosos Sacerdotes, & Clericos Regni Sclavoniæ ex confessione & relatione eorundem resciverunt quod Venerabilis, Pater, Dnus PHILIPPUS Episcopus Zagrabiensis, & demum Archi Eppus Strigoniensis &c.* hanc Arcem ædificaverit. Quare nec Joanni TOMCO adhærendum, qui à Philippo Episcopo inchoatum *Arcis* Medved Opus, à Timotheo absolutum scripsit

Sed Quomodo pro servando Thesauro Regio à Philippo est tradita? R. Præter insinuata superius bella, iterum metus Tartarorum gravis, Qui 1259. ad Hungariæ limites ingenti numero consederant, at viso Hungarorum apparatu & constantia, ad Poloniam vastandam abiverunt. Præterea Civilia & Domestica fuerunt BELÆ IV. cum STEPHANO Filio jam Coronato bella, quibus originem Petovium & Stiria præbuit, quod à Patre ad Stirorum lamenta, fuerit Petovio Stephanus revocatus Accesserunt alia, ut pars Belæ, pars Stephano adhæserit, hinc & 1262. ad Posonium duæ ACIES Præmissorum Regum. Sclavonia, à Belæ partibus stante, Tandem Eodem Anno 1262. pax conclusa est, & Spondano innuente 1266. etiam per Clementem IV. firmata. Hac profecto occasione, Datam Belæ Regi, pro servando Thesauro Regio fuisse Arem *MEDVED* credimus. Aut fors potius ob filij iras, quam metum Tartarorum, Licèt ex utroque, proficisci potuerit.

Ex his in summis ad Belam Regem Gratijs, Philippus fuerat. Hinc ad preces Ejus, multa Belam fecisse, ex Litteris Regijs constat. Cognatis Hudinæ Comitis, terram Megericha vocatam, ad preces Philippi possidendam concedit. Pluraque alia.

Episcopi Redditus augere studuit & amplificavit. Nam 1254, à Fr. Rembaldo Domorum hospitalis Jerosolymitani majore Præceptore emit terram S. Martini prope Vaskam, quam Rembaldus antea, à Bartholomæo Quinque Ecclesiensi Episcopo emerat. Et super emptione à Rege Bela Litteras JAURINI Feria VI post Festum S. Michaëlis obtinuit. Quia vero PAULUS Filius condam BORICH BANI, hanc terram Hæreditariam suam esse, prætendisset, ideo res revisa per sententiam. In qua, relata emptione, & testimonio Arnoldi, majoris Domorum per Hungariam & Sclavoniam Hospitalis Hierosolymitani Præceptoris, & immediati Fratris Rembaldi Successoris ita: „ Cum de meritis Causæ ipsius Præsentibus Nostris Baronibus cognosceremus, in ipsa instantia judicij Prædictus Paulus depræhensus est „ Nostras Regias litteras falsavisse. Cum igitur etsi aliquid juris in prædicta terra S. Martini præfatus Paulus haberet, præter vitium compertæ falsitatis, ipsa terra S. Martini sicut „ & alia Bona sua, ad nostras manus essent merito devolvenda. Nos deliberato omnium „ Bonorum Nostrorum, qui tunc aderant Consilio Prædictum Zagrabiensem Episcopum „ super ipsa terra S. Martini ab Impetitione Ipsius Pauli, & Omnium, qui nomine, jure, seu „ occasione Ipsius Pauli ipsum impeterent vel impetere possent, sententionaliter duximus „ absolvendum. Adjudicamus Eidem Eppo. Et pro Eadem summa prædictam terram S. Martini, perpetuo & pacifice possidendam. In Cujus rei firmitatem &c. Datum & actum Albæ, V. Feria post Festum S. Michaelis Anno Dni. 1255. Quo Anno etiam, statuit: Populi & Jobagiones in terra S. Martini prope Wascam constituti. *Eodem jure & libertate* sunt verba Privilegij: utantur *tam in Judicijs, quam in Cæteris. quo jure alij Jobagiones & Populi, Ipsius Episcopatus & specialiter ad Vasca pertinentes Censentur uti, juxta Consvetudinem, approbatam. Cum & isti sint uniti eidem, & ad Curtem supradictam Vaskam pertinentes, sicut illi qui sunt Ultra. Hoc adjuncto Quod si præfatus Eppus remissus fuerit, Cuiquam de ijsdem in justitia facienda, non ille contra quem agitur, sed Episcopus memoratus, vel Ejus officialis ad Nostram præsentiam debeat evocari. In Cujus rei &c. Datum apud Vasca Anno Dni 1255 XVI Kal. Aprilis. Regni autem bost Vigesimo.* Quamvis autem Anno 1230 *Totam quam habebant ultra Dravam in Sclavonia terram Epppali Vasca contiguam*, Templarij Ecclesiæ Zagrabiensi cesserint, Fuit tamen iterum, ob necessitates Ecclesiæ, Episcopo Quinque Ecclesiensi vendita, ab hoc: Rembaldo, à quo eam emit Philippus. Anno iterum 1260, A quibusdam etiam *GORDUN* emit pro 50 Marcis terras & sylvam Gay Vocatam, Varasdini ad Biskupecz, Ecclesiæ fundationali. Item OBRIJS, nunc OBRESKA intra Ivanich & DOMBRAM, ac tandem, terram *Bebeneze* nunc fors *Bebenije.* Omnia hæc Bela Rege confirmante.

Anno 1255. ób negatas Decimas, Incolæ vilæ *PETNA* à Philippo excommunicantur, Et cum eas dedissent absolvuntur. Sub Dato *Apud S. CLEMENTEM in Nova villa Episcopali in Gora.* Anno autem 1256, fervebat Lis intra Capitulum Zagr. & Haholdum Comitem, ratione Decimarum in Bexin, Quas Ejus subditi, & Incolæ generationis *GIURE* per Quinquennium Capitulo denegaverant. Vocatur in jus a Capitulo Haholdus, ad Judicem Aulæ, sive CURIÆ Regiæ. Fertur sententia, Ut in Ecclesia Cathedrali Zagrabiensi, utraque pars juret, Haholdus quidem, à se Decimatores Capituli impeditos non fuisse: Nomine autem Capituli, Petrus Archidiaconus Cathedralis, & Petrus Camarcensis. Quod per Quinquennium Decimæ fuerint denegatæ. Cum autem partes in loco & Termino constitutis, convenissent, ALEXANDER Vice Banus, & Comes Zagrabiensis negotium intra partes amice Composuit. Super amica Compositione conficiens litteras, à BELA IV confirmatas. Idibus Maij 1256 Regni sui XXI. Apparet hinc Bexinatum longè ante hæc tempora, prout etiam trans MURAM est. In Ecclesia & Diœcesi Zagrabiensi esse. Nec Ejus fundatio, nisi ad S. Ladislaum Ecclesiæ Fundatorem refferi potest. Ab Haholdo descendit Familia Banffij, sic dicta, quod Nepos Ejus BANUS fuerit, hujusque Filij, ac deinde omnes posteri Banffij appellati. Terra autem Generationis *Giure.* Est Dominium *Lendvense.* Quod se Georgius Marcellevich ex Instrumento Authentico Anni 1374 annotâsse scribit,

Sub Philippo hoc Episcopo Petrus Archidiaconus Cathedralis, fundat Abbatiam in Insula S. Ægidij, pro Religiosis Ordinis Cisterciensis, quibus Ecclesiam B. V. M. in Area Capitulari à se exstructam cum alijs terris, molendinis, Anno 1257 donat, Confirmante, & amplificante hanc Donationem BELA Rege, & Alexandro IV Pontifice Anagniæ III Nonas Decembris Anno 1259. Quæ postea Abbatia B. V. M. de Campo Zagrabiensi dicta est. Uti Parte III dicetur.

INVENIUNTUR sub Eodem Episcopo STEPHANUS BANUS totius Sclavoniæ & ab Anno 1250, ad Annum 1257, etiam CAPITANEUS STIRIÆ, imo in aliquibus expeditionibus DUX STIRIÆ. Quem BELA REX his honoravit: *Prædilectum & fidelem Nostrum Stephanum Banum totius Sclavoniæ, quem profecto virum secundum Cor nostrum invenimus.* Alexander sub Eodem Vice Banus & Comes Zagrabiensis. Anno autem 1258 invenitur ALEXANDER BANUS, INUS Vice Banus & Comes Zagrabiensis. Anno demùm 1260 Rolandus Banus,

Banus. Et BELA DUX Sclavoniæ, qui fuit Filius BELÆ IV Regis, & Frater Stephani. Dalmatiæ Croatiæque Banos, qui plures his temporibus Leguntur, omittimus. Observando eos plerúmque inscriptos *Banus Maritimus.* Comes Hudinæ. Comes Haholdus. Comes MOTMERUS. Martinus filius Szlana. à quo nomen *Szlanje* derivatum suspicantur Ritterus & Marcellevich. MOJUS Comes Curialis Capituli in Toplica. Abraham & Nicolaus, filij Nicolai Comitis de minori Kemluk. Cucmanus filius WETTE. Endre & Andreas, Filij Petri Petthe, & alij plures.

Præterea ZLAUDO Eppus Vesprimien. Anno 1252. Smaragdus Præpos. Poson. 1253. Idem, 1257 Præpos. Alben-Electus Colocensis & Vice Cancell. Anno 1254 STEPHANUS Præpos. S. Sepulchri de Glogovnicza & Can. Hierosolymitan. in alijs: *Præceptor Domus Militia templi de Glogovnicza.* Hinc apparet, eam olim Templariorum fuisse. REMBALDUS, Legitur etiam REMKALDUS. Et hujus Successor Arnaldus Majores Præceptores per Hungariam & Sclavoniam Domorum Hospitalis Hierosolymitani.

Item DRISAM *Lector*, BUZAM *Cantor* Petrus *Præp. Chas.* Nicolaus *Castos* Benedictus *Decanus* Petrus *Cathed.* Petrus *Camarcen.* Benedictus *de Gvereșe Archid.* Nicomedes *Kemlek*, Michael, Jacobus Can, Zagr. Ecclesiæ. Alios ignoramus.

Anno tandem 1261 Philippus Epis. Zagrab. *Cancellarius BELÆ IV Regis* invenitur. Et 1262 in littera BELÆ Regis Cognatis Hudinæ Comitis, in BIHITZ data, *Postulatus Strigoniensis.* Quo Anno etiam translatus ad Strigoniensem Archi-Eppatum fuerit, cum sub Episcopi Zagrabiensis nomine, amplius non comperiatur. De Quo, JOAN. Archid. ista scribit: *Philippus de quo plures jam recordantur, & fuit solemnis persona, his bono Zelo ductus ædificavit Castrum Medwe, pro conservando Thesauro Ecclesiæ, metu Tartarorum, quia adhuc non erat murata Civitas, seu Castrum Grecz, sed ex ædificatione male fuit provisum Ecclesiæ Zagrabiensi & pertinentibus ad eam, sicut experientia docuit & docet.* Sub hoc Philippo, Anno 1252 Innocentius IV de Dato Perusij, Confirmat BELÆ Regis Donationem super Possessionibus, Post Castrum Episcopi. BELA IV revocat Donationem Quarundem terrarum 1257, quas jobagiones Castri Zagrabiensis tradiderant Templarijs, se una etiam, ijs subjiciendo, & hoc post sententiam Stephani Bani Sclavoniæ, & Capitanei Stiriæ.

XVII.
TIMOTHEUS II.

OB dissidia inter Belam Patrem, & Stephanum filium, Hungariæ Reges, licèt Timotheus statim, post PHILIPPI Translationem, Electus nominatúsque fuerit Zagrabiensis Episcopus, & ab URBANO Pontifice confirmatus; attamen ob humiles Timothei Natales Bela Rege, ipsi magnopere adversante Episcopatum adire non potuit, hinc gravissima incommoda pertulit. CLEMENS IV. BELÆ Regi hac de re scripsit sæpius, de quibus SPONDANUS ita testatur, ad Annum Christi 1266. pag. Nobis 228. Quæ se accepisse ex litteris Ejusdem Pontificis Clementis, hoc ipso anno XII Kalen. Februar Perusij ad Eundem Belam Regem datis commemorat. *Quod Rex*, ita Spondanus, *admittere recusaret Timotheum creatum ab URBANO Episcopum Zagrabiensem, eo prætextu, quod vilis esset originis, & redargutum eum severe fuisse ab eodem Clemente, egregiè docente, cum natura omnes homines æquales sint. aliquos postea cæteris regendis necessario eligi: ac propterea non debere ratione originis contemptui esse, cui ob virtutum merita Principatus vel Præsulatus in alios confertur, nec decere potentem persequi pauperem, Additisque denuo precibus ac monitionibus, pro Eodem Timotheo admittendo demum minatur nisi his aquiescant, inhærendo se vestigiis Ejus qui pro Christis suis corripuit Reges, causam pauperis prosecuturum.* Ita Spondanus. Videtur Timotheus ab Urbano Institutus. Et ob Regum Hungariæ jura pro Episcopo nec agnitus, nec ad Bona admissus. Nec Diplomatibus Regijs insertum comperimus, ante Annum 1269. Quod indicant SPONDANI verba *Eo prætextu quod vilis esset* &c Et Joan. Archid. à Romano Pontifice institutum innuit, scribendo: *Timothæus PROVISIONE SUMMI PONTIFICIS qui laudabiliter præfuit Ecclesiæ, quam etiam in diversis ornamentis ac enteis ornavit, obijt IV. Aprilis 1287. Cujus Sepulchrum apparet ante Aram B. V. in Ecclesia majori* Ubi advertendum *Provisione Summi Pontificis* In occasione confirmatæ, intra Belam & Stephanum pacis, Timothæus in gratiam Regum susceptus sit? vel quomodo negotium hoc accommodatum non comperimus. Bene vero, Timotheum in gratijs Belæ, Stephani LADISLAI Regum fuisse, favores Eorum tanti testantur.

BELÆ quidem; Qui 1269 per Epistolas Timotheo datas, concedit libertatem Populo de URBAZ sui Regni Anno XXXIV. Unde videtur URBAZ Episcopale fuisse. Legitur etiam Comitatus URBAZ. Item Privilegium super libertatibus villæ Episcopalis, Ver-

tus Elias, Budun, & Tikud in Comitatu Szimegiensi. Consensuales etiam & Donationales litteras, dedit Timotheo Bela, super terra ad Vascam, ab Urbano Podbrat empta. Ac tandem sub finem anni 1269. XI Kal. Januar. amplum acquisivit à Bela Rege Privilegium, quo litteras Andræ II. confimat, ac denuo eximit populos Ecclesiæ ab omni Comitum & Banorum jurisdictione; eò *quod Episcopi semper Regibus fideles fuerint.* Exactionem etiam, quæ nunquam in Subditos Ecclesiæ fuerat, sed eam in septem Denariis ad Nuptias filij sui Belæ Ducis inceperat, penitus tollit. Ad quod ait se morsibus conscientiæ adstrictum, id facere pro anima Ejusdem Filij Ducis.

BELA autem Secundogenitus Belæ IV. Regis Filius Sclavoniæ & Dalmatiæ DUX à Patre fuerat constitutus, testante Quoad Dalmatiam Thoma Archid. Cap. II. *Filio suo Bela adhuc in puerili ætate constituto.* Regina à Sclavis & Dalmatis fidelitatem exigebat *Quem supra illas partes DUCEM perfecerat - - - utpote quia secundus erat Regis filius. Primogenito jam Stephano Ungarici Regni Diademate insignito.* Quoad Sclavoniam vero, plures reperiuntur sententiæ. literæ, Donationes, in quibus hunc Titulum legimus. *BELA DALMATIÆ, SCLAVONIÆ & CROATIÆ DUX* & hæ ab anno 1260. ad annum 1269. quo Bela DUX mortuus est

Anno Regni Belæ IV. XXXI. Christi verò 1266 IX. Kalend. Decembris. Civitas Montis Græcensis Zagrabiensis in liberam Regiamque Civitatem evecta est. Jam pridem anno 1250. contra frequentes insultus & incursiones Alemanorum, & ex metu quoque Tartarorum Castrum in monte Grech juxta Zagrabiam construxerat Bela (quod turris illa quæ hodie *ZUBRCZE* dicitur, creditur) in quod deinde convenientes homines domos sibi ædificârunt, & Castrum defendendum, contra insultus hostium susceperunt Quod cum egregiè præstitissent occasione prædictorum bellorum, pro eorum monstrata fortitudine & factis prouti & expensis, honore Civitatis liberæ Regiæque, decoratur à Bela, cum amplissimo Diplomate In quo Rittero, alijsque Scribentibus, ab omni alia exactione & servitio eximebantur, excepto solum ut quotannis in die Strenarum Belæ Duci 40. Marcas, sive 200. pensas currentis Monetæ penderent. Indulsit insuper, ne Cum vel Ipse Rex, vel Ejus filius Bela Dux Sclavoniæ & Croatiæ exercitum faceret, ad Eum vel ire, vel aliquid pendere tenerentur. Statuta etiam, quæ intra se pro Judicijs constituerant, confirmavit. Forum solenne pro Die Lunæ, & Jovis qualibet Hæbdomada, quotidianum verò qualibet Die concessit. Civibus etiam terram, circa montem *Grech* donavit, aliásque Possessiones Et dein etiam postea Privilegia auxit. Quod & Successores Belæ fecerunt. Hinc Mons Græcus in Liberam Regiámque Civitatem sub Timotheo Episcopo elevatus est. Sub Philippo autem Episcopo, Castrum in eodem monte erectum est.

Stephani quoque Regis, gratias non postremas Timotheus Eppus consecutus est. Dum 1271. dat litteras, ne ullus apud Ecclesiæ homines, vel Capituli & Episcopi populos, jus hospitii prætendat Et antecessorum Regum in Anno 1272. Privilegia confirmat XV. Kal. Julii. Ubi dicit: Se motum Timothei pietate, *qui Ecclesiam Zagrabiensem quasi desolatam in sui corpore à primo fundamento reparavit.* Confirmat etiam fundationem Missæ quotidianæ B. V. Mariæ, de qua.

Ob singularem S. Regis Stephani, in DEIparam Virginem Devotionem, cui Idem Apostolicum Hungariæ suæ, Regnum dicaverat: In omnibus Hungariæ Basilicis, quotidiana *Votiva* Missa offerri quotidie consueverat. Qui mos in Ecclesia etiam Cathedrali Zagrabiensi per Canonicos observabatur. Quia autem ob Annorum priorum circumstantias, & Canonicorum labores, præcipue Archidiaconatuum curam, & Canonicorum persæpe necessariam absentiam, ob Missas etiam alias, tam hanc quotidianam de B. V. MARIA, cum & Chorum, absolvere Canonicis, non fuit facile. Ne res ob Impedimenta Canonicorum, successivis temporibus aut negligatur, aut exolescat, Bela IV. Rege primùm consentiente, dein & Clemente IV. Romano Pontifice aprobante, de Dato Viterbii anno 1269. Pontificatus IV. Philippo Strigoniensi & Stephano Colocensi Archi Eppis, pro hoc Laborantibus Timotheo autem dissentiente, nisi *Jus Patronatus* Eidem attribuatur, MANSIONARIJ sive *Prabendarij* à Capitulo Zagrabiensi fundati sunt, partim Donationibus inter vivos, partim Legatis testamentarijs, ut hi Officium Divinum in Choro, & Missas de B. M. V. quotidie absolverent. Et licet hos ipsos MANSIOnarios, sive Præbendarios, antea etiam uti suos Capellanos, quidam Canonicorum habuerint, qui in Vicem talium, & Missas, & Divinum Officium absolvebant, Fundatio tamen eorum, ante annum 1269. non invenitur. Anno autem 1272. *BUSAM*, Legitur etiam scribi *BUSAN*, Cantor & Canonicus Ecclesiæ hujus Zagrabiensis, ex sua in BSS. Virginem devotione instituit, ut Missa de B. V. quæ antea, ut dicimus Legi consueverat, dehinc quotidie circa Auroram cantando absolveretur. Pro quo absolvendo cantu, Sacerdotes duos constituit, eòsque Prædio quodam ad *Ottok* Vicino, prope fluvium ZAVA cum Ejusdem pertinentiis, ac Servis Budulo & Ochuz, cum eorum

Ma-

Matre, Vineis item suis, dotavit. Stephano Rege, & Thimotheo Episcopo consentientibus. Collegio quoque toto Mansionariorum, ob singulares Timothei Episcopi, in illos, favores acceptante. Sane ob acceptatas has Missas & Cantum, Præbendarijs tam addictus fuerat Timotheus, ut cum suo Capitulo dissenserit. Jus Patronatus Præbendarum, sibi etiam usurpaverat. Insulam quoque Capituli intra Savam & Szaviczam occupaverat. Quæ Successor Ejus ANTONIUS, ut infra dicetur, complanavit. Capitulo nil movente, ob Favores & gratias LADISLAI Regis, quibus TIMOTHEUM complectebatur. Cæterùm de hac Missa tempore Cardinalis GENTILI, magna fuit sub S. AUGUSTINO Eppo Zagrabiensi in Synodo Quæstio. A quo probata, & JOANNIS XXII. Apostolica Authoritate confirmata (qui Ipse exemplo hoc Hungariæ, cùm juxta Avennionem, in loco *BESTEL* vocato, Sacellum B. V. M. erexisset, Sacerdotiáque fundâsset, juxta Annotationem *Victorelli* apud *CIACONIUM* ad quotidianum de B. M. V. Sacrum eos obligavit) ad hæc usque tempora, in Basilica Zagrabiensi observatur. Sacra Rituum Congregatione nunquam contradicente.

Demùm in LADISLAI Regis Gratijs, omnino summis Timotheus fuerat. Illico enim, 1273 nempe Anno, sequenti post Coronam adeptam (quam 1272 post mensem Julium assecutus sit, cùm Anno 1272. XVI Kalend. Julij confirmasse inveniatur Stephanus Rex, Litteras à Stephano Bano 1240 datas, cuidam nobili Porugh de Generatione Boith, nobilis de Tetachich de Lika. Ubi hi inveniuntur, Philippus Strigon. Stephanus Colocen. & Cancellarius Aulæ. Joannes Spalaten. Archi-Eppi. Lampertus Agriensis, JOB Quinque Ecclesiensis, Brictius Chanad. Philippus Vacien. Aulæ Reginæ Cancellarius. Paulus Vesprimien. Timotheus Zagrabien. Ladomerius Varadien. Dionysius Jaurinen. Petrus Transylvan. Episcopi. Moijs Palat. Comes Suprunien. Judex Cuman. Nicolaus Judex Curiæ Comes Simighien. Ægidius Tavernicus Comes Poson. Joachimus Banus Sclavoniæ. Mathias Vaiv. Transyl. Laurentius Comes de Sabaka. Petrus Dapiferor. Albanus Agazon. Philippus Pincer. Magistri. Paulus Comes Bacsien. Gregorius Tavernicus Reginæ & Comes Castri Ferrei. Poruch Banus Comes Zaladien. Michael Comes Nitrien.) Confirmat Priorum Regum Privilegia. Et Castrum *Medvevar* iam pridem ab Ecclesia abalienatum Eidem & Capitulo restituit. Uti supra Capite XI relatum. Eodem quo supra Anno, Terram *POLANA* prope Varasdinum *contiguam terræ Eppali Ecclesiæ S. Mariæ* (ita Privil.) ab Elia de Varásd filiis Martini VOLPOT, per Timotheum emptam, *Ladislaus* Rex Confirmat, & permittente Stephano Comite Varasdinensi, ab omni servitio Castri Varasdinensis eximit. Prouti & Populos Capituli & Episcopi à solutione Marturinarum, Item Undecim, & septem Denariorum, in Anno 1274, Paulo Vesprimien. Cancellario, Henrico Bano Sclavoniæ existentibus. Anno autem 1275, idem REX LADISLAUS confirmat libertatem populi S. Martini de VASCA, & terram FAIJZ alias *Kralievecz* olim ad Castrum Regium Zagrabiense spectantem Donat Ecclesiæ. Et alijs alias Possessiones, ut non sine ratione Credamus Castri illius Regij Appertinentias, sub LADISLAO desijsse.

Nec his contentus: Comitatum de *Gersencze* hodie *Bersencze* dictum quem antea Duces Sclavoniæ possidebant, Timotheo contulit & Donavit. Ubi cum Thimothei Virtutes exprimantur, placet totam refferre, ut Quis Timotheus fuerit ? lector Cognoscas.

Donatio Comitatus de Gersenze

" LADISLAUS &c. Etsi quibuslibet Coronæ Regiæ Fidelibus & devotis aperire debemus munificentiæ Nostræ manus, illis tamen & maximè Prælatis Ecclesiarum tenemur ardentius & specialius respondere, quos videmus NOSTRIS & Regni Nostri Negotijs insistere fideliter & devotè. Præsertim cum per hoc & honor accrescat Regius, & salus attendatur animarum. Proinde ad Universorum Notitiam harum serie volumus pervenire; quod Gratam & Commendabilem fidelitatem, & meritoria ac multiplicia obsequia, Venerabilis Patris Timothei miseratione Divina Episcopi Zagrabiensis dilecti & Fidelis Nostri, Quibus idem in Regni Nostri Negotijs, & coram Nostræ Majestatis oculis absque aliquo offensionis scrupulo studuit multipliciter complacere. Attendentes volentesque ad hoc Eidem dignæ Remunerationis beneficio complacere, licèt respectu eius quod ad præsens sibi conferrimus potiora mereretur. In aliqualem tamen recompensationem fidelium obsequiorum Ejusdem Eppi, de Baronum Nostrorum Consilio & assensu contulimus sibi & per eum Episcopatui Zagrabiensi Comitatum de Gersencze cum Collecta marturinarum & septem Denariorum, tenendum, habendum, & possidendum perpetuo & irrevocabiliter pacificè & quiete, cum illa & eadem libertate qua possessiones & populi dicti Eppatus Zagrabiensis, à temporibus Istorum prædecessorum Nostrorum Illustrium Regum Hungariæ gratulantur. Statuentes quod nec Banus Sclavoniæ, ratione Collectæ Marturinarum, & septem Denariorum

„ riorum ac Zulusinarum, & similiter Mgr. Tavernicorum Nostrorum nomine Ejusdem Col-
„ lectæ septem Denariorum de ipso Comitatu de Gersencze provenientium, prædictum
„ Eppum. & Successores suos præsumat vel debeat molestare. Et Insuper universi Populi in
„ Eodem Cottu. de Gersencze existentes, nec Bani, nec Judicum suorum judicio in quo-
„ vis Articulo debeant subjacere, cum ipsum Comitatum non ut honorem, sed in possessio-
„ nem perpetuam Eppatui Zagrabiensi contulerimus irrevocabiliter possidere. In Cujus rei
„ memoriam & perpetuam firmitatem præsentes concessimus litteras duplicis Sigilli Nostri
„ munimine roboratas. Datum per manus Mgri. Demetrij Præpositi Albensis Aulæ Nostræ
„ Vice Cancellarij Dilecti & Fidelis Nostri Anno Dni. 1277 Regni autem Nostri Anno Quinto.

Quam Donationem Regiam videns totius Sclavoniæ Banus Universis Judicibus & Collectoribus Marturinarum & Zalusinarum mandat. *Cum Dnus Noster Ladislaus Illustris Rex Hungariæ Comitatum de Gerzencze cum præmissis cunctis Marturinis septem Denariorum Zalusinis, Judiciis Jurisdictionibus, & aliis reditibus proventibus Ejusdem, Vbli P. Dño Timotheo Dei gratia Eppo Zagrabiensi perpetualiter duxerit conferendum, prouti per Privilegium ipsum Dni Nostri Regis patuit evidenter, Vobis firmiter præcipiendo mandamus, quatenus de hujusmodi Collectis & Judiciis Vos nullumodo intromittere præsumatis, imo volumus, quod omnino & expressè manus vestras retrahatis, aliud facere nullatenus præsumatis Datum Zagr Die Dominico proximo post festum Omnium SS. Anno Dni 1278.* Sed cum idem Rex Ladislaus suprascriptum de Gerzencze Comitatum alijs antea donasset: priores à se factas Donationes irritat, annulat & mortificat ex causa in hac sua Declaratione posita, tenoris sequentis

LADISLAUS &c. transumendo priorem Donationem ad preces Thimothei Eppi Za-
„ grabiensis sub solito Stilo. Postquæ hæc formalia addit: Nos itaque Regalis circumspe-
„ cti officij solenni ac diligenti tractatu cum Nostris Baronibus præhabito ac maturitate debi-
„ ta observata, jam ex Divinæ propitiationis gratia ad Legitimos seu Discretionis annos
„ feliciter pervenientes, præfati Vblis Patris Dni Timothei Eppi Dilecti & fidelis nostri ju-
„ stis petitionibus inclinati, considerantes præscriptam Donationem fore licitam, justam
„ salutiferam & honestam: præmissum Privilegium præsentibus de verbo ad verbum inser-
„ tum, & collatione seu Donatione immunitates, exemptiones & libertates in eodem con-
„ tentas universas & singulas innovamus approbamus, laudamus, & authoritate Regia irre-
„ vocabiliter ac stabilitate perpetua confirmamus, Imo jam ut præattactum est, in Annis
„ Legitimis constituti, ut cujuslibet Dubietatis seu mutabilitatis de medio scrupulus aufera-
„ tur, omnes Donationes Collationes, quibuscunque temporibus: Baronibus seu Regni No-
„ stri Nobilibus quibuscunque per importunitatem petentium per nos factas, & literas, Pri-
„ vilegia vel monumenta quocunque ingenio vel tempore impetratas vel concessas revoca-
„ mus, irritamus, annulamus, vel pronunciamus nullius fore efficaciæ vel momenti, &
„ Eijsdem uti volentes tanquam falsarios & calumniæ vitio notatos decernimus condemnan-
„ dos. Et ipsum Comitatum cum exemptionibus, libertatibus & immunitatibus, redditi-
„ bus, & conditionibus suprascriptis, ut ex nunc & de novo in perpetuam Eleemosynam
„ conferrimus, concedimus, & donamus prædicto Vbli Patri Timotheo Eppo Zagrabien-
„ si propter Fidelitatem & ipsius grata obsequia Nobis exhibita indeffesè, ac suæ merita pro-
„ bitatis, & per eum suis Successoribus, ac Episcopatui Zagrabiensi jure perenni haben-
„ dum tenendum, ac irrefragabiliter possidendum. In cujus rei memoriam, perpetuam
„ firmitatem atque robur, præsentes ad Instantiam & justam petitionem superius memorati
„ Dni Timothei Eppi concessimus litteras Duplicis Sigilli Nostri appensione seu munimine
„ roboratas. Datum per manus Vblis Patris Thomæ Dei gratia Eppi Vaciensis Aulæ No-
„ stræ Cancellarij Dilecti & Fidelis Nostri Anno Dni 1284. septimo Idus Junij Anni autem
„ Nostri Duodecimo.

Qua Declaratione Regia facta, Idem Rex Ladislaus, ita mandat universis Nobilibus
„ de Gersencze. LADISLAUS Dei gratia Hungariæ Rex &c. Fidelibus suis universis No-
„ bilibus, & alijs omnibus cujuscunque conditionis hominibus in Gersencze existentibus sa-
„ lutem & gratiam. Cum Nos Comitatum de Gersencze Vbli Patri Timotheo Dei gratia
„ Eppo Zagrabiensi dilecto & fideli nostro, sicut primitus, sic & nunc Eidem cum pleni
„ tudine nostræ gratiæ reliquerimus, Fidelitati vestræ firmiter & districtè præcipiendo man-
„ damus, quatenus omnia jura & proventus ex parte Vestri, Comiti de Gerzencze debitos
„ & consuetos, Officiali ipsius Vblis Patris sine diminutione, & fraude dari faciatis, & per-
„ solvi plenariè & integrè, eo modo & ea plenitudine, quemadmodum tempore Dni Belæ
„ Ducis claræ memoriæ Fratris Nostri prædilecti, Officialibus Ipsius Belæ Ducis consveve-
„ ratis ministrare, aliud facere nullatenus præsumentes: quia si secus feceritis Indignatio-
„ nem Nostram graviter sentietis incurrisse, & nihilominus eidem Vbli Patri authoritatem

dedi-

„ dedimus, vos ad hæc cum vestro gravamine atque damno compellendi. Datum in Zeg„ ned in Octava Nativitatis Virginis Gloriosæ Anno Domini 1284.

Porro Donationem illam primam super hoc Comitatu Gerzenze, idem Timotheus per Philippum Episcopum Firmanum, tanquam Apostolicæ Sedis Legatum, nomine sacræ Sedis acceptari, & confirmari curavit, prouti á Raphaele Levakovich (ex quo & priora accepimus) fideliter descripta exstat Copia, in qua Ladislai Regis Donatio inserta habetur. Sub Dato *in Castro Budensi tertio Idus Julij, Indictione septima Anno Dni 1279. Pontificatus Dni Nicolai Papæ III. Anno secundo.*

Hæc quæ retulimus, Magnum fuisse Timotheum luculenter testantur, sed immortalis memoriæ Viri, æternum desiderium, ex alijs quoque eruimus. Ut in omnibus magnum fuisse videamus. Probitas morum tanta in eo fuit, ut hanc in eo, Ipsi Reges venerarentur, & hanc præmiare contenderent. Inter alias superius adductas causas Donati Comitatus Gersencze à Ladislao Rege hæc quoque apponitur: *Ac sua merita probitatis.* Eadem causa sæpe ponitur in Belæ IV. Expeditionibus, gratijs. Eadem in Reginæ Elisabeth literis infra positis.

Castrum quoque *Garich* hoc Eodem Anno 1277. Ladislaus Rex Donat Timotheo dicens: *Quod cum ipse illud, conservare non posset, Episcopus autem ingentibus proprijs sumptibus conservásset*, quod illud ob tanta illius donet merita. Addere tamen placuit Ladislai Regis de Anno 1274. ad Sclavoniæ Proceres rescriptum, ad monstrandum Regis hujus, quem in Ecclesiam hanc & Timotheum habuisset affectum.

„ *LADISLAUS* &c. omnibus tam præsentibus quam futuris & specialiter Collectoribus „ Marturinarum, Undecim & Septem Denariorum per Sclavoniam Constitutis salutem in „ omnium Salvatore. Cum Populi Zagrabiensis Ecclesiæ tam Eppi videlicet, quam Capi„ tuli loci Ejusdem ab omni Collecta seu exactione qualibet, marturinarum videlicet, & „ aliarum Exactionum quarumcunque juxta antiquam & consvetam Ejusdem Ecclesiæ liber„ tatem, vallata multis prædecessorum nostrorum Privilegijs: & specialiter Privilegio Dni. „ Stephani serenissimi Regis, claræ recordationis Patris nostri, liberi sint penitus & exem„ pti. Nosque eandem Ecclesiam & populos ipsius in prioribus velimus eorum libertatibus „ indemniter Conservare. Universitati Vræ. præsenti editione perpetuo duratura speciali„ ter inhibemus, ne quis Populos prædicti Eppi, & Capituli Zagrabiensis, nomine, ratio„ ne, seu occasione Collectæ cujuslibet, & specialiter Collectæ undecim, & septem Dena„ riorum præsumat aliquatenus molestare, aut aliquam Collectam exigere ab Eisdem. Non „ obstantibus literis Nostris si quæ Contra tenorem Privilegiorum eorundem, seu Contra for„ mam libertatis Ecclesiæ memoratæ, emanâssent, vel deinceps quomodolibet Continge„ ret emanare. Cum Prædictam Ecclesiam sicut præmisimus ob reverentiam Sanctorum Præ„ decessorum Nostrorum Stephani & Ladislai Regum Hungariæ: nec non & approbata Fide„ litate Ublis Patris Timothei Ejusdem Ecclesiæ Eppi, dictam Ecclesiam & populos ac jura „ Ejus velimus, & intendamus manutenere, ac Conservare in eorum Consvetis & antiquis „ libertatibus inconcussè. In cujus rei memoriam & perpetuam firmitatem præsentes dedi„ mus literas Duplicis Sigilli Nostri munimine roboratas. Datum per manus Benedicti San„ ctæ Strigoniensis Ecclesiæ Electi, Ejusdémque loci Comitis perpetui, Aulæ Nostræ Vice „ Cancellarij & Præpositi Budensis dilecti & Fidelis Nostri Anno Dni 1274 Pridiè Kalen. „ Junij Indictione 2da. Regni autem Nostri Anno II. VVbbl. PP. Stephano Colocensi, & „ Joanne Spalatensi Archi-Eppis. Lamperto Agrien Brictio Chanadien. Job Quinque „ Ecclesien. Philippo Waciensi, Aulæ Dnæ. Reginæ Consortis Nostræ Carissimæ Cancella„ rio. Paulo Vesprimiensi. Aulæ Nostræ Cancellario. Timotheo Zagrabiensi, Lodome„ rio Varadiensi, Dionysio Jaurinensi & Petro Transylvano Eppis, Ecclesias Dei feliciter gu„ bernantibus. Dionijsio Palatino Comite de Zolnok & Judice Cumanorum. Nicolao Ju„ dice Curiæ Nostræ Comite de Sueckæ, Henrico Bano Comite totius Sclavoniæ, Nicolao „ Vaijvoda Transilvano & Comite de Zolnok: Paulo Bano de Zewrino, Joachimo Mgro. „ Tavernicorum Comite de Plijs. Reynoldo Mgro. Dapiferorum, Nicolao Mgro. Pincer„ narum, Herberto Mgro. Agazonum Nostrorum. Comite de Baranija, Moijs Mgro. Taver„ nicorum Dnæ. Reginæ Consortis Nostræ Charissimæ Comite Simigiensi, Joanne Comite „ Sopronieu, Gregorio Comite Castri ferrei, Dedalo Comite Zaladiensi, Jacobo Comite „ Nitriensi, & alijs pluribus Comitatus Regni tenentibus & honores.

Plura alia habemus monumenta D. Ladislai Regis, Thimotheo Indulta, quæ Longum foret transumere. Partim Priorum Regum Gratias Confirmantia, partim Sententias & Decreta in Timothei favorem lata. Et cùm Nemo sit Virtutis tantæ, qui adversarios non habeat, Timotheo Gravissima, Cum Regina Vidua Elisabeth Matre Ladislai Intercesserant. Wereucze nunc *Verocza* fuit olim Reginale Dominium & possessio, in quo Elisabeth Commorata, inimicorum Timothei Consilio, gravior effecta Eppo. Nam Primo Universas Deci-

T 2 mas,

mas, alias mensæ Episcopalis, in toto Comitatu de *Verevze* & *Lippoa* Ipsa usurpavit, informata Decimas Eppis, non competere, præsente quopiam de Regum Sanguine, & in Bonis Regalibus. *2dò.* Possessionem Eppalem Vasca occupavit, Populum spoliando. Quo in merito ad Instantiam Timothei, Rex Ladislaus plures dedit ad Matrem suam Literas, quas licet Magni affectus, brevitatis causa omittimus. In harum una, ita Eidem significat: *Unde hoc proveniat* (postquam Præmisisset, quod ipsa Consilio suo, juveniles actus Regis deberet emendare) „ ut in persona vestræ Dilectionis jam Vergente deorsum virtute, corporea attendatis, & invalescat possessionum Ecclesiasticarum invasio, & desolatio ac occupatio contra Deum & Justitiam intentata. Cum etenim per nostros frequentes nuncios & literas nostri sinceri amoris desideratam unionem sæpius requisissemus ut possessionem Ecclesiæ ssimi. Regis Stephani de Zagrabia, vasca vocatam, occupatam Contra Deum & justitiam relinqueretis, nullum effectum, tam timor Divinus, quam nostra sunt præcamina consecuta, sed potius uti nobis constat per nuncios nostros ipsa possessio ad exinanitionem extremam severius & miserabilius post filiales nostras preces est deducta. Quare adhuc petimus affectione qua possumus quatenus relinquatis & remittatis possessionem præfatam Ecclesiæ memoratæ, & de injurijs & damnis illatis satisfieri faciatis, ad plenum. Alioquin si præfatus Ublis pater, tam evidenti necessitate Compulsus, contra Personam Vestram, & Vestros, Ecclesiasticam processerit per Censuram, nec Nobis qui sæpius vos requisivimus, nec eidem poteritis imputare. Nos enim ex Regalis debito officij Eidem Eppo deesse non possumus, nec post tot admonitiones iteratas, licentiam in prosecutione Juris sui, aliquatenus denegare. Datum in Potok Festo S. Dominici Confessoris.

Quem effectum habuerit hæc apud Reginam Viduam Epistola non reperimus, nisi hoc quod *Firmanus* Eppus, Nomine *Philippus* Sedis Apostolicæ Legatus in Anno Dni 1280. (quod Bonfinio ignotum fuerit, qui Decad, 2. lib. 8. fol. 305. Firmanum ad Hungariam advenisse scribit 1284. post Victoriam Cumanorum, nisi secundò fors advenisset) litteris suis ad P. Guardianum Ordinis Fratrum minorum de Verovcze, admonuerit de præstandis Eppo Zagrabiensi Timotheo Decimis, Verovczenses & de Lippoa quas omittimus (literas) Dein quod postquam de contumacia convicti fuissent, medio Jacobi Præpositi Csasmensis Doctoris Decretorum, & Dni Papæ Capellani, fuerint solenniter Excommunicati. Qui Præpositus, Defectu ut dicit Tebellariorum, medio Capituli Casmensis, seriem executionis sententiæ refert Eidem Firmano Eppo, ut Sedis Apostolicæ Legato. In qua Reginæ nulla mentio

Anno vero 1281. Timotheus Zagrabiensis Eppus Excommunicationis sententiam protulit Feria 5. proxima ante Dominicam *Oculi mei.* in NICOLAUM totius Sclavoniæ Banum, & Ejusdem socios, Joannem & Henricum filios Henrici condam Bani, horumque complices, signanter quendam *Wryiz* quem totius Regni Prædonem, & publicum Latronem vocat, medio cujus præfati Comites fecerant tormentari Populos Ecclesiæ Zagrabiensis, ad extradanda & revelanda Universa quæ Populus habuisset, referendo crudelitates prædictorum, inter cætera quod mulieres plane nudas algore frigoris, & glaciei immanitate, ad revelandum cogebant, num quid per ipsarum Maritos, hospites absconditum fuisset. Quam suam Excommunicationis sententiam, mittit & significat Lodomerio Archi Eppo Strigoniensi, ut Eosdem Comites & Ipse evitet, & vitandos per Hungariam publicet. Quod Lodomerius sub dato Strigonij 1281. Tertio die quingenarum Dominicæ Resurrectionis & præstitit sententiam Timothei per omnia approbando. Quæ monumenta omnia, á nobis lecta causa brevitatis non producimus. In quibus attamen nulla Reginæ mentio.

Anno tandem 1283. de Dato Verovcze in octava B. Martini Eppi & Confessoris Regina ipsa, Timotheo Eppo Privilegium de Decimis in toto Cottu Verovcze & Lippoa colligendis dedit, In quo hoc titulo utitur *Elisabeth DEI gratia Major Regina Hungariæ* dicitque se ita informatam fuisse quod Decimæ ad eandem pertinerent, universæque aliæ obventiones, uti portuum, collectarum &c. sed sanioribus informata consilijs, quod easdem restituat & donet Timotheo & suis successoribus, obligando se, desuper à filio suo Rege Hungariæ privilegium obtenturam. Quod & 1284. obtinuit, in quo non solum Ladislaus Privilegium Matris confirmat, illud inserendo, subscripta etiam Regina Ladislai uxore nomine etiam Elisabeth *Eodem die & anno Elisabeth Regina Hungariæ Consors Ladislai ad Petitionem Timothei Eppi, insertis Ejusdem Literis Elisabeth Regina Socrus sua Easdem & restitutionem per dictam D. Elisabeth factam, in quantum ad illam spectare dignoscitur, cum idem Comitatus de Verovcze sit de prædijs ac curtibus Reginalibus approbavit.* Sed aliud quoque sub Duplici Sigillo majori per manus Vblis P. Thomæ Episcopi Vaciensis Aulæ Cancellarij & Comitis de Pijllijs Anno 1284. VII. Idus Julij Regni sui duodecimo extradaret, Donans Timotheo Ejúsque Successoribus Decimas præfati Comitatus, quæ iterum omittimus.

Ex

Ex his Timothei quoque Fortitudinem, & prudentiam admirare Lector Qui in Restauranda desudans Ecclesia Patrocinio & liberalitate Regum STEPHANI ac LADISLAI potissimum, de quo Par. II. uberius postquam 1284. Privilegium super Fundo *Area Capitularis* dicto (vide supra Cap. VII pag 43) obtinuisset, plenus meritis, & æterna dignus memoria, Anno 1287. Die IV. Aprilis, susceptis devotè Sacramentis, in Canonicorum Præsentia, quibus Basilicæ curam commendaverat, sua universa Eidem Basilicæ Legando, obijt. Ante Aram BSS. V. MARIÆ in Ecclesia majori sepultus. Synodum bis celebravit In vivis potissimùm JACOBO Præposito Chasmensi, Paulo Canonico & Lectore Zagrabiensi, olim Belæ Ducis Sclavoniæ Capellano, nec non Thoma Tompa, Quis iste fuerit non comperio, usus est.

Pontificatus Timothei tempore Inveniuntur. Bela Dux Dal. Croat. & Sclavoniæ.
Bani Sclavoniæ.
Rolandus. Joachimus. postea legitur Mgr Tavernicorum: Henricus 1270. Joannes Banus 1272. Nicolaus Banus 1280 Et Ægidius Banus de Macow & Bosna *Comites* Inus Vice Banus & Comes Zagr Derricus V Ban & Com. Zagr. Hodus Comes de Marovcha, Pribislai Comitis relicta nomine Lilium Comes Endrech, Alexander fil. Cosmæ de genere Tiboldi.

Præterea leguntur Matthæus Mgr. Tavernicorum Comes Poson. & de Banana. MARTINUS Notarius Aulæ Ladislai Regis.

CANONICI Zagrabienses reperiuntur: Joannes *Præpos Zagr.* Petrus Pulcher *Decan.* Item Dominicus *Decanus.* Petrus Præpos. Chasm. dein Jacobus Præp. Chasm. Petrus *Cathed.* Drisam. *Lector* post hunc: Paulus *Lector olim Capell. Ducis Belæ* Busan *Cantor.* Michaël *Custos.* Petrus *Camarcen* Benedictus *Arch·id. de Guercse.* postea Manfredus *Archid. de Guercse* Joannes Thesaurarius & C. Zag Nicomedes *Kemluk Archid.* Gregorius *Bexin Archid.* Stephanus & Gregorius *Canonici Zagrab.*

Nobilium horum comperio mentionem Marcus fil. GURDA. Martin. Kriful alias Ozul in processu quodam ratione terræ Jalesz Bratona. CHUTK, Miroslaus RATK. Urbanus Podbrat. Elias VOLPOT Nicolaus DRUSAN. Radila Radus. Mart. Nentsi. WLK fil. Drolich. L. Cheh. Gurdavech. Godigoy. Wlcodrug. Vonk. Andreas Judex Curiæ Episcopalis.

Gerardi demum Medici, in pluribus Ladislai Regis, est mentio, cui etiam de Castro Regio Zagrabiensi terram TERNAVA Ladislaus Donat: quod sua arte à magna ægritudine ipsum liberaverit, & quod prius, & Belæ, & Stephano Patri serviverit.

XVIII.
ANTONIUS.

Archidiaconus Joannes, & Cathalogus Ecclesiæ Zagrabiensis, hæc de Antonio *successit Timotheo ex Præpositura, per Electionem factus Episcopus, sex mensibus vixit, in die B. Emerici Ducis Sclavoniæ mortuus.* Nil de eo invenimus aliud, nisi Primas curas, ut Cum Capitulo amicitias habeat. Hinc contra Andream, Curiæ Episcopalis olim Judicem, ratione occupatæ Insulæ intra Savum, & Szaviczam, ut per judicium procedatur, voluit; sententiam præventus morte, successori ferrendam reliquit. MANsionarios sive Præbendarios Capitulo subjecit Litteris suis equentibus.

„ Antonius Divina miseratione Episcopus Zagrabiensis, omnibus Christi Fidelibus, „ præsens scriptum Inspecturis salutem in omnium Salvatore. Ad universorum notitiam ha- „ rum serie volumus pervenire. Quod cum in Ecclesia nostra Zagrabiensi more aliarum „ Ecclesiarum, Mansionariorum seu Præbendariorum Sacerdotum esset raritas; seu defectus „ tempore sanctæ ac piæ memoriæ Dñi Timothei Prædecessoris nostri non nulli ex Fratri- „ bus . . . dum viverent, aliqui etiam in sua ultima voluntate volentes & prospicientes piè, „ hujusmodi defectui providere, affectantes cultum Divini Numinis salubriter augmentari, „ etiam Bonis DEO sibi collatis Præbendarios seu Mansionarios Sacerdotes ad continuum „ officium Chori & Missæ B. Virginis disposuerunt, & ordinaverunt . . . . In Possessioni- „ bus & Vineis, Curijs ac alijs Bonis, ad sustentationem prædictorum Sacerdotum Præben- „ dæ nomine ordinantes, Et hujusmodi Præbendarijs seu Mansionarijs . . . . decedenti- „ bus, ipsas Præbendas vacantes, Fratres Nostri de Capitulo ab initio contulerunt. ex debi- „ to sibi jure competente, Et interdum Vener. Pater Episcopus Prædecessor . . . Conditio- „ ne Prædictarum Præbendarum decedentium Sacerdotum usus fuerit, aliquo tempore Ex „ qua etiam collatione, dicti Fratres nostri turbabantur, & interdum . . . per Sacerdotes.

Histor. Balth. Kereselich.

„ . . . quorum aliqui pro eo quod Fratres nostri, in collatione præfatarum Præbendarum „ nihil juris habere dicebantur, prouti ijdem Sacerdotes propter eorum elationem Fratri- „ bus nostris insultantes frequenter allegabant, ipsos, in eos juris nihil habere. Propter „ quod etiam, ipsi Sacerdotes Fratribus nostris etiam in Ipsis Divinis exequendis obtempe- „ rare interdum contumaciter denegabant, prout ex Ipsorum Fratrum audita relatione di- „ dicimus & quærella. Nos itaque ex officio curræ Pastoralis Nobis Divinitus commis- „ so, Præfatorum Fratrum nostrorum charissimorum, ut tenemur remedijs invigilare cu- „ pientes, volentésque ipsorum scandala removere: nam dum eorum onera excutimus, „ dum scandala renovemus, nos in eorum quiete quiescimus, & fovemur in pace. Ad ju- „ stam petitionem Fratrum nostrorum, & quia fuit æquitati proximum, & consonum ra- „ tioni voluimus & decrevimus in pleno Capitulo, una cum Ipsis Fratribus nostris, ut de- „ inceps sicut prius usi fuerunt in collatione . . Præbendarum perpetuo & libere utantur, „ pleno jure, maximè cum hujusmodi redditus Præbendales, prouti est prædictum de Bo- „ nis Fratrum nostrorum Canonicorum processisse . . . dignoscantur. Et quod hujusmo- „ di Præbendæ, non nisi Personis constitutis in Sacerdotio, non tamen Canonicis, & in Ec- „ clesia continuè residere volentibus per Capitulum conferantur. Quorum etiam Præben- „ dariorum, seu Mansionariorum Sacerdotum, sicut Institutio ut prædiximus; sic & desti- „ tutio ad Capitulum plene pertineat. Si forte in Sacrificijs adeo existerent negligentes, „ vel alias ipsorum Excessus, quod non optamus Ipsorum protervitas mereretur. Et ut „ hæc nostra ordinatio seu Decretum inconcussa stabilitate, seu perpetua firmitate impo- „ sterum inviolabiliter perseveret, præsentes nostras litteras exinde concessimus, Sigilli no- „ stri authentici munimine roboratas. Datum Zagrabiæ in Octavis S. Michaëlis Archan- „ geli. Anno Domini 1287.

Ex Decreto isto, apparet Antonium Apostolica Authoritate jam confirmatum fuisse Zagrabiensem Episcopum, cum se *Electum* non nominet. Tum ex Præposito Zagrabiensi vix electum verba illa suadent: *Prouti ex Ipsorum Fratrum audita relatione didicimus & Quærella.* Quod Ritterus voluit. Signa Orthographica . . . . denotant, ob antiquitatem Decreti, verba aliquod, Legi nequivisse.

XIX.
JOANNES I.

Circa Annum 1288. ex Præposito Zagrabiensi, Ecclesiæ hujus Episcopatum, consecutus est. Ab Exordio Pontificatus sui, summa ei cum Capitulis consensio, ut Insulam illam intra Savam & Szaviczam Capitulo adjudicaverit, Andreæ silentium imponendo: Sed non diu duravit conjunctio. Mortuo enim infelici casu, LADISLAO Rege, & Csanadini sepulto, postquam Ei ab Ecclesia hac parentatum ob tantos illius favores, quos in TIMOTHEO supra adduximus fuisset, uti per Regnum Hungariæ totum; sic & intra Episcopum & Capitula dissensio. JOANNES Episcopus ad Vota Romani Pontificis à CAROLI Martelli partibus fuit, Et ad axauthorandum Andream tertium cognominatum Venetum, cum plerísque Sclavoniæ Proceribus, ac Henrico olim Bano alijsque subscripsit. Capitulis Zagrabiensi & Chasmensi, Andream, utpote Unctum & Coronatum, cum UGRINO Comite, Item Comite Hudina alijsque recognoscentibus. Paulo Capituli Lectore, potissimum laborante, uti hæc ex ipsis eruimus Diplomatibus, paulo post verba eorundem relaturi. Offensus hac re Joannes, Dominari in Clero voluit, sibíque ex Authoritate Eoiscopali licere omnia arbitrabatur Hinc invisi illi Canonici. Paulum Lectorem conijcit in carceres, nec quid secutum invenitur. Alios etiam. Præcipue quod (devastata miserè per Andream Regem Austria, de quibus vide Spondanum ad Annum 1191. Quo eodem Anno Translatio B. V. MARIÆ. ex Civitate Nazareth, Tarsactum inter ac Flumen Oppida, in monticulum Adriatico mari iminentem facta est Uti MSS. Vetus haberet. Spondanus &c.) Andreas III- Anno 1292. IV. Kalend. Junij, Regni autem sui II. Fori Zagrabiensis Tributum Integrum, Capitulo donasset, ob Capituli in Regem Legitimum fidelitatem, ubi hæc exprimit: *Quod post obitum exitialem sine hærede, Ladislai Regis quasi ab avitis Laribus & Regali Solio quodammodo peregrinus, & diutius fastiditus, tandem ad Thronum à DEO sublimatus Capitulo petenti* idem Tributum concedat, *& pro anima sua, & Capituli Fidelitate &c.* Qua Donatione, Irritatus Joañes Episcopus, ac quod; *Petro* cuidam Sclavo de Vicolatinorum, certas libertates Andreas concessisset. Indubiè tunc ad hæc diffidia componenda, Andreas Zagrabiæ fuerit, cum tam Petri, quam & Capituli Donatio sub Dato *Zagrabiæ* legatur. Hac profecto Donationis Expeditione nempe *Zagrabiæ* illorum confirmatur sententia, qui volunt devastata superiori Anno

no ab Andrea Rege Austria, Anno hoc 1292. ad Zagrabiam quoque, Cœsum superatumque Caroli Martelli fuisse ab Andrea exercitum. Ac ad fluvium quidam *Medvednicza* ut pons ibi Civitatem Regiam, â Capitulo dividens, *Pontis sanguinei* nomine veniat. Quod nobis tamen videtur incredibile, quomodo duorum Regum exercitus, in tam arcto spatio, pugnare potuisset, hinc nomenclaturam hanc, alteri casui potius tribuendam putaremus, quem infra daturi Cœterum potuit ab utroque appellari, & minor quædam Vellicatio, ac pugna, hac etiam occasione, ad hunc pontem institui. VICTI ab Andrea Rege Caroli, Tomcus ita meminit. *Per ea tempora Carolus, Caroli Claudy Appellati filius Siciliæ Regis, ex Maria Filia Stephani Regis, Belæ IV. filij prognatus, ad Coronam aviticam ab Hungaris evocatus prope Zagrabiam cum Andrea Rege Veneto dicto coactus fuit armis infeliciter decertare.* At CAROLUS iste Anno primum MCCC fuerat à Bonifacio Papa Rex Ungariæ declaratus. Proinde si bellum 1292. fuit Andreæ: non cum filio, sed CAROLO Patre, æque post fata Ladislai declarato Rege, fuerit. Interim Joañe Episcopo Regis præsentiam fugiente, ac demum reduce, & Capitulum ex suspitionibus irritati contra eum Regis persequente. Consilio Magistri *Guthfrid* C Zag. Quo confidentissimè, ac ita usus est, ut ab ore Ejus pendere videretur, *Goganum* quendam, ex suo Magistro Notario, Canonicum & Lectorem Capituli pronunciat, reservato Notariatus Episcopalis officio. Doctiores Canonicos, Beneficio privat, ac ut obedientiores imposterum habeat, consilio præfati Guthfred, Exteros ac plerumque Italos Venetos, hósque Imperitiores substituit.

METUENS autem ab Exulibus Canonicis, sæcularium animi devinciendi erant. Quare Guthfredio Authore, quod Paupertas & Innopia, obedientiores redderet, ac submissiores homines, ad abalienanda Ecclesiæ Bona convertunt animos. Hinc Cives Liberæ Regiæque Civitatis Montis Græcensis Zagrabiensis, partim Præmijs, partim suggestionibus Præjudiciosi, ut dicebant Civitati, ab Andrea, Capitulo Concessi Tributi. In Capituli Canonicos, per Joannem privatos Beneficijs, quin & in Andream Regem concitant. Nova rursus in Andream Conjuratio. Paulo Bano Duce, pro CAROLI partibus declarato. *DEMETRIO* autem *CSAKIJ* ab Andrea misso, âd resistendum Contumacibus. Nec ad Annum 1310 pax reddita, uti in Civili, sive Banorum historia dicturus. Porrò inter tanta, ab hoc Episcopo, Donata, Vendita, hæc invenimus.

Primo Castrum Medwe cum omnibus ejus appertinentijs cuidam GARDINO, prouti & Possessionem Giulinczi, hodie *Chulinczi* in Comitatu Ivanicensi. Castrum Item GARICH Eppale, sub proprio, & Capituli, per manus GOGANI lectoris, Eidem Gardino pro 30 auri puri Marcis, perennaliter vendidit. *2do.* Gvelche, uti superius pag. 23. terrásque ad Vasca abalienavit 1293, nonminus & possessionem Ecclesiæ Zagrabiensis SZENT MARton, cum portu Dravi & omnibus Collectis, redditibus, utilitatibus, Nobilibus Nicolao & Oliverio Filijs Comitis Petri de SZILLE, ac Nicolao Filio Comitis Borch, coram Capitulo Quinque Ecclesiensi celebrata fassione, donat. Comitatum similiter Gersencze filijs Henrici Bani contulit.

Capitulum autem Zagrabiense, cujus Bona & possessiones occupaverat, amotis Doctioribus, & ut supra dictum alijs subrogatis, disposuit, ut litteræ Urbani Eppi Agriensis testarentur, quod in Villis Dedich, Grachan, Kraliovez, Kobilja Zviblie, Narth, Novakovez, Podbresje, Hraschia, Chernomercz, Petrovina se sua sponte privârit, &, jus suum totum in Civitatem Regiam Montis Græcensis Zagrabiensis transtulerit. Hæc juris Cessio, tantarum postea fuit Seminarium litium intra Capitulum, & Civitatem Zagrabiensem. Sæculis plane Continuata, uti suis locis fiet mentio. Terram quoque Deficientis Comitis PERCSENI, Commetaneam terris & metis Capituli, & Pristaldorum VUEL, quam is, Consentiente MERCULLINO Comite Cameræ Regis, Capitulo legaverat. Joannes Episcopus, Cognato suo Herczell Civi Civitatis Regiæ (hinc puto, Joannem è Civium filijs creditum) Statim à morte *Percseni* cuntulit. Similiter, Stephani filij *MLADUSCHEVEZ*, Vilam Menduffevecz, intra Civitatis & Capituli territorium sitam, Quam Stephanus, Andreâ III, VII Idus Martij, Regni V. Anno 1295 confirmante, ea lege Capitulo dederat, ut moriente parvulo filio (qui à morte patris, paucis post diebus obijt) Capitulum succederet. Vivente autem filio, Ipse, jure Prædialistico, à Capitulo conferendam, possideret. Joannes Episcopus, Canonicis quoque consentientibus, eodem jure, perpetuo possidendam tradidit, aliquod ante mortem mensibus.

Ob hæc & Alia, factorum suorum Joannes, & Laudatores, & condemnatores nactus est. Excusant aliqui, ob temporum circumstantias, maximè quod CAROLO ad vota Romanorum Pontificum constanter adhæserit, Et Amicis eguerit. Ab hoc Joanne, pro sui, & suorum defensione, Præsidium *IVANICH*, vel à nomine Episcopi, vel à templo S. Joannis Baptistæ, ædificatum, opera illorum etiam, qui Carolo adhærebant, Scriptores &

U 2 MSS.

MSS. veterum volunt. Quod evadit credibile vel ex eo: quia IVANICHIJ nulla reperiretur ante Joannem hunc, mentio. Necessariam Præsidij hujus fuisse erectionem ex Litteris GARDINO datis, super vendito, UGRINI Prædio *Giulinczi* Cognoscimus. In Quibus hæc recenset Joannes: Quod *Ugrinus Castrum Garich cujus fuerat Castellanus, in manus Inimicorum suorum tradidisset, & de Ipso Castro deprædatores in eodem existentes in toto Episcopatu Zagrabiensi incredibilia, & inæstimabilia damna essent illata. Comitatus Chasmensis Bonis omnibus Intrinsecus & Extrinsecus fuisset Spoliatus, hominibus occisis, qui nos sequebantur detruncatis, & miserabiliter Captivatis radicitus Spoliatus, & Intestabiliter, ac inconsolabiliter destructus.* Ex quibus illorum temporum Calamitates, judicare est. De Spoliata tamen Ecclesia Chasmensi, vel Capitulo, cum nullam faciat mentionem. Postea factum sit. Per Grubessios.

Anno 1295, Die 13 Octobris, Marcellevich nescio Unde? vult XI, Joannes moritur. Ita de illo Joan. Archid. *Joannes ex Præposito Zagrabiensi factus Episcopus, Abalienavit multa, Ecclesiam ad Persecutiones posuit, maximè verò Capitula, nullo sui relicto desiderio obiit 13 Octobris 1295.* Capitulum Chasmense, per Henricum Banum, Georgium & Matheum Grubessa, ex superioribus rationibus fuit Spoliatum, ut in Successore Eppo dicturi, hinc ideo Joan. Archid. scripsit *Maximè verò Capitula.*

Tomcus, Joannis hujus Episcopi ita meminit: Utinam *Antonius, & Joannes unus post alium Successores, optimi Timothei instititissent vestigiis, & non potius paratis dilapidandis, Ipsoque Medvensi Castro beneficio dicam, an verius maleficio suorum Consanguineorum, & animæ propriæ alienando obiissent inglorij. Joannes præsertim, unde inter illum & Cathedrale Capitulum lites ingentes exortæ, in arma & in apertas persecutiones erupère magno detrimento Nobilissimæ Ecclesiæ, nisi Dextera Domini, vitam Ejus Anno Salutis 1295 præcidisset.* Verum qualiter Antonium conjunxerit, assequi non valemus. Nec reperta hactenus ullibi, quæpiam Bonorum Ecclesiæ ab Antonio alienatiô, nec tam exiguo Gesti Episcopatus tempore, fieri potuit. Præterea, quæ supra de Antonio allata sunt, Pastorem *Charitatis* fuisse Loquuntur.

DE JOANNIS Eppi, nec sepulturæ, nec mortis loco, ullam fecit Joan. Archid. mentionem. Hinc vulgus credit, Extra muros Ecclesiæ sepultum, Eique pro Regiminis Symbolo (partim ob indoctiorum amorem, partim ob GUTHSREDIO datas aures) ASININAS AURES in sepulchrali Lapide sculptas fuisse. Fabellam hanc, & Capitulis injuriam, Thomas Kovachevich his enervat argumentis. *1mò.* Canonici fuêre Joannis Amici, quia ab eo promoti. *2dò.* Ob tale factum Pontificis iras incurissent, quod non Legitur. *3tiò.* Nec id ausos fuisse, ob sæculares Joannis Patronos. *4tò.* Demum, ex Civitatis Montis Græcensis Zagrabiensis Anno 1397 data Sigismundo Regi contra Capitulum Instantia, Ubi JOANNIS hujus OSSA & Cineres in Aquam projecta, asseverabant: probare id postea nequeuntes. Ex quo infert Kovachevich: Zagrabiæ ad Majorem Aram, & infra Faldistorium Episcopi sepultum Joannem fuisse. Georgius Marcellevich JOANNI huic posuit: *Felicissimæ Recordationis.* Ritterus ex Joan. Archid. silentio, qui proximus illis fuit temporibus, & post 40 annos ab obitu Joannis, scribens, opinioni vulgi adhæret.

XX.
MICHAEL.

STatim à Morte Antecessoris, Michaël ab Andrea Rege, Archi-Episcopi Colocensis consilio, nè à Romano Pontifice Rex præveniretur, substituitur. Qui, ut Andreæ Fidelis, DUO videtur exequenda suscepisse: primùm fuit, ut Ecclesiæ jura Vindicaret, & sub Antecessore læsa, restitueret. Aliud ut Sclavoniam totam, ad Andreæ Regis obedientiam duceret. Illis qui ad Vota Romanorum Pontificum, favere Carolo pergebant, displicuit Michaëlis Promotio. Quod & is intelligens, non sine Regio exercitu, ad Episcopatum pervenit, Eúmque tenuit. Hinc de Michaele hæc scribit Joan. Archid. *Armis providebat, quantum potuit Ecclesiam suam, postmodum per Provisionem Benedicti XI, Translatus fuit, ad Archi-Eppatum Strigonij. Possedit Comitatum de Gerseneze, & de Garich.*

Primæ Michaëli Curæ, Capitulorum restauratio fuêre. Hinc Eorum in Andream fidelitatem cum in ingressu statim Laudâsset, Guthsredius C. Z. Antecessoris arbiter, profugit. Mandat Capitulis Michaël, ut Joannis Episcopi facta, Actáque sibi sincere præsententur, quæ, re diligenter examinata, Cassat, Annulat omnia, *tanquam hominis, Malevolorum inducti Consiliis.* Lectorem Goganum in jus vocat, Eúmque per Sententiam privat Beneficijs, Quod Sigillo Capituli, abusus fuerit, tótque nomine Capituli expedivisset litteras, de quibus Capitulo nunquam Constitit. Statuens: ne Lector amplius, Capitularis Sigilli, Conservator esse possit, Verùm Capituli votis, alter quispiam è Canonicorum Gremio, ísque

que

que Intelligentior eligatur. Quod ad hæc usque tempora, in more est. Pro Gogano, lectorem fecit *Dominicum*, Virum Idoneum & præclarum, Quem & suum Proto Notarium constituit, sive suorum Expeditorum Caput. Sanxit enim, nec Eppi Donationes fore validas, nisi per Protho Notarium, qui ex Capitulo Communibus eligi votis debebit, expediantur, Et utroque, Episcopi nempe & Capituli Sigillo roborentur. Hoc diu neglectum, credo Franciscum Erghelium, reducere studuisse: dum Donationes Epporum, nullius esse roboris à Ferdinando impetravit, nisi Capituli accesserit consensus. Ad aliorum quoque CANOnicorum (qui nempe à Joanne fuerant substituti) Privationem processit; tum quod Titulum nullum habuissent Beneficij (Prioribus nec resignantibus: nec per Sententiam amotis) cùm & quod exteri, Beneficiorum Lege incapaces, essent. Ac Præterea indigniores. Quid in hoc Processu actum fuerit, non invenimus. Similiter 1296 alios, qui ab Antecessore suo Bona Ecclesiæ obtinuerant evocavit. Sed per Contumaciam convictos, Armis aggressus est, Devictísque Henrici olim Bani filijs, & per Lodomerium Archi Eppum Strigoniensem excommunicatis, quod Templa Spoliarent, Comitatum Gerlencze recepit, ac tenuit. Quo Intellecto Gardinus (qui alicubi Ganninus Legitur) Capitulo molestus esse Cœpit, & Victualia non petere, sed imponere præsumpsit, uti ex Epistolæ Michaëlis Eppi, supra Cap. XI positæ, verbis illis erueretur: *Unde enim Ecclesiam Nostram, sibi vel Cuiquam alteri tributari non velimus* &c. sese cum Civitate Libera Regiaque Montis Græcensis Zagrabiensis conjungendo, præcipuè postquam Castro & Comitatu Garich, æquè per suos Milites Michaël Gardinum privâsset, ut in quadam littera Consensuali, Venditionis intra subditos terræ ad Vugram, juxta Szepniczam in Anno 1297 hoc utatur titulo: *Michaël DEI Gratia Episcopus Zagrabiensis, & Comes de Gerzencze & Garich.* Sed Gardini Insolentias, egregiè Michaël Vindicat, Civitate ad Protectionem Episcopi confugiente. Gardinus concitata plebè, Zagrabiam occupat, Basilicam Thesauro omni Spoliat, Ædes Canonicorum evertit, Substantiam abripit, imo Lectorem Dominicum, Vita privat, quosdam in Castro Medve Captivos habet Canonicos: Alios per Civesin Eorum Vila, quam Bela ipsis dederat detinet. Aberat Michaël, sed re Intellecta extemplò accurrit. Gardinum Cingit, & Medve obsidet. Non recedens, quoad Gardinum Captivum non obtinet, ac Andreæ Regis substernat judicio. Quid Gardino factum sit, nil scimus aliud, ac quod is Andreæ Regi, in sui liberationem Castrum Medve dederit, Quod ANDREAS postea Donavit Torustijs. In Comitatu Garich & Gerzencze, Michaëlem, & Successores Episcopos Confirmando. Anno autem 1299. Michaël Possessionem *Giulinczi* per Sententiam antea jam à GARDINO ablatam, Comiti UGRINO donat, Ubi Gardinum, *hostem & Tyrannum Notorium, DEI & Ecclesiæ Zagrabiensis gravissimum persecutorem*, exprimit, hinc quod: *pro nefandis excessibus* Eundem privare Possessione Giulinczi debuerit. UGRINUM econtra Comitem, ex malevolorum Consilijs ab Episcopo Joanne persecutum, Spoliatum Commemorat, adeoque *ex ratione summæ fidelitatis, tam per ipsum Comitem Ugrinum, quam Parentem ejus Andream, Ecclesiæ Zagrabiensi, & Andreæ Regi præstitæ, etiam cum Jactura suarum facultatum, sub Joanne immediato Prædecessore suo, quod Regi, Capitulo, & Ecclesiæ amicus diceretur* pro grata retributione, Prædictum *Giulinczi* Conferat. Eodem Anno 1296. Georgius Grubessa, Capitulo Chasmensi, coram Conventu Dominicanorum Chasmensium, possessionem suam *MERGERCUGHE* cedit, cessitque *in refusionem damnorum, quando Henrico Bano contra Regem procedenti, cum suo Fratre Matheo adhæsit, & in Chasmam irruit.* Comes quoque Hudina, jus suum quod in Eadem possessione haberet, Cedit Michaëli Eppo, *quod ad paupertatem ex disturbijs redactus, ab eodem Michaële Episcopo benignè susceptus, & alitus fuerit.* Anno autem 1298 ad preces & ob merita Michaelis Eppi Zagrabiensis, Andreas Rex dat Libertates possessioni Triburje.

Hæc dum à Michaele Episcopo, ac Alberto (qui in Chronico Veneto Albertinus Moresinus Legitur, ab Andrea III Dalmatiæ Banus constitutus) Nicolao item Sclavoniæ Bano aguntur, PAULUS BANUS & Comes Breberiensis, Georgius item Comes, ad BONIFACIUM VIII Romanum Pontificem, mittunt nuncios. Regna Dalmatiæ & Croatiæ Ejus esse, à Zvonimiri Regis temporibus, ac Papa Gregorio VII. Hungariæ Item, ob CORONAM D. Stephano missam, ac per eum sedi Apostolicæ oblatum Regnum. Quare nec alium, horum Regnorum Legitimum Regem esse posse, nisi qui à Romano Pontifice inauguretur. Nunciant totius Hungariæ hunc sensum esse, Clero solùm excepto, ac Quibusdam exiguis. Pontifex alijs implicatus (quemadmodum ex Spondano, Ciaconio & alijs videre est) Cardinalem Nicolaum Bocasini de Tarvisio, qui postea Benedictus XI, à quibusdam dictus X, fuerat. Anno 1298 Legatum in Hungariam mittit. *PAULO post* sunt verba CIACONIJ *cum Romam venisset* (intellige Cardinalis Bocasinus) *renunciatus ab Eodem Bonifacio VIII Eppus Ostiensis, ac Veliternus, sedis Apostolicæ Legatus destinatus est, in Poloniam, Dalmatiam, Croatiam, Daniam, Serviam & Hungariam, ac in Gallias. Dum in Hungariam tenderet, Consecravit Ecclesiam Patrum Dominicanorum in honorem S. Augustini Patavij erectam. Cum autem rediret ex Hungarica*

Legatione 25 Millia Florenorum ad Construendum Divi Nicolai templum, apud suos Prædicatores Tarusij reliquit. Eo fine, ut Episcopos Hungariæ, ad vota Romani Pontificis pertrahat, ac ad recipiendum Gregorium abs se nominatum Archi Episcopum Strigoniensem disponat. Videátque de Hungarorum animis, an à Caroli partibus essent. Appulit Bocasinus in Dalmatiam, à Dalmatis & PAULO Bano, acceptus optimè. Zagrabiam quoque ad Michaelem Venit Episcopum, & ab eo Condigne habitus. At ab Andrea Rege divelli nequivit, nec Gregorium pro Strigoniensi Metropolita agnoscere voluit, quoad Hungariæ Clerus, eum pro tali non acceptaverit, objiciens Ecclesiæ suæ Zagrabiensis expertos ab Andrea favores, in Vindicandis Inimicis Ecclesiæ. Author quoque Legato fuerat, ne vivente Andrea, CAROLI, vel mentionem faceret. Bocasinum Comitari renuit, causâ Negotiorum Ecclesiæ. Regi tamen, & Colocensi Archi Eppo omnia per literas aperit. Qui Bocasinum Largis muneribus, & favoribus amplis, ad demonstrandam sedis Apostolicæ reverentiam dimiserunt ad Poloniam. BONIFACIUS VIII, an post, vel ante Legati sui redditum ignoramus: Carolum Hungariæ Regem declarat. De quo ita SPONDANUS: *Eodem Anno* (nempe 1299) *idem Pontifex Carobertum (sic eum contracto ex Carolo Roberto nomine, vulgo vocârunt; quidam etiam Itali NOMbertum, nonnulli Cognomento Strabonem, quem tamen Ipsi Hungari CAROLUM simpliciter dixerunt) Filium CAROLI Martelli Hungariæ Regis ex Clementia Habspurgiâ Filia Rudolphi Impe. Caroli claudi Siciliæ Regis Nepotem, adhuc puerum, ab aliquot Proceribus Hungaris in Regem adversus Andream expetitum Coronari facit, & Patris eo Regno Successorem declaravit. Qui tamen ab alijs non magis receptus quam Pater, vix post decem demum annos rerum potiri potuit.* At Spondani Venia, Hoc nobis ad Annum MCCC. rejiciendum videtur, ex Caroli Diplomatibus, Qui Annos Regni sui, ab Anno 1300 numerabat. Uti ex tantis ab Eo datis Privilegijs videre est Notántque MSS. Nostra, & vel maximè Joan. Archid, apud Ritterum, ex quibus Præmissa omnia, & Quæ sequentur accepimus.

Præmissum Bonifacij VIII. Papæ, factum, novas in Hungaria, & Sclavonia parabat turbas, Clero Universo, ac præcipue Colocensi Archi Episcopo, & Michaele Zagrabiensi Episcopo reprobantibus, ac in Andreæ fidelitate alios continentibus. Ad Andreæ III. obitum, qui Anno MCCCI. III. Kalend. Junij, Aliqui volunt 14. Die Januarij, in Castro Budensi moritur. Scissa vota, dissentientes Procerum Cleríque animi in Electione Regia. Legatus Papæ Bocasinus, ex parte Sedis Apostolicæ, Partes urget Caroli, superiori anno declarati, At hoc ipsum displicebat plurimis, & Clero præ cœteris. Joanne Archi Eppo Colocensi, vel maximè Bocasino Legato Pontificio, resistente, ratum id haberi nullatenus posse, præcipuè in Rege declarando, quod Romanus constitueret Pontifex, cum Regnum hoc *Electivum* esset. Hinc statutum conclammatúmque ab omnibus: *Pontifici jus nec esse, nec fuisse in Reges Hungariæ constituendos.* Quare proposito ipsis ab Archi Eppo Colocensi Venceslao Bohemiæ ac Poloniæ Rege exclamatum à populo, *VIVAT Rex Noster Venceslaus.* Missique ad Venceslaum Nuncij, quos recenset *Thurocius.* Is deprecatus est, sed Filium suum Venceslavum misit Hungaris, à quibus, coronatus & per Joannem Colocensem Archi Eppum, Unctus Albæ Regali est. Irritatus ad ista Pontifex, præcipue ob statutum superius, prouti & Colocensis unctionem; sacris interdicit omnibus, at vicissim Romani Pontificis Legato Cardinali Bocasino, Interdicta Sacra, execratus Pontifex, una cum Præsulibus & Ecclesiasticis, qui Pontifici addicti esse videbantur, quin Aqua & Ignis publico edicto, ipsis interdicta. In summo discrimine *Legatus* Papæ fuerat, ac Michaëlis Episcopi salvatus beneficio, ut summam postea, cum Eodem, *Bocasinus* coluerit amicitiam. Hæc MSS. vetus. De quibus vide sis, Spondanum, Dubravium, Thurozium, Bonfinium &c.

Interea in motibus, ac Civilibus bellis, tota ferè Europa arsit, uti prohibent historiæ. Et Anno 1303. per COLUMNENSES, die VII. Septembris Anagniæ Bonifacius Papa intercipitur; qua occasione *Gregorius Electus* Strigoniensis (ab Hungariæ Clero nunquam agnitus, neque in Diplomatibus insertus, quia à Papa Bonifacio institutus) à filijs Nicolai de Columna occiditur, uti MADIUS ejus ætatis Scriptor Cap III. annotavit BONIFACIUS quoque V. Idus Octobris Romæ moritur. Quibus à Venceslao Intellectis, mortuo quoque circa idem tempus, Colocensi Archi-Episcopo, ad Vota Cleri, Procerúmque Hungariæ MICHAEL Zagrabiensis Episcopus, Metropolita Strigoniensis declaratur, & *Stephanus* Colocensis. Zagrabiensis autem, ideo à Rege declaratus nemo, quod si Roma probare hæc nolet, administratoris munus Strigoniensis Ecclesiæ, *Michaëli* maneret. Significat hæc Boccasino Cardinali Michaël, qui accepta Epistola, jam Romanus Pontifex, in Vigilia SS. Simonis & Judæ, sub nomine Benedicti XI. fuerat coronatus. Ipséque Michaëli respondens, Eum, ac Stephanum Colocensem confirmat, AUGUSTINO Zagrabiensi Episcopo declarato. Michaëli commendans, ut Augustinum hunc pacificè admittendum procuret.

curet. Ac Regis Caroli partes tueatur, cum per Sacræ Sedis sententiam, jus illius propinquius, ac Venceslai foret, nec Venceslaus iste, sed parens Ejus fuerit, se præsente electus. Nec Procerùm, sed Populi nutu, à Colocensi institutus.

MICHAEL Itaque postquam Annis septem, & novem mensibus, Zagrabiensi præfuisset Ecclesiæ, Anno 1303. ad *Strigoniense* Palium translatus est. Neque antea. Quoniam anno 1300. reperitur Michaël Episcopus Zagrabiensis in litteris Jobagionum de Szepnicza. Anno 1301. inveniuntur Litteræ Cambij inter Michaëlem Eppum Zagrabiensem, & Nobilem Georgium, de quibusdam terris *Lypenicza* in Ivanich, & *Podgoria*, in Gore cum earundem metis. Anno 1302. Littera Michaëlis Eppi Zagrab. qualiter Ladislaum Comitem de Vaguth privat quibusdam terris in Comitatu Chasmensi. De quibus testatur Georg. Marcellevich, se easdem inter Ecclesiæ monumenta legisse.

Ritterus autem, se reperisse in Litteris Anni 1297. testatur, Michaelis hunc Titulum: *Michael Comes de Garich, & Gersencze, Episcopus Zagrabiensis & Cancellarius.* In MSS. Annotationum, Comiti Hudinæ scribitur fuisse addictissimus, ut Ejus Filium Paulum, *Paulinum legunt alij*, qui fuit postea Scardonensis Episcopus æducârit. Et cum ijdem Hudinæ Comites antea DRAGOS fuissent vocati, Et Andreas Comes Hudinæ, pro Andreæ Regis fidelitate, ad paupertatem redactus, ac ad preces quoque Michaëlis Eppi, Anno 1299. ab Andrea Rege, Comitatu Tinniniensi donatus, præmiatúsque fuisset in perpetuum, ab Avito Agnomine. & nomine *Andras*, Draskovich appellationem sortiti sunt. De quo, vide infra, in Georgio Draskovich Eppo Zagrabiensi.

Sub Tribus jam Eppis nullam Banorum fecimus mentionem, eo quod Civilibus bellis continuo existentibus, multi sub Banali nomine inveniantur. Nec constet qui pro veris habendi sint. Anno 1280. *Petrus* Banus totius Sclavoniæ de Pukur legitur. Cum Nicolao etiam Sclavoniæ Bano. Anno 1282. *Stephanus* Banus Sclavoniæ, Stephani Comitis Filius. Qui possessionem *Zvinica* à Farkasio Filio Junk Aulæ Suæ Familiari, & multas alias terras, à Nobilibus, generationis Rathk, & alijs circa *Vunam* cœmit ad Annum 1288. Sclavoniæ Banus, Ecclesiam Toplicensem dotavit. Filios habuit Comitem Ladislaum, & Stephanum. Anno 1288. *Radislaus* Frater Dionysij quondam Bani, Comes de Glaäs, Urbaz, & Zana, totius Sclavoniæ Banus. & *Rolandus* Scl. Banus. 1299. *Henricus* Sclavoniæ Banus ex parte CAROLI. Eodem *Demetrius* Sclavoniæ Banus fidelis Andreæ, 1292. *Nicolaus* Banus Sclavoniæ partium Andreæ Regis. Qui Henricum Banum trucidat. Cujus filij Banatum Sclavoniæ nomine Caroli sustinent (Caproncensis Monasteri Fundatores) sub Protectione Pauli Bani Comitis Bribiriensis, Item Georgij Comitis. Anno 1297. *Albertus* DUX Sclavoniæ ab Andrea constitutus, Joannes Banus Sclv. Partium Caroli. 1301. *Stephanus* Banus, Filius Bani Stephani pro Andrea, dein Venceslao. *Joannes ac Henricus* filij Henrici condam Bani studiosi Carolo.

Antequam ad Successorem Michaelis veniamus, oportet ut de cruento illo bello, quod ad fluvium *Czirkvenschak*, aliter *Medvednicza*, statim à Michaelis Eppi translatione anno 1303. iterum actum est, reminiscamur. Cujus Plodius in vita AUGUstini Eppi Zagr. meminit. Michael Armis providebat Ecclesiam, uti superius dictũ. Joañes & Henricus, Henrici olim Bani filij, pro ablato Comitatu Gersencze, constantes fovebant iras, hinc opportunitatẽ nacti, Rusticos, plebémque concitant, ac Subditorum Ecclesiæ animos, à debita fidelitate, promissis præmiorũ, ac metu amovent. Ut ad Mandatum Capituli, vix aliqui subditorum advenerint. *Torusij* quoque qui Arcem Medwe possidebant, inimicis subscripserunt Ecclesiæ, Ipsíque Cives, Magistratu Civitatis excepto, ad Ecclesiæ ruinam conspirabant. Ut cui fidendum, dubium videretur. Quare PANCRAtius Cantor & Vicarius, Clerum totum convocat, Religiosos ipsos, ad Arma sumenda cogit. Magistratus Zagrabiensis Civiumque plurimi, sese Clero conjungunt (tunc enim in Monte & intra Cives, in Vila Popovszka Vulicza habitabant Canonici) Nobilitas Major suppetias Magistratui & Canonicis attulit. Templarij prætextu partium Caroli, tumultuantibus sese conjungunt. Occupatur Zagrabia, & dum ad Civitatem Montis Græcensis tumultuantes festinant, ipsis ad Prædictum obviatur fluvium, fit intra partes conflictus, ab utrinque cæduntur plurimi. Ut pons sanguine totus aspergeretur. Ex quo ponti huic adhæsit nomen, ut hodie etiam, *Pons sanguineus* vocaretur. Fugati dispersíque tumultuantes Et cùm tumultus ipsi, communes effecti fuissent, ut alter alteri obedire nolet, Vigilias ultro, per Religiosos etiam, servari oportuit. Joannes autem & Henricus, superius nominati, deprædatis Ecclesiæ & Episcopi Bonis, opportunitate Hungariæ tumultuum, ad sese de Michaele vindicandos, Archi Episcopalibus etiam in Hungaria Bonis non percunt, Verùm Plebe Prædonibúsque undique collectis 1305. Strigonium vastant, Archivum Strigoniensis Ecclesiæ abripiunt, templa spoliant, Religiosos, Clerúmque trucidant, Virginibus sacris vim inferunt. Et impunè quidem, quod de Rege ipso intra Proceres non conveniret. Uti sequenti Capite dicetur,

CAPUT XIII.

Episcopi, & Gubernatores, uti & Administratores Ecclesiæ & Episcopatus Zagrabiensis, XIV. & XV. Sæculo. idest ab Anno MCCC. ad Annum M. D.

XXI.
S. AUGUSTINUS GAZOTTUS.

EX superioribus apparet, tribus primis Sæculi XIV. Annis, Michaelem Episcopum Zagrabiensem fuisse. Illique à Beato Benedicto XI. Successorem datum AUGUSTINUM Gazottum (à quibusdam CASSOTUS. ac etiam CASSIOthus scribitur) uti hoc Michas MADIUS Coævus Scriptor Cap IV. testatur: *Benedictus XI Romæ eligitur in Papam . . . ordinánsque AUGUstinum de Tragurio, Episcopum Zagrabiæ* &c. Joan. autem Arch. *Augustinus de Tragurio Ordinis Fratrum Prædicatorum vita sanctitate præfulgens, prout suus exitus docet, per Provisionem Benedicti Papæ & licèt temporibus impacatis, tamen utiliter & laudabiliter præfuit Ecclesiæ tempore Caroli Regis Hungariæ.* Qualiter Augustinus à Benedicto Papa, & qua occasione, Zagrabiensi Ecclesiæ datus sit Eppus, superius retulimus. *TOMCUS, Ferarius*, Electionem Ejus duobus probatam DEO, miraculis scribunt, nempe, Sanationis Instantaneæ à Chiragra Benedicti Papæ, dum Eum Augustinus per manus osculum veneraretur: Et Avium pro æsu oblatarum à Pontifice, in pisces mutationis. De quibus præfati Scriptores videndi. Quos nos secuti, Anno 1747 dum Religiosam S. hujus Episcopi vitam, ad excitandam Concivium devotionem vulgari lingua ederemus.

Nominatus à Romano Pontifice Augustinus, Ad Archi Episcopos Strigoniensem Michaelem, & COLOcensem Stephanum, cum eorundem Palio exmittitur, tam cum Pontificijs jussis, quam & sui in Episcopatum stabilitate. Benedictus equidem turbas omnes evitare studebat. Hinc & supra MADIUS, non scripsit, *Instituens*, aut *nominans*, vel *eligens*, Verùm *ORDINANS* ad Præfatos nempe Archi Eppos, & si Hungariæ, ad vota fuerit, *Augustinum Episcopum Zagrabiæ*. Cùm enim Benedictus Legatus Bonifacij Papæ in Hungaria fuisset, sensit quo animo Hungaria fuerit, ob Gregorium à Bonifacio Strigoniensem constitutum, ab Ungaris nunquam recognitum. Quare ne similia iterum eveniant, Augustinum ad Michaelem direxit. Ad quem appellens, nedum sibi amicissimum, conjunctissimúmque reddidit, sed in Partes CAROLI traxit, una cùm Archi Eppo Colocensi, alijsque Hungariæ Episcopis, exceptis tantummodo, Antonio Csanadiensi, & Benedicto Vesprimiensi Episcopis Ex silentio Pontificiorum, de CHIragra Benedicti XI. MIchaelis Archi Eppi Strigoniensis, cum AUGUSTINO conjunctione, & in CAROLUM propensione (quem aversabatur antea) fors miracula illa, in Michaelis Aula, & cum Michaele Archi Eppo facta, dici possent. Sed nec hoc statuimus, documentis veterum carentes, nec Tomcum, aliósque damnamus, cum supponi nequeat, Miracula illa, ab ijs sine fundamento scripta fuisse. Quare ubi miracula illa patrata sint, in dubio relinquimus.

Michael autem Augustinum Anno 1404. Ad sedem suam Zagrabiensem relegat, magnis muneribus cumulatum, tam ut Ecclesiæ prospiceret, ob Filiorum Henrici condam Bani Prædocinia, quam &, ut Magnates, Nobilésque Sclavoniæ, ad Caroli partes commoveat, Quod hoc Anno accidisse perhibet littera, emptæ ab Augustino terræ *Garigsen*, sub Castro Episcopali Garich. Sub Finem Anni hujus *1304*, Civilibus Ardet Hungaria Bellis. Venceslaus Rex Ungariæ, à Venceslao Patre, una cum sacra Regni CORONA in Bohœmiam reducitur, Constituto nomine Venceslai, Petermano Gubernatore. Quo Civibus, Proceribúsque inviso, de novo Rege constituendo fiunt Consilia: Pars major favet CAROLO, Pars OTHONI Bavariæ Principi. Missi ad hunc Internuncij. OTHO jure Venceslai quod habuit, ac sacra Corona ab Eodem Venceslao obtentis, in Hungariam Venit, & à Benedicto Vesprimiensi Episcopo Coronatur. Sed Proceribus, & Clero Othoni infensis; Archi Eppi enim, cum Episcopis alijs, Item *Matheus* Palatinus, *Ladislaus* Vaivoda Transylvaniæ, *PANCRATIUS POUSA* (Legitur etiam Ponsa, Pausa) Sclavoniæ, *Paulus* Dalmatiæ & Croatiæ, Bani ab Othonis Coronatione sese subtraxerunt. Et Carolum in Sclavoniam, & Hungariam evocant OTho suorum Consilio, Regnum peragrat, ut hac ratione subditorum animos devinciat, sed à Ladislao Transylvaniæ Vaivoda captus, in Arcem Conclusus, nec dimissus antea vel aliter, quam restituta Corona, & abdicato Regno. Iterum Othoni fideles, *Venceslaum* per Nuncios revocant, sed illo mortuo paulo post, Scissa optimatum Vota. Hæc Acta fuisse omnia, 1305 quidam volunt. Sed Annis pluribus tanta durâsse dissidia credibilius, & ad Annos subsequos rejicienda crederemus.

Quo-

Quoniam *imo.* Madius testis oculatus, 1308 Pontificis CLEMENTIS V Legatum, in Hungariam missum Fr. Gentilem Cardinalem Spaletum Mense Junio Appulisse, indeque in Hungariam statim profectum, annotavit. Incredibile autem videretur, rem tanti momenti, & à tot Pontificibus quæsitam, Quod Quinque planè Annis, CAROLUS neglexisset: si nempe, ut quidam scribunt, *Venceslai* abitus ad 1305 constituatur. *2dò.* In tantis Regni Calamitatibus, si Caroli adventus, adeo tardatus fuisset, Vota Procerum, aliorúmque Civium *Otho* fuisset consecutus, Proinde Joannis Archid. videtur verosimilior Cronologia, Qui, 1304 sub finem Anni reductum à Patre Venceslaum scripsit. Anno dein *1305*, re agitata & scrutata, ob ablatam Coronam, & Venceslao non reddeunte, de Rege alio eligendo *1306* laboratum, Sed Optimatibus dissentientibus, & re infecta dissolutis, *1307* Otho suorum factione adveniens, & Coronam adferens, à Vesprimensi Eppo Coronatus. Evocatur tunc *Carolus.* Pontifex Othonem sacris interdicit, quin ferit Anathemathe, qui dein 1308, à Ladislao Vaivoda Transylvaniæ Kalendis Novembris Intercipitur. Hæc JOAN. Archid. Cronologia, res has annotantis fusius.

CAROLUM quoque 1308, per partes Maritimas ad Sclavoniam appulisse, circa Junij medium, non solum, JOAN. Archid. annotavit. Sed Litteralia monumenta, & factæ jà CAROLO Gratiæ indubium faciunt. Enimvero *Paulo* Croatarum & Maritimo Bano, BOSNÆ Banatum perpetuum & hæreditarium, Carolus donat. Ad Capituli Zagrabiensis & Augustini Episcopi preces, Privilegium Andreæ Regis super Cassina confirmat. Populum de *Szenkovez* & *Laztech* immunitat, & libertat. Et alijs favoribus, affectus auget singulorum. III Kal. Octobris Fr. Cardinalem GENTILI, in Castris CAROLI Regis adfuisse, ex ijsdem eruitur Litteris, quibus Augustini Episcopi Zagrabiensis *Protestatio* continetur, de non recepta à *Stephano* & *Joanne* BOBONOG Comitibus, pro Castro Medwe pecunia, in quibus hæc Conclusio: *Actum in Ripa savi ad portum Regium III Kalen. Octobris.* Quæ aliáque omnia 1308, à Carolo, partim Zagrabiæ; partim in Castris expedita Leguntur. Intellecta autem Othonis Captivitate, in Hungariam properavit CAROLUS, magnóque suorum affectu susceptus est. At Cardinalis *Gentili*, & Præsentia, & potissimum factis, Promulgatísque Decretis, offendebantur, illi etiam, qui à CAROLO stabant constantissimè. Enimverò Authoritate Pontificia, ac absoluta, agere videbatur Cardinalis, Indicit nec Consulto Palatino Concilium, quod Dietam vocamus, pro CAROLI Coronatione ad Pesthum. Promulgat, quisquis adversus Carolum conjuraret, pœnis tam Ecclesiasticis, quam Civilibus, unà cum filijs, posterísque plectendum. Carolum jam Pontificia Authoritate, ab octo annis Regem esse, Proinde, Illum Decreto suo Confirmaturum. Sub Anathematis pœna, mandat Ladislao Transylvaniæ Vaivodæ, ut constituto tempore Coronam redderet. Secus Profanam habitum iri: esséque Hungaricæ simplicitatis præjudicium, non alium agnoscere Regem, quàm qui hac Corona insigniretur. Hinc aliam CAROLO, à Romana Ecclesia, paris dignitatis in Prioris locum tradendam. Vel ex eo maximè, quod Civilia bella omnia, ex Hungarica, in Coronam S. Stephani, superstitione: hactenus secuta fuerint. Hæc omnia Joan. Archid. Notata reliquit. Meminit quorum *Rainal.* apud *Oldoinum* & *Ciaconium*, in Cardinale Gentili, pag. nobis 329.

Hoc Legati Edicto, studiosissimi quoque Carolo, offensi admodum. Præcipue Palatinus *Matheus*, & Voivoda Transylvaniæ *Ladislaus.* Quare ad Constitutum Coronationis locum, vix aliqui comparuerunt. Quo viso, manifestum erat, & Legato, & CAROLO periculum. Præcipue cum Anathema in Palatinum protulisset. Posonium igitur Clerum 1309 evocat Cardinalis, ibique (vide Peterffium) synodum celebrat. Thomæ Strigoniensis Archi Eppi, in his componendis rebus, studium & virtus eximia eluxit. Ad LADISLAUM Ipse, in Transylvaniam profectus, eum placavit primò, & ad reddendam sacram Coronam disposuit. Cardinalis edictum, ut revocaretur per aliud, procuravit. Multúmque Laboris perpessus est, ut Irritatos Civium placaret animos. Palatinus Commitia pro 1310 indixerat quidem, at Legatum Pontificis, Regno excedere debere, prætendebat, Quod 1301 Lege Statutum haberetur: *Pontifici jus nullum in Reges Hungariæ esse.* Difficilis hæc accidit, CAROLO, Cardinali, totíque Clero propositio, nec inveni, quomodo Composita, cùm Constitutiones illas, quas 1310 Posonij XI Kal. Junij Gentili edidit (in Biblioth. Valicellana, eas servari Rainal. apud Lucium perhibet) non Legerimus. Legatum tamen Coronationi CAROLI Regis 1310 Interfuisse ex ijs credimus, quæ idem Rainal. scriberet: *quod nolebant* (nempe UNGARI) *nec erat aliquatenus Intentionis eorum, quod Ecclesia Romana, vel Ipse D. Legatus Ejus nomine, de Rege ullatenus provideret, sed Placebat eis, quod illum, quem ipsi ex antiquo, & approbato Ejusdem Regni more vocârant, & in Regem assumpserant, Præfatus D. Legatus, Ejusdem Ecclesiæ Romanæ nomine, in verum Regem Hungariæ Confirmaret.* Palatinus *Matheus* abfuit. Et gravius exacerbatus, Archi Eppi Strigoniensis, Quem *Fabrum rei*, esse dicebat; Bona vastat, diruit. Quin in Ipsum Carolum arma Convertit, at 1312, à CAROLO victus.

Qui, Præsente Ladislao Vaivoda, Coronam sacram reddente 1310, fuerat Coronatus, Regnavit, *Authoritate per Annos plures nutante & imbecilla* ut observat Lucius

His temporibus, annotante Joan. Archid. jus Conferendorum à Rege Beneficiorum, fuit Regi 1310, & post Posoniensem synodum, iterum cessum, solum *ut Episcopi à Papa Confirmarentur.* Pluráque alia. *Missa* de B. V. MARIA approbata. ORDO S. Pauli Primi Eremitæ, jam 1215 ab Eusebio Strigoniensi Canonico institutus, stabilitus Confirmatúsque. Ritus & Cœremoniæ Hungaricarum Ecclesiarum ratihabitæ. Privilegia Confirmata. Ratione Castri Medwe 1309, ab Eppis, Pontifici Clementi scriptum. Quas Litteras supra Cap. XI. retulimus.

QUOD his diutius immorati simus, eruditus Spes est, Lector indulgebit. Neque prorsus, ab Historia Ecclesiastica, hæc aliena esse arbitrabamur, quin ad S. Augustini, bene Cognoscenda, quæ de eo à diversis scribuntur, necesseriò præmittenda, Credebamus. Igitur.

Tragurio Civitate Dalmatiæ, Nobilibus Parentibus ortus fuerat Augustinus. Ordinis Prædicatorum Alumnus, tanta virtute imitabat Dominicum, ut Passim DOMINICUS vocatus perhibeatur. S. Thomæ Aquinatis scribitur fuisse Discipulus, & Doctori Angelico ob excellens studium, singularésque Virtutes Charus. Emmensis studijs, ad Gubernium positus, optimi Pastoris officium implevit. BOSNIÆ Apostolus Annis pluribus, indéque à Bonifacio VIII evocatus, munus Concionatoris Apostolici exercuit, Et à Benedicto XI Zagrabiensis Ordinatus Episcopus, Anno 1304 Gubernandum suscepit. Omniáque *Pastoris Boni* implevit officia. Cleri Componendi, & ad sacrorum Canonum Normam reducendi Studiosissimus, in vicem Armorum, quæ tractare consueverant, *Breviarium*, Cantum, Laudésque Divinas docuit. Quem in finem: Patres Prædicatores vocavit Chasma, ipsísque Monasterium aliud Zagrabiæ, prope Episcopium fundat, ad S. Nicolaum. Qui dein sub Mathia I Rege ad Civitatem Regiam translati, ubi hodie Collegium PP. Societatis JESU est, uti Parte III probabitur, Domicilium habuerunt. Ab his in Psalmis: Cantu, alijsque Cœremonijs Clerum institui, & doceri voluit. 1307 Synodum habuit, Ubi Regulam, id est Statuta pro Capitulis Condita, Festa Ordinata, Et sub Excommunicationis pœna, ne Nova in Ecclesiam Zagrabiensem inducerentur, Testante *Breviari Zagrabiensi* Vocato, quod tunc Acceptum, ad hæc observatur tempora, una cum Missarum orationibus, sive *Missali*, Statutum est. Ordo quoque Canonicorum Decretus, Præpositus, Lector, Cantor, Præpositus Chasmensis, alijs antepositi. Archidiaconi suo Ordine, Custos, & Canonici *Magistri Appellati*, juxta institutionis seriem. De Cujusvis actum constitutúmque officio. Quæ sequenti Anno 1308 per Cardinalem Legatum *Gentili*, roborata sunt.

Charitate in omnes magna fuerat, quam potissimum exemplo, & concionibus commendabat, Dissidentes conciliando, ut exstet compositionis memoria, intra Stephanum Banum, Joannem & Radoslavum Comites, ratione Szamobor, & Sztenichniak. Item intra quendam *Cherne* & Fr. *HULmanum Abbatem S. Jacobi* prope Zagrabiam, pluráque indubiè temporibus illis alia, quæ ad nos non pervenêre, Sed & implevit illud *Irascimini & nolite peccare*, dum in reos animadvertit. Marcum Torustium privavit Beneficijs, ob calumniam Capitulo impactam, quod Capituli Consilijs, Fratres sui in arce Medwe, à Rusticis interempti fuerint. Propter infidelitatem possessionem quandam in *Urbaz* à Comitibus *LADIHA* per sententiam aufert, eámque in Prædium Petro Cantori Vicario suo contulit. 1312. Stephanum Banum, ut Castrum Medwe, titulo Castellanatus Episcopi & Capituli Donatione, Eodem Anno 1312. assumeret, disposuit. Super Ternava prope Ecclesiam B. V. Mariæ de Oporovch, quam Petrus Cantor, & Nicolaus Canonici Zagrabienses nomine Episcopi, à Joanne & Nicolao filijs *Gerardi* olim *Medici* emerant, Regias Litteras, sub Dato Budæ in Vigilia Omnium Sanctorum à Carolo 1313. impetrat. Possessiones Blagussa, Podgorja, condam Impignoratas, pro Ecclesia reluit. Capituli quoque Bona, à Petro Neprett coram Stephano Bano *de Dato Selin* 31. Decembris 1315. vindicat, æque à filijs Meneslai *Miren*. Prædium quodam prope Szavam Capitulo per sententiam Ejusdem Bani obtinet. Basilicam reparat, & præteritis tumultibus, sacra spoliatam suppelectile, ornat, instruit, Sacris Religijs providet, de Quibus parte II. uberius. Anno 1310. à *Vincentio* Metropolita Colocensi, Pontificiū Breve, Inquisitionis contra Templarios peragendæ, accipit. Quam per Petrum Vicarium suum, & Jacobum Præpositum absolvit, Augustino causa Coronationis Caroli in Hungaria existente. An ad VIEnnense in Galijs Concilium, Augustinus, ex parte Hungariæ iverit, non comperimus. Inquisitionis contra Templarios Puncta, illa sunt, quæ Spondanus exhibet. Examen, & Templariorum, in hoc Sclavoniæ Regno confessiones, non invenimus.

DUObus AUGUstini Episcopi à DEO testatam pietatem miraculis, Vitæ Ejus Scriptores comemorant. Primum, ob siccitatem Anni, & Zagrabiensis Basilicæ Opus, fontem perennem,

nem, supplicatione indicta, Eum à DEO Impetrasse. Qui fons ille est, qui infra Episcopi Arcem defluit. Eum nunquam deficere, observatur, estque observatum, Aquam illam curandis Febribus Medicinam fuisse, Devotione Populi, habitam, Tomcus, & Ferrarius scribunt. Quin sine eo, ad Exteras portatam Provincias. D. quoque Augustini Statuam, multis ibidem fuisse Annis, quæ tamen, nullis amplius extantibus vestigijs corruerit jam dudum. Hanc iterum ponere, *Franciscus KLOBUSICZKY* 1751. constituerat, sed ad Colocensem, translatus Anno Eodem, remansit. Aliud miraculum CZERNEKINI accidisse scribunt. Ad Sacellum D. LEONARDO Sacrum, ubi Augustinus Aquam fontis, & Tiliam Benedicens, curandis Languoribus præbuit medicinam. Viguit ibidem populorum devotio, ut Mahometanis ipsis, dum eorum potestati subderetur locus, sacer sit habitus. Cum hac Tilia Augustinus, à Pictoribus consuevit exhiberi. De his alijsque Religiosæ Augustini vitæ actis: Ferrarium, Tomcum Lector Consule, quos nos ipsi in libello Vitæ Augustini 1747. secuti, alia quoque miraculorum Ejus, præcipue post mortem retulimus. Quæ Patriæ Cives, hìc, Legendo repetere poterunt.

Anno tandem 1317 ad Bononiense Concilium à Joanne XXII. indictum, postea Ravennatense IV. appellatum, Augustinus ex Hungariæ Clero fuerat ordinatus. Quo eodem anno, *Datum in Dombro in Festo S. Stephani Papæ & Martyris* dedisse legitur facultatem *Joachino* ac *Eliæ* filijs *PECK* vendendæ cujusdam terræ, Ivanno Fratri Ipsorum uterino Prædialium de Dombro, *debitis* ut ait *Dacijs*, *Collectis servitijs universis Episcopo & Successoribus plene in eadem possessione reservatis*. Nicolaum Parochum Krapinensem, Decimas Capituli occupantem. *Zagrabiæ in Octava SS. Petri & Pauli* 1311 Augustinus, judicâsse invenitur, ex Datis super eo Litteris, & Decimas Capitulo restituisse, Anno demum 1318. non solum anteriora Regum Diplomata à Carolo Rege confirmari expostulat, sed & nova impetrat, uti superius Cap. VIII. ex producto Caroli pateret Privilegio. Privilegium quoque Belæ Regis de Anno 1134. supra Dombram, Idem confirmavit, & Eodem Anno CAROLUS. Reliqua Augustini, & ex superius recensitis, & parte II. dicendis, maxime vero Quæstionibus paulo post dirimendis, cognoscentur. Interea

Banorum his temporibus seriem Quæstio 2dà, continet. Canonicorum autem Zagrabiensis Capituli, hanc sub Augustino eruimus, ex diversis litteris, & MSS. memo iam, & nomina *Jacobus* Præpositus. *Dominicus* Lector, *Pancratius*, Item *Petrus* Cantor. *Petrus* Præpos. Chasmen. *Georgius* Cathedralis, qui Augustinum 1316. super marca Argenti, à Sepultura occisi, ab homicida: Archidiacono, secundum Leges cedente (quam antea Cameræ Regis persolvebant) consulens, tale ab Augustino Episcopo, Festo Inventionis S Crucis recepit responsum: *Si speratur solutio pœnalis ab homicida, sive per modum judicij, sive per modum Compositionis obtinenda, potest tunc Archi Diaconus antequam sepeliat, exigere Fidejussores, aut pignus, ut mulcta persoluta portio ejus absque difficultate solvatur; Si verò non speratur, quia homicida vel Profugus. vel incertus, vel nimis potens est, hoc exigi non possit, si tamen post mulcta exolvatur, portionem suam exigere poterit, si vero homicida profugus Bona sua relinquet, ex ijs Archidiaconus suam partem exigat:* Qui usus dehinc, per Art. II. Ludovici Regis sublatus est. *DIOnysius* Canonicus Zagr. de Mlaka, possessionem *Petrovch* sub Castro Medve, Donavit Capitulo, consentiente Rege Carolo Anno 1320. *Joannes Stephanus*, Decanus, Item *Georgius* Decanus *Nicolaus* Augustini Episcopi Notarius, Canonici Zagrabienses sub Eodem fuisse inveniuntur.

Augustini Episcopi temporibus, præter superius relata, quæ rerum in *Dalmatia* fuerit facies, Ex Lucio, Micha Madio, alijsque videndum. Extincti Templarij per Concilij Viennensis, sub Clemente V. sententiam, haud ut vulgus credit, per singulorum omniumque mortem, Verùm *Spondano* referente: *Quod verò ad Personas Templariorum attinet, Decretum est in Synodo, Notabiliores ordinationi speciali, Romani Pontificis reservari, cæteros Synodis Provincialibus ita Commiti, ut sontibus, qui judicium detractâssent pro ratione criminum supplicia irrogarentur Insontes aut qui leviter deliquissent, vel ultra confessi verè attriti apparerent, detracto habitu in ijsdem Domibus, in quibus Professi fuissent, vel etiam in alijs Religionibus, à Sede Apostolica approbatis, quas ipsi eligerent, de Bonis quæ fuerant Templariorum, usque ad finem vitæ alerentur, prohibitis omnibus ad seculum reverti.* Et cum Templariorum in Sclavonia, Loca fuerint plurima, uti Zagrabiæ ad S. Joannem, Busakovina, Glogoncza &c. de quibus Parte III. *Augustino* Magnæ fuère, cum Templarijs Curæ, Habitaque 1314. eatenus Synodus, In qua? quid actum Joan. Archid. non expressit. Zagrabiæ ad S. Joannem, locum illis assignatum fuisse, ut sub Episcopi, & Banorum cura essent, annotavit, Curam Bonorum habuere Episcopi, quod Joanni Bano Bobonog, Ejusque postea filijs displicuit, & ut videbimus, paravit exitium, hinc Augustinus, Rationem Administrationis palam ex pulpito, reddere fuit solitus. Jam ad Quæstiones Respondendum.

Qs. 1mò. Unde fuerat oriundus? cùm Hungarus fuisse scribatur à LEANDRO Alberto L. *de Viris Jllustribus* Tægio p.1. C. 6. Hieronymo Borsello Lib. de *General. Ordin* Lusignano ad annum 1300. Resp. Traguriô Civitate Dalmatiæ, ex Nobili Gazottiorum familia ortum fuisse Augustinum, Michas Madius Scriptor coævus, Joannes XXII. dictus etiam XXI. in Ejus Officio, Alphonsus Fernandecz, Dominicus Gravina, Lucius, alijque testantur. Quibus plus deferendum, quam Exteris illis, qui Augustinum, sive ab Ecclesia sub Sacra Regni Hungariæ Corona existente; sive à Patria Hungariam tunc venerante, Hungarum appellârunt.

Nec desunt, Qui *Zagrabiensem* fuisse scribant, At nisi Episcopatum pro Patria accipiant, causam ignoramus sententiæ. Quia verò in PP. Prædicatorum Societate, floruit circa 1450. Fr. *Augustinus de Zagrabia* Reformandi Ordinis studiosissimus, ac Legationibus pluribus functus, uti testaretur *Ferrarius*, facilè, Patria hujus, Augustino Episcopo attributa, ac unus idemque habitus.

Qs. 2do. Quæ Ei cum Mladino Bano fuêre diffidia? & num à Mladino fuerit carceri mancipatus, ut propterea maledicens Patriæ, in Apuliam transierit? Resp. Discussis seriò, examinatísque monumentis, & Coævorum Autorum scriptis, Res hæc, fundamentis carens, omnino reijcienda. Quoniam Sclavoniæ Banatum Mladinus nunquam tenuit. Enim vero 1304. *Ponsa* Sclavoniæ Banus, 1308. *Henricus*, Henrici olim Bani filius, 1312. *Stephanus*, Stephani Bani filius, qui Aram SSmæ Crucis in Ecclesia Toplicensi, Patrem imitatus, erexit illâ terra Zvinicza dotando. 1316. *Joañes* totius Sclavoniæ Banus (de quo inferius) inveniuntur. Proinde *Mladinus*, cùm nec Sclavoniæ Banus fuerit, cum Augustino, Zagrabiæ saltem, nullas fovit inimicitias. *Madius*, Mladini Insolentias, superbias, aliáque describens, illiusque Captivitatem 1322. secutam referens, de Augustino (cujus tamen, Promotionem, Translationem, mortem commemoraret) Et Ejus persecutionibus tacet altissimè. Cœterùm Mladinus, Patri 1310. e vivis decedenti, succedens. *Dalmatiæ*, *Croatiæ*, *Bosniæ Banatum* gessit, Qua Insolentia? *Lucius*, *Michas Madius*, consulendi. Cúmque ob Mladini arrogantiam, Tragurienses, & Spalatenses se Venetis subdidissent, Injurias à Mladino non aliàs Augustinus accepit, quam quæ, à sanguine junctis, & Concivibus Traguriensibus, persecutis, in eum proficisci, & per suos, derivari potuissent. Facilè ex suspitionibus, quærellarum, & accusationibus ad Regem Carolum, Mladinus Augustinum execratus sit. Et Captivum si tenuit, non Zagrabiæ, at Tragurij 1319. Quo Anno Augustinus ad Dalmatiam, dein Papam Joannem XXII. fuerat, Cleri totius Hungariæ voto, ablegatus, & Anno 1318 ad hoc munus electus. Causa Legationis ad Tragurienses & Dalmatiam fuit, ut in debita Carolo fide firmarentur. *Ad Pontificem*, ut Venetos coarceret, prohiberetque ab aditu Dalmatiæ. Sed Nemo, hac etiam occasione, Augustinum mancipatum fuisse carceri scripsit. Quare cum *Scardona* Episcopum, *PAUlinum Draskovich* Mladinus persecutus fuerit, Captum in carcere habuerit, ob interdicta eidem Sacra, ac postea demùm, 1328. videlicet, per suos, qui Mladini captivitatem vindicatum ibant, manu filij Marci de Breberio gladio mori procuraverit, facilè quod *Paulini* est, *Augustino* tributum. MALEdictio quoque illa: *Ingrata Patria nunquam videbis ossa mea* si Augustini est, de Zagrabia intelligi nequit; hæc enim Patria Augustini non fuit, neque Legimus, ullas Augustino hic fuisse discordias. Benè vero, à Traguriensibus Concivibus suis, quos Mladino juratos, dum Romam iret, repererat, rejectum, nec auditum fuisse.

QS 3tio Quoties Synodum Celebrârit? & num exstent Decreta? Anvé illa ad Synodum, Genuina Augustini Oratio, Quam *Tomcus*, *Ferrarius*, & ex his *Peterffius* refferunt? Respon. Tres Augustinum Synodus celebrâsse Comperio 1307, Cujus Acta 1308 per Cardinalem *Gentili* Confirmata. 1314, & sub Anni Principium 1318. Quorum Acta, non secus eruimus, quam ex Zagrabiensis BREVIARIJ Rubricis, & Libro Statutorum Capituli, Anno 1334 conscripto, jussu Ladislai Episcopi. Ex quibus Augustini Zelus apparet. Hinc quod Annis singulis celebrâsset Synodus, *Synodicis Constitutionibus* (verba sunt TOMCI de Augustino) *quolibet Anno institutam disciplinam roborando* &c. videtur incredibile, præcipue temporibus adeo perturbatis. Frequentius quoque, abesse debuit. Uti credimus CAROLUM Regem Comitatum fuisse in Hungariam 1308, & ibidem ad Coronationem mansisse, tum quod 1309 Synodo Nationali adfuerit, & 1310 Regiæ Coronationi, dicta ut prætenditur, ibidem pro Carolo Oratione. Cùm &, quod Triennio hoc, in nulla Littera Augustini reperiatur memoria: quas is dedisset. Post Annum autem 1310 plures. Anno 1313 Absentem fuisse Episcopum, Contractus intra Capitulum & Stephanum Banum, in Actis Medwevar supra Cap. XI. pôsitus, per verba illa *DUMMODO Domini Nostri Augustini DEI Gratia Episcopi Zagrabiensis, interveniat consensu* &c. innuit. *Orationem* Utramque tam nempe ad Synodum habitam, Quam & pro Carolo Rege dictam opus Augustini esse, affirmare non possumus,

sumus, Antiquorum testimonijs Carentes. Sed tamen, si Oratio ad Synodum, Opus Augustini non est, ex Libro Statutorum Capituli Conflata videtur. *De alia*, pro Carolo dicta, cum Rainal. nullam faciat mentionem, Credimus facilè, ex Insinuatis supra Circumstantijs, si non dictam, adminus scriptam fuisse. Et *ex re quam Continet*, Antiqua & sæculorum illorum apparet, *ex Verbis*, non immerito recentior videretur. Utramque infra Lectori, cum alijs exhibituri. Joannes Tomcus, qui Augustini Sermones edidit, præmittit: *ita allocutus fertur.*

QS 4to Num Præbendariorum fuerit Institutor. Hoc quoque Augustino quidam attribuunt. At ex testimonijs superius in *Antonio* Episcopo productis, apparet Ecclesiæ Zagrabiensis Præbendarios, Antiquiores fuisse. Hinc Institutio Eorum Augustini temporibus, haud secus tribuenda, quam si tot Disturbiorum temporibus, præcipue sub *Joanne* & *Michaele*, Ecclesiâ Spoliata, & Combusta (uti appareret ex Processu quodam Anni 1346 coram *Laurentio Tavernico*, intra Capitulum & Civitatem Celebrato. Annotante Georg. Marcellevich) existente, Ijdem desijssent, Ab Augustino restituti. CHASMÆ tamen ab Augustino Sancto, Præbendarios fuisse constitutos, & fundatos Parte III demonstrabimus. Et infra in EBERHARDO.

QS 5to. Quæ Causa Translationis AUGUSTINI fuerat? Resp. Plures hac in re Leguntur Sententiæ. Prima & Verosimilior, Quòd dum Romam, & fors etiam ad Robertum Apuliæ Regem, Appulisset Augustinus, 1319. Causâ convertendorum Saracenorum, aliorúmque hæreticorum, Roberto Postulante, CAROLO Annuente, & Joanne XXII confirmante translatus sit, Nec reddierit amplius. *Alia Ritteri* in MSS suis, Ob defensa videlicet, Vindicatáque Ecclesiæ jura, Templariorum item Curam, *Joanni* Bano, eotum Gratia apud CAROLUM polenti, invisus fuerit. Quin & CAROLUS, alieno ab Augustino animo. Quo ut liberaretur, scribit Roberto, ut Augustino in Apulia provideret. Fulcit opinionem hanc, ex Michæ Madij Cap. 26 verbis: *Item supradictis Annis Augustinus olim Zagrabiensis Episcopus, qui fuit per D. Joannem Papam à dicto Episcopatu REMOTUS ad Petitionem Regis Ungariæ, & Collocatus in Ecclesia Nucera in Apulia in Episcopis ad Instantiam D. Regis Roberti Appuliæ* monetque verba illâ *REMOTUS . . . Ad Petitionem Regis Ungariæ* Consideranda esse. Cui opinioni assentiri videtur Author *Ungaricæ sanctitatis Indicia* dum scriberet: *Factiosorum hominum æmulationes declinaturus Italiam repetijt.* Sed Assentiri non valemus. Quis Credat? fieri potuisse, ut tam amplum Augustino, Ejúsque Ecclesiæ attribuat CAROLUS privilegium, supra Cap. VIII pag. 47., à Lectore Considerandum, si Augustinus CAROLO gravis; si Carolus Augustino privari ambivisset. Ubi tamen, paulo ante Augustini abitum, Privilegium illud datum est. Dein scripsit nemo, Augustinum Episcopatu privatum fuisse, Quod *REMOTUS* in rigore, innueret. Quare MADIJ sensum hunc esse credimus: Quod postquam postulâsset Robertus *AD INSTANTIAM*, consensit Carolus, & Ægrius quidem *AD PETITIONEM*, Joannes tandem Papa Augustinum *removit*, id est transtulit. *Tertia Opinio*, Augustinum pro quiete sua, suæque Patriæ securitate, nec non ad vitanda Zagrabiensis Ecclesiæ incommoda, quæ futura metuebat, per PP. Ordinis sui procurâsse hanc sui translationem. Sed hæc, sine fundamento asseruntur. Quare Prima Verosimilior Sententia, & *Lectionibus Breviarij* sortiri majorem meretur fidem.

QS 6to. Quo Translatus fuerit? Resp. LUCERAM, quæ postea S. MARIA dicta est. NUCERAM Campaniæ Civitatem, Viri alias omnino Celebres translatum fuisse scribunt. Sed si Duo Augustini Ecclesiæ Zagrabiensis Episcopi non fuerunt (de quo, in Successore Eppo fiet mentio), quorum *Luceram* alter: alter *Nuceram* translatus fit, facilè pro *L. N.* acceptum est, & pro LUCERA, NUCERA habita. *Spondanus* Luceram à Nucera non distinguit. Quod si ita; Quæstio est *Nominis*.

QS. 7mò. Quando Mortuus? Resp. Variant Scriptores iterum, *MADIUS Anno* 1329 mortuum scribit, Superioribus subjungens, *Et sic obijt ad Christum de 1329, Cujus Corpus multa Miracula ostendit, super ijs, qui cum devotione ad ipsum accedunt. Hic fuit oriundus de Dalmatia de Civitate Tragurio, & fuit Fr. Prædicatorum Ordinis S. Dominici humilis.* Alij 1332 Eum obijsse scripserunt. *Joannis* tamen *Tomcei* firmior est Sententia, Augustinum 1223 ætatis suæ 72 *Ad* Cœlestia transivisse. Fatetur Equidem sibi NEAPOLI *Anno* 1623 submissas fuisse litteras, CAROLI Calabriæ Principis, quibus ob miraculorum frequentiam Augustini Beatificationem exorat . . . scriptas *Neapoli 20 Octobris 1323.* Et à Joanne XXII Officium de Augustino approbatum fuisse, illúmque Beatum declaratum, Tertio à morte Augustini Anno, Veteres Commemorant. Proinde cum Joannes Papa 1334, Die 4tà Decembris, obijsse scribatur, Typi errore Nrus 3. Nro 2. antepositus, & 1332 Annus scriptus, cum 1323 scribi debuisset. Litteras autem Caroli Principis MADIO præferrimus, cum ad hunc tardius fors, nuncius mortis Augustini pervenerit. Ex quibus Lapsi Scriptores illi, qui 1328 volunt Augustinum hunc, Zagrabiensem fuisse Episcopum (uti ex successoribus evadet Certius) eúmque

Cum Ladislao Archi Eppo Colocensi, ex parte Hungariæ, Lugdunum, missum fuisse ad Pontificem. Sed nec Lucerinam Annis 14 Regere potuit Ecclesiam.

LADISLAI quoque, Episcopi ad Capitulum datæ litteræ Anno 1329 Kal. Januar. Augustinum 1323 mortuum fuisse confirmant, cum dicatur *VENERABILIS*. . Item *S. MEMORIÆ*. Quæ, AUGUSTINUM Ante 1329, in Domino quievisse innuunt. Monumenta quoque Zagrabiensis Ecclesiæ, testante Geor. Marcellevich. exhibent. *1323, Die III Augusti obijt Augustinus Episcopus Zagrabiensis, qui Translatus fuit per Joannem XXII. ad Ecclesiam B. V. MARIÆ in Luceriam.*

QS 8vò. An Canonizatus sit? Resp. Nobis aliud non innotuit, ac pro more sæculorum illorum, ex Miraculorum frequentia, Voce Ecclesiæ, Sanctum habitum. Joannes XXII Ejus probâsse officium, ac Beatum pronunciasse scribitur, CLEMENS quoque XI, ad Plures Ecclesias Ejus extendisse *Officium* commemoratur. Pro Ejus habendo S. Corpore *Paulus de Paulis* hæc scribit: *Tunc etiam transmissa fuerunt* nempe Anno 1387. *Duæ Barcha armata à Tragurien. causa quærendi & Capiendi S. Casottum d. q. S. Augustini . . . & in eodem Brigentino ivit personaliter Donatus Diaconus, alter filius* (id est Cognatus) *S. Augustini cum Certis amicis eorum.* Quod se Regi significâsse Paulus narrat. Dum autem notaret, *Cras 28 dicti mensis* nempe Decembris, *incisum fuit Caput S. Aug. de Casottis* &c. S. nôn *Sanctum* Augustinum significat, Verùm *Senatorem*, uti ex contextu, videre est. Dum & alios recenset.

QS 9nò. An quæ S. Hujus Augustini in Zagrabiensi Ecclesia memoria, Cultus? Resp. Perennis, præcipue in Capitulo, ob ædita *Statuta*, *Officia*, ad hæc usque tempora, in Choro, Missis servari solita, Augustini memoria est. Dignúmque, ut pars II & III confirmabit. CULTUS olim fuit, Magnáque Devotio, ut testatur Levakovich. Profecto Ladislaus Eppus, Ejusdem 1327 Successor, Universas Augustini Constitutiones, firmavit, observarique voluit, nec in suis aliter Litteris, Ejus facit mentionem, quam *Venerabilis*, *Sanctæ memoriæ*, *Magnus Episcopus*, *Vir Sanctus*, taliáque. Quod & Successores fecerunt, Præcipue, *Nicolaus Eberhardus*, *Osvaldus Lucas*, &c. Post Dominicanorum tamen Patrum, Zagrabiâ abitum, Ejus apud exiguos fuit memoria. Joannes Tomcus Mernavichius, Canonicus, Cathedralis, Lector, ac Demum Bosnensis Episcopus, Vitæ Augustini, editione, Multos Augustino devotos procuravit. Martinus *Braikovich* Episcopus Zagrabiensis, Ejus in Diœcesim totam, Die 3 Augusti induxit Officium, Anno tandem 1747, STEHANUS PUTZ, Abbas S. Spiritus de Hrapko, Custos & Canonicus Ecclesiæ Zagrabiensis, *modo verò* Ejusdem Ecclesiæ Capituli *Lector* Episcopus Belgradiensis, sive Samandriensis, & Tabulæ Banalis Prælatus ac Assessor, pro sua in S. Augustinum devotione, ut vitam S. Episcopi vulgari Lingua ederemus, Svasor, Author, & Typi Patronus fuerat. Dicta Eodem Anno, de S. Augustino Panegyris, Statua marmorea, & elegans quidem, ad *Aram S. Georgij* collocata, Ipsaque *ARA*, DEO, sub Ss. Augustini & Georgij, sacrata Patrocinio. Imagines binæ, Viennæ Austriæ alia; alia Neapoli, à celebrioribus Pictoribus procuratæ. Quarum prior, ad *Interiorem sacristiam*, Neapolitana perelegans ad Aram, B. V. MARIÆ, cujus cultu ardebat Augustinus, & quotidianas de Virgine Missas confirmari procuravit, positæ. Tandem ut major haberetur memoria, 1749 Viennæ Augustini, *Caleographo Miller*, exhibitæ Imagines. Demum 1750 Illmus D. Comes Antonius Klobusiczkij de Zetthénij, supemus Comes Comitatus Zempliniensis, & suæ Mattis Sacrmæ Camerarius, cum sua conjuge Theresia SZAPARIJ, Biskupiczij ad Varasdinum, cum Parochialis Ecclesiæ illius, benefactores Magni essent, inter reliqua elegantem Aram, veréque Nobilem S. Augustino Zagrabiensi Episcopo pro sua in eum devotione posuerunt, Aliam S. Antonio Paduano erigentes. Plura nobis de S. hoc Episcopo scribenda forent, sed de Religiosa Ejus vita, Miraculis, cum plures hactenus scripserint, Lectores eò relegamus. Concives autem Nostri, frui possunt, quam 1747 dedimus, Notitia Vitæ Augustini. Quare Ejus implorando apud DEUM Patrocinium, Nos, Ecclesiámque eidem Commendando. Sit.

I.
SERMO
S. Augustini Gazotti Episcopi Zagrabiensis in Synodo Diœcesana, ab illo ut exponitur habitus.

QUoniam fratres charissimi, divina adjuvante gratia, nequaquam ad eos est mihi sermo, quorum viæ *tenebra & lubricum*, ut divinus occinit psaltes, sed cœlesti favore, & & Spiritû Sancto assistente, vos alloquor; qui tanquam stellæ perpetuæ æternitatis, inter procellas turbatissimi maris hujus vitæ prælucetis, ut luce vestra nulla ecclipsi tenebrarum offus-

offusa, naufrago peccatori ad portum salutis iter ostendatis, dum ex hodierno Evangelio nobis omnibus Christi Sacerdotibus insinuantur illa verba: *Vos estis lux mundi & luceat lux vestra coram hominibus*: expedit, ut breviter inquiramus, ex consideratione materialis cerei, luci præstandæ præparati, qualem esse conveniat Evangelici sacerdotis conditionem, ut illa evitare possimus, quæ lampadi ardenti, & irreprehensibili per sacerdotem nobis in fronte baptismali consignatæ, possint obesse, & Christo jubenti, ut luceat lux nostra coram hominibus satisfacere valeamus.

Lampas itaque, quod cerea ex materia confletur, est certum. Hæc porro materies nequaquam ex mineralibus, vel aliis subteraneis fodinis obscurissimorum fœtentissimorúmque lacuum inferno proximorum, colligitur; sed ex speciosissimis æque ac nobilissimis floribus quos amplissimo sinu, hilari pompa tellus cœlis ostentat. Hinc Sacerdos Evangelicus, nequaquam ex quolibet sexu, membrorumque deformitate sed ex nobiliori sexu, legitimis natalibus, Religione Catholica, omni labe carens infamiæ, nulla morum deformitate compaginatus, exemplo Danielis, & sociorum puerorum, ex semine Regio, in quibus nulla esset macula, cœlestibus mysteriis tractandis efformatur.

Nec satis habetur, ut cera colligatur ex ijs, quos diximus speciosissimis nobilissimisque exhilaratæ terræ floribus, in eum finem, ut fiat apta lampadi conficiendæ; sed nobilitati, & speciei florum svavitas accedat est necesse. Pari ratione non sufficit, ut ex nobiliori sexu, legitimis natalibus, Religione Catholica, omni labe nefaria carens, morum nulla deformitate compaginata efformetur sacerdotalis lampas; sed ijs omnibus accedat, est necesse suavitas, mansuetæ naturæ, piæ educationis fragrantia, ut Christi bonus odor esse possimus. Etenim ipsemet Daniel cum sociis, quantumvis ex genere Regio, & sine macula, cognoscerentur, ad ministerium Regis admissi fuissent nequaquam, nisi omni sapientia & disciplina fuissent edocti.

Et quamvis ex nobilissimis, speciosissimis, ac demum floribus materia ceræ decerpatur, non tamen lampadi componendæ fit apta, ni prius & lingua apum purgetur, stillantiúmque labellorum ejusdem animantis perficiatur industria; animantis inquam natura castissimi occupatione operosissimi, legum & disciplinæ tenacissimi: sic & sacerdos, non quia natalibus præstat, & moribus, lampadi Evangelicæ concinandæ censetur idoneus, sed castimonia purissimæ vitæ excellat, exquiritur. Etenim cum nequaquam inter ministros Babilonicæ aulæ, sed inter aulicos immaculati agni fit adscribendus, ejusmodi virtute debet insigniri, cum de talibus scribatur: *Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati; Virgines enim sunt, & sequuntur Agnum, quocunque ierit.* Et quoniam is debet esse sacerdos, qui facie ad faciem negotium omnium maximum salutem nempe humani generis tractaturus est cum DEO, hac puritate polleat necessum est; ipsa enim veritate testante. *Mundi solummodo, corde Deum possunt intueri.* Cujus rei præstantiam penetravit qualicunque modo cæcutiens olim gentilitas, quæ curam succendendorum thurium ad aram Deæ ut appellabant, Vestæ, decreto Romani Senatus, Virginitate præstantibus puellis censuit, commitendam.

Industria item Apis post puritatem mentis, & corporis imitanda est sacerdoti, otii evitandi gratia: nam juxta tritum illud, *innumera mala docuit otiositas*, hinc maximus Doctorum noster Hieronymus Rustico monacho normam religiose vivendi præscribens: *Semper*, inquit *aliquid facias, ut te Diabolus occupatum inveniat.* Nimium indecens est, videre hominem Ecclesiastico muneri adscriptum, sacro charactere insignitum, otiose per plateas spatiantem, meliorem partem diei in domibus Magnatum, in tribunalibus litigantium, & quod pejus est inter greges compotantium dies integros traducere, suppresso talento virtutis sibi à DEO communicatæ; sed & (quod pessimum) abligueriendo, prodigendoque proventus Ecclesiasticos legatos sibi pietate fidelium, sæpius imminutione proprii patrimonii præjudicio prolis, & posteritatis, qua nihil charius in humanis. Revocate vobis in memoriam Fratres mei, Apostolos, primos Christianæ scholæ Doctores, labore manuum victitasse; unde Paulus, quamvis omnium Ecclesiarum sollicitudinibus occupatus totus, non erubescit id fateri, quin etiam, ut habemus in actis Apostolicis, gloriatur Ephesina Ecclesia talis industriæ exercitio, dum ait: *Argentum & aurum, aut vestem nullius concupivi, sicut ipsi scitis, quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, & his, qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ.* Et mox exemplo suo præcipit idem à reliquis fidelibus factitandum, dum subjungit: *Omnia ostendi vobis, quoniam sic laborantes oportet suscipere infirmos, ac meminisse verbi Domini JESU quoniam ipse dixit: Beatius est magis dare, quam accipere.* Nec audiendi, qui dicunt, sat bene provisus, & ditatus sacris proventibus, non eget, ut labore manuum sibi consulat, etenim Apostolus expresse id faciendum præcipit, ut habeamus, unde tribuamus necessitatem patienti. Tribuimus ex bonis Ecclesiasticis, ut ajunt: at illud est officij, respondet Apostolus, imo, & debiti, cum ait ad Corinthios: *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, & dispensatores myste-*

riorum DEI. *Hic jam quæritur, ut inter dispensatores fidelis quis inveniatur*: id est juxta Patrum interpretationem ut ita fideliter utamur proventibus Ecclesiæ, quatenus quidquid necessitati nostræ (necessitati dico, non opulentiæ, non prodigalitati, non luxui, non popinis, non scortis) superest, totum teneamur Christi fidelibus, nostris fratribus, tanquam ejusdem corporis membris, utpote egentibus errogare; tum quia æqua ratione pertinent ad illos sicuti ad nos; tum potissimè, ut refrigerio, & saluti illorum piorum, à quibus tales proventus instituti fuere, sit consultum. Fur alioquin habendus quilibet nostrum, & patrimonii Christi fraudator, æternísque cruciatibus mancipandus, donec minimum quadrantem solvat ibi, ubi nullus, nisi per mortalitatis pœnas, invenitur solvendi modus. Idcirco, ut eleemosyna sacerdoti prosit, sacerdotali manu parandam illam requirit Apostolus. Quam ob rem Hieronymus noster, ditissimi alioquin hæres patrimonii, ad Marcum Celedensem scribens, exactissime à se Pauli præceptum executum testatur cum ait: *Nihil alicui præripui, nihil otiosus accipio, manu quotidie, & proprio sudore quærimus cibum, scientes ab Apostolo scriptum esse: Qui autem non operatur, nec manducet.* Hæc Hieronymus. At, inquiet aliquis, omnium artium ignarus habeor, respondeo: scribere, legere quicunque novit Ecclesiasticus, satis gnarus habetur, unde tali labore, atque industria tam publico, quam privato bono consulat. Veteres illi Monachi, eodem Hieronymo teste, neminem intra suum consortium, operis alicujus ignarum, admittebant.

Penes castimoniam, & industriam, tertia dos naturalis Apum sequitur, legum observantia, & disciplinæ tenacitas: quibus Apes unicum suum Principem prosequuntur, venerantur, & colunt; cujus imperio ita sunt addictæ, ut pro illo vitam prodigere minime timeant, & qua sui principis hostem, justum credunt ferire, inde sibi honestum, ac necessarium putant perire, prout ipse Maro de ijsdem cecinit.

Pulchramque petunt per vulnera mortem.

Et vir servitio, cultuique Regi Regum dicatus, operæ pretium censebit, postquam mille sophisticis excogitationibus, Prælati sui ejusdem Regis Regum præsentiam exhibentis, leges, & jussa pro sua libidine distorserit, & interpretatus fuerit, expresso legum, & legis latoris manifesto contemptu, innumeris inventionibus exceptionum, & appellationum, ut vocant contumacis, & refractarij capitis sui obstinationem fulcire? quid quod jubeat Apostolus: *obediendum Dominis, & Præpositis etiam discolis?* pudeat Christianum sacerdotem, inter Ethnicos eam fuisse erga unius Pitagoræ dogmata æstimationem, & reverentiam, ut sola responsione: Magister dixit: illius mandatis contra quorumcunque aliter suadentium authoritatem acquiescerent. Pudeat nos discipulos illius Magistri, qui gloriam suam in eo collocatam voluit, dum scholam inter homines exercuit, ut obediens ad mortem usque cognosceretur? pudeat inquam nos Prælatis nostris per fas, & nefas velle præesse. Mitto hic Clericos causarum solicitatores, litium immortalium incentores; eos denique etiam sæpe judices litigantibus patrocinantes, cum apud Ehnicos advocatorum patrocinium, creditum fuerit permissum latrocinium; Clericos inquam, qui suæ vocationis obliti, turpis lucri gratia, gratiam æterni, & nunquam deficientis lucri, sponte, utpote satis ab Ecclesia ditati remittunt, & respuunt frustra sacris Canonibus, & Ecclesiasticis statutis reclamantibus.

Jam satis Apis studium circa materiam ceræ cognovimus; non tamen hanc ideo adhuc aptatam lampadi cereæ formandæ invenimus, cum requiratur ulterius, ut ab Apum industria, ad purgationem ignis & roris aerei, pruinarum accedat temperamentum. Quæ in Sacerdote nihil aliud sunt, quam passionum veteris hominis mortificationes, juxta ejuscemodi experientiæ magnum Doctorem Regium vatem dicentem: *Transivimus per ignem, & aquam.* Unde & ipse Ethnicus Poëta de heroe virtutibus omnibus exulto cecinit.

Multa tulit, fecitque puer, sudavit, & alsit.

Perfecta jam cera sit licet, eo quo vidimus modo, necdum tamen in ceream lampadem, nisi per novum ignem conflatur. Pari modo Sacerdos Evangelicus, nequaquam unica mortificatione veteris Adæ in lampadem sacro Altari adhibendam coalescet, nisi mortificationum artibus iteratis, & nunquam depositis.

Hinc laudatus hujus artis Magister ajebat: *propter te mortificamur tota die, æstimati sumus, quasi oves occisionis.* Et ille alius Sacerdotum Doctor: *Mortificationem JESU Christi jugiter in corpore nostro portare*, nos jubet. Quod penitus introspexit Ethnicus Poëta à Hieronymo nostro relatus illis verbis: *tantum profeceris, quantum tibi vim intuleris.*

Et ut cera perfectionem suam per ignes assequatur, non tamen luci præstandæ sufficit per se sola, nisi ex candida bombice lychnus intercedat, id est purissimæ orationis studio sacerdotale cor instruatur. Ut enim trini fili intorsione lychnus pro lampade cerea instruitur; ita Sacerdotis oratio tunc vero lumini adaptatur Evangelico, cum ad mentalem orationem

nem, vocalis; & utrique spectatæ vitæ decus accedit, de qua sancti Patres illud; *oportet semper orare, & nunquam deficere*, jure merito interpretantur.

Notandum tamen est: hæc tria fila, nisi arte intorqueantur, lychnum nequaquam perfici; quare hæc intorsio, triplicis orationis censetur Sacerdotalis instructio, & sapientia; & illa quidem non facilis alicujus eruditionis, aut doctrinæ superficialis, sed diutina tortitione labiorum quæsita, cum juxta sacrum illud scripturæ dogma: *Labia Sacerdotis custodiunt sapientiam, & legem requirent ex ore ejus:* Sane ex cujus ore requirenda est lex, singulari prudentia, & scientia debet insigniri, præcavendo ne contra se latam illam sententiam experiatur: *quia tu repulisti sapientiam, & scientiam, & ego te repellam, ne Sacerdotio mihi fungaris.*

Denique quam vim ad tenebras expellendas, lucemque præferendam cerea lampas numeris omnibus absoluta obtinebit, nisi ignea flamma accendatur? ita quid Sacerdoti omnes enumeratæ dotes, earumque præstantia conferre poterunt, nisi charitatis accendantur ardore? qua in re diligenter observandum est, charitatem affective exerceri posse minimè, absque proprij incommodi sensu, eodem prorsus modo, quo cerea lampas accensa non nisi suimet imminutione splendescit. Sed, eheu! quam pauci, non quidem cum Sacerdote, sed cum simplici Diacono Laurentio possunt exclamare, & prorumpere in illud davidicum: *Igne me examinasti.* Quare? *quia disperserat, & dederat pauperibus.* Non solum suarum rerum erogatione, sed etiam propriæ vitæ incommodo; idcirco audacter, & lætus subjunxit. *Et non est inventa in me iniquitas.* Immittere manum in crumenam, ut disperdamus nostra propter pauperes, aduritur manus, humano more loquendo; non nego, non inficior. At per ejusmodi ignem examinatus est Laurentius, & introductus in refrigerium. Detractis propriis vestibus, in ipsa hyemis asperitate, ut nudus operiatur, urit, & adurit sæculare malum: sed ex tali adustione, Martinus noster Catechumenus adhuc, Christum loquentem audit: *Martinus, adbuc Catechumenus, hac me veste contexit.* Urit, & adurit nuditas Franciscum, ut egenis succurrat; sed ejusmodi corpusculo modo stigmata gemmis, & auro pretiosiora impressa, spectacula sunt DEO, Angelis & hominibus.

Adurit manum largitas effusissima, qua Stephanus Ungarorum Rex, & Apostolus, post innummeras Ecclesias à fundamentis excitatas, & munificentissimè ditatas, ut populos ad caulam Christi perductos contineret in Christianitatis officio, nulli petenti opem denegavit unquam, sed illam liberalissime die, noctuque habuit, ut aliquando irruente egenorum turba inter tenebras in Regem pientissimum, barbam ipsi quoque evellerent, stipem rapide pro innata importunitate, & impatientia erepturi: sed eandem dexteram, reliquo toto corpore, in cineres recidente, integram adhuc extare, amplissimoque templo ab ipsa dextera denominato, universæ Ungariæ cultui, & venerationi haberi, ipsiusque Sanctissimi Regis gloriæ amplissimum hoc omnium Hungaricarum partium templum, in quo consedimus, attolli, pretium est nequaquam manus adustæ, sed illius Herois dexteræ, de quo regius vates intonat: *In memoria æterna erit justus:* & illud: *Corona aurea super caput ejus*, &c. Hinc, & Regale caput ejus auro, gemmísque fulgidum; memoria eximiæ sanctitatis, gloriæ, & honoris augustius, tutelare Numen universi Hungarici Regni, Patriæ hujusce nostræ præsentaneum decus insidet Aræ sacrosanctæ, sicut videtis.

Vidimus itaque Fratres amantissimi qualitates sacerdotalis lampadis; quæ, *quia non sub modio, sed super candelabrum*, ut ait Salvator noster, ponitur, etiam, atque etiam cavendum moneo, ne splendor ejus vento, vel ac aquis, quibus tantummodo extingui potest, aliquam patiatur injuriam, sed juxta ejusdem Salvatoris præceptum: *Luceat omnibus, qui in domo magni Patrisfamilias existunt.*

Est autem ventus, cujus injurijs sacerdotalis lampas potest labefactari, terrenarum rerum solicitudo; cui cum renuntiaverimus adscribendi Ecclesiasticæ militiæ, eo tempore capillorum nostrorum præcisorum Episcopali manu terrena omnia rejecimus, & solemniter Dominum partem hæreditatis nostræ, & calicis nostri adoptavimus; absque periculo splendoris nostræ lampadis, ad curas terrenas redire nobis non licet. Etenim sicut Hieronymus
„ noster in hanc rem ad Nepotianum Clericum loquitur: propterea vocantur Clerici, vel
„ quia de sorte sunt Domini, vel Dominus sors ipse, id est pars Clericorum est. Qui autem
„ vel ipse pars Domini est, vel Dominum partem habet, talem se exibere debet, & ut ipse
„ possideat Dominum, & possideatur à Domino. Qui Dominum possidet, & cum Prophe-
„ ta dicit: pars mea Dominus: nihil extra Dominum habere potest. Quod si quidpiam aliud
„ habere potest præter Dominum, pars ejus non erit Dominus; verbi gratia: si aurum, si ar-
„ gentum, si possessiones, si variam supellectilem; cum istis partibus Dominus pars ejus fieri
„ non dignabitur. *Ita ille. Qui mox subjungit:* obsecro itaque te, & repetens iterumque moneo,
„ ne officium Clericatus, genus aliqud militiæ putes, id est, ne lucra sæculi in Christi quæ-
„ ras militia; ne plus habeas, quam quando clericus esse cæpisti, & dicatur tibi: Cleri eo-

„ rum non proderunt eis. *Et paulo post (nisi ipse diceret, forte subticerem) ita prosequitur.* Ignominia sacerdotis est propriijs studere divitis. Natus in paupere domo, & in tugurio rusticano, qui vix milio, & in cibario, pane rugientem saturare ventrem poteram, nunc similam, & mella fastidio. Novi, & genera, & nomina piscium, in quo litore concha lecta sit, calleo, saporibus avium discerno provincias, & ciborum meraritas, ac novissimè damna ipsa delectant. Ita ille; ad cujus integram epistolam vos brevitatis gratia libenter remitto, cum tota de re clericali habeatur. Et ut adhuc melius nobis innotescat, quanto & nostro, & omnium aliorum præjudicio, talibus ventorum injuriis, splendorem sacerdotalis lampadis imminui permittimus, Romanus Pontifex Gregorius (& eo nomine noster etiam, quo Illustrissimos ejus nepotes Frangipanicos Dinastas, qui nuper virtute fastis æternis celebranda, Regnum Ungaricum Regi suo, Regemque Regno impia Tartarica feritate prope extincto vindicantes, cives nostri esse voluerunt) homilia 17. in Lucam, quid deploret, audiamus. „ Nullum *ait* puto, Fratres charissimi ab aliis majus præjudicium, quam à Sacerdotibus tolerat DEUS; quando, quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla pravitatis cernit: quando ipsi peccamus, qui compescere peccata debuimus: nulla animarum lucra quærimus; ad nostra quotidie studia vacamus, terrena concupiscimus, humanam gloriam intenta mente captamus: & quia eo ipso, quo cæteris Prælati sumus, ad agenda quælibet majorem licentiam habemus, susceptæ benedictionis ministerium vertimus ad ambitionis argumentum; DEI causas relinquimus, ad terrena negotia vacamus: locum sanctitatis accipimus, & terrenis artibus implicamur *Hæc Gregorius.*

Nec vento curarum terrenarum, sed & aquis voluptatum carnalium funestatur Sacerdotalis lampas, & miserandum in modum extinguitur, ut merito Sacerdotali nomine inclamet Regius vates: *Salvum me fac DEUS, quoniam intraverunt aquæ, usque ad animam, infixus sum in limo profundi, & non est substantia.* Etenim Sacerdos voluptatibus carnis immersus tanquam in luto aquarum multarum, non habet aliquam splendoris substantiam; amissa quippe puritate, qua sola divino dignatur intuitu, volutabrum immunditiarum efficitur, certum enim est, teste Apostolo: *Cum quis adhæret meretrici, unum corpus fieri cum meretrice,* at si unum corpus fit cum meretrice, ergo nulla remanet substantiæ Sacerdotalis eminentia, cum fœmina incapax habeatur Sacerdotij Evangelici: quin imo simpliciter etiam polluta, Vestalium Romanarum, exemplo, ab aris repellebatur æternum, & crudelissimò mortis genere extinguebatur.

Sed ne vobis sermone meo tædium pariam Hieronymum nostratem ex eadem epistola audiatis. „ Hospitiolum inquit, tuum, aut raro, aut nunquam mulierum pedes terant Omnes puellas, & Virgines Christi aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige. Ne sub eodē tecto mansites, nec in præterita castitate confidas. Nec sanctior Davide, nec Samsone fortior, nec Salamone potes esse sapientior. Memento semper, quod paradisi colonum, de possessione sua mulier ejecerit. Ægrotanti tibi quilibet frater assistat, & germana vel mater, aut probatæ quælibet apud omnes fidei. Quod si hujusmodi non fuerint consanguinitatis, castimoniæque personæ, multas anus nutrit Ecclesia, quæ officium præbeant, & beneficium accipiant in ministrando, ut inffirmitas quoque tua fructum habeat eleemosynæ. Scio quosdam convaluisse corpore, & animo ægrotare cæpisse. Periculosè tibi ministrat, cujus vultum frequenter attendis. Si propter officium Clericatus, aut vidua visitatur, aut virgo, nunquam domum solus introeas. Tales habeto socios, quorum contubernio non infameris. Si Lector, si Acolythus, si Psaltes te sequitur, non ornentur veste, sed moribus, nec calamistro crispent comas, sed pudicitia habitum polliceantur. Solus cum sola secreto, & absque arbitro, vel teste non sedeas. Caveto omnes suspiciones, & quidquid probabiliter fingi potest, ne fingatur ante, devita. Si familiarius est aliquid loquendum, habet nutricem, majorem domus, Virginem viduam, vel maritatam, non est tam inhumana, ut nullum præter te habeat, cui se audeat credere. Hæc conterraneus; nobis, & Presbyter Hieronymus; post quem, parentem meum Augustinum, tanquam proprio malo gnarum, quid periculorum fœminea habeant commercia, vobis in exemplum adduco: ille enim fœminarum omnium, & in eis sororis, & fratris filiæ contubernium, familiaritatémque constantissime evitavit, quippe qui diceret *Et si propinquæ mulieres suspectæ non essent, tamen quæ ad eas ventitarent, posse suspicionem efficere.*

Et ut Sermoni finem imponamus, illud identidem cum veritatis Magistro ex Evangelio inculco: *Vide Sacerdos ne lumen, quod in te est, tenebræ fiant.* Judas Sacerdos, Apostolus, quin etiam Episcopus fuit, avaritiæ tamen vento lampade extincta, Episcopatum, Apostolatum, Sacerdotium, & animam ipsam perdidit. Tertulianus Doctor antiquissimus, & doctissimus, levissimo vento invidiæ Romani cleri afflatus, tanquam stipula ante faciem venti extin-

extincta lampade, tenebris occidit æternis. Arius Sacerdos Alexandrinæ Ecclesiæ, vanitatis vento agitatus, quam pestilenti fumo post extinctam lampadem Evangelicam orbem Christianum infecerit, plurium sæculorum ruinæ testantur. Sergius Monachus, idemque Sacerdos, luto aquarum multarum obruta lampade, deterrimum foetorem impurissimum Mahometem tot Regnorum, & Imperiorum eversorem (quod nulla terrarum pars ignorat) in orbem Christianum intulit. Hugonem totius Germaniæ Primatem, Magdeburgensis Ecclesia diu Sanctissimum Præsulem habuit, quem tandem ludo carnis illudentem DEO, sibique lutum infernalium aquarum maximè terribili in omne ævum modo ingurgitavit. Et quod non absque lachrimis experimur, vastitatem nuperrimam Hungariæ, divinæ justitiæ rigor ex fætore trium impurissimorum Præsulum, testimonio sancti viri pluribus adhuc viventibus cogniti, maturavit. *Luceat ergo lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est. Ita tamen, ut qui stat, videat, ne cadat.*

II.
ORATIO
S. Augustini Gazotti. Dicta in Campo Rakôs pro CAROLO
Anno Domini 1310.

POstquam DEI gratiâ, Legati authoritate, afflictissimæ Patriæ consulturi, in hunc locum, ab exordio Regni Hungarici, publicis negotiis agendis adoptatum, convenímus; cúmque mihi omnium aliorum minus apto, sed, qui nihilominus in promovendo publicæ rei nostræ bono, ardore, & studio nulli facile cesserim, dicendi provincia demandetur, nequaquam diserta, sed fortia sectando, juxta sancti Cypriani Carthaginensis Episcopi sententiam, posthabita omni verbositate, & omni eloquentiæ lenocinio, ut Episcopum decet, brevibus demandatam provinciam expediam: præsertim, quia in conspectu Sanctissimorum Antistitum, Sapientissimorum universi Regni procerum, nec non lectissima Regnicolarum Nobilitate, perstrinxisse potius; quàm exagerasse rem; satis superque exposuisse illam, persuasum jam mihi habeo. Quod me præstiturum existimo, si priùs aliqua de Plebis petulantia, cujus impetu Regnum distrahitur amplissimum, tùm de authoritate Romanæ Sedis in ejusmodi occasionibus, denique de jure optimo Caroli Regis in Sacram Nostram Coronam Hungaricam delibavero. Et quidem quo ad primam partem, satis exploratum est omnibus, annum jam nonum ab eo tempore, quo Bonifacius Octavus Romanorum Pontificum Sapientissimus, Legatum ad hasce partes, ad instantiam sanioris partis Regnicolarum, post mortem Andreæ, ultimi Regis, ex Regum nostrorum stemmate superstitis, misit, communem hanc nostram Patriam, ad instar Oceani, adversis ventorum procellis ab imo agitari, turbaríque. Causam quoque rei non est cur refricem, tanquam omnibus apertissimam. cùm nempe bonus Cardinalis, Sacrorum Præsulum, & Optimatum, nec non melioris Nobilitatis voto sollicitatus, nullum modum conciliandi animos aliquorum Clericulorum, & Hungaricæ Plebeculæ potuisset invenire, Censuris Ecclesiasticis, potiùs quàm armata vi, ut Ecclesiasticum ministrum decebat, interdicto Sacrorum usu, ad sanam mentem reducere conatum fuisse. Nec novo quidem exemplo, sed per universum Christianum Orbem, ejuscemodi malo, alíisque similibus sanandis, ab Apostolica Sede semper usitato. Verùm talis medicina salutis loco frænesim inauditam excitavit; ut observatum est à Medicis in iis corporibus, quæ malo congruentes medicinas vel non admittunt, vel eo, quo deberent modo, iis non utuntur. Nam, ut paucis concludam, quod longo tempore mirabundi suspeximus, & suspiravimus, Clericulorum turba, plebis armata furore, pestilentem Virum in medicum eructando, Apostolicam Sedem, quæ à nemine judicatur in terris, anathemate se percusisse, strepitu campanarum censuit, efficta causa, quasi Romanus Pontifex, electionem Regis Hungariæ, Statibus Reipublicæ Hungaricæ perpetuò liberam, violenta, ut jactabant, intrusione Caroli Andegavensis, violasset. Atque talis insania eò usque processit, ut diversis aliis Principibus n Regnum hoc ad Sacram Coronam evocatis, octo annis integris, Pannonicæ Reipublicæ viscera suorum gladiis foderentur. At quæso, paululum mecum, Sapientissimi Auditores, recogitate, an ullo unquam tempore, turbæ, nisi turbis excitandis, rebúsque publicis, & quietis turbandis, & festæ pacis centro exturbandis, potuerunt esse aptiores: vel ex eo, quia turbarum, & turbulentiarum infaustissimarum nomina, ab iisdem turbis emanârunt. Quippe ad res agendas nihil ineptius, turbis, quæ, si aliquando veritatis, ipsius, Christi videlicet Servatoris nostri, monitis audiendis allecta ad illum voluit accedere, non nisi compressione, & offensione cœlestis Magistri id tentavit, irruendo nempè in illum, ut tradit Evangelista. Et si idem aliàs omnipotens, verùm ut homo, ne ab illa peni-

penitus opprimeretur, alium modum non censuit expeditiorem, quàm, ut se in naviculam, quæ erat Simonis Petri, inter multas alias in littore Genezareno existentes, reciperet; & rogaret per eundem Petrum paululum à terra abduci. Etenim nec ipsam Pietatem, absque irreverentia, & vitio inhumanitatis turba novit exercere. Unde Matth. 9. scribitur Dominus noster aliquando *misertus turbam:* Sed qualem? *jacentem*, inquit Evangelista, *& tanquam oves sine Pastore.* Cogitate qualis sit turba præstantiæ, quæ ovibus sine pastore, huc illuc dispersis æquiparetur. Quod si impia in Christum, & jacens tanquam oves sine pastore turba describitur in Evangelio, non mirum, si in ejusdem Christi Vicarium, & in navicula Petri Successorem, pastoris abjecta reverentia, tali freneſi, qualis à Christi Monarchia fuit data nunquam fuit audita, sævierit, ut nostis. Nostis autem pro vestra singulari eruditione, Auditores Sapientissimi, ex Eusebio in vita Constantini: *Multiplex Imperium, quo omnibus hominibus datur æqualis dignitas, æquale suffragium, quódque eum Monarchia ex adverso pugnat, confusionis, ac seditionis potiùs, quàm Regni nomen mereri.* Hinc vetustissimum decus Philosophorum præstantissimus Aristoteles, Ethicorum libro octavo, capite primo, censuit: *Populi potentia tralgressionem, pejorem esse Tyrannide;* nam, ut idem ait: pejus est, si multi, quàm si unus, vel pauci dominantur. Seneca, *Populum, vitiorum suasorem, authorémque*, testatur. Plato, *ventrem ignavum.* Plutarchus, *effrænem & præcipitem Equum.* Cicero, *Turbam, fervens & æstuans mare.* Aliquando cùm interrogaretur Diogenes quid esset esse Sapientem, respondit: à *vulgi sententia discedere.* Chrysippus porrò ita argumentatur, & quidem ad rem nostram sapientissime: *Si* inquit, *Populus philosophari non potest, quantò magis rebus Divinis, sacrisque legibus tractandis erit ineptus.* Et sicut scripsit Laertius libro 7. capite 2. *Putabimus, plebem, Theologiæ Sacrum dogma posse moderari?* Quamobrem si jure merito Anacharsis indignabatur, in Græcia. *Populum canendi inscium, in theatro de musicis judicare:* nos, ut Laertius idem libro primo capite nono ait: nos, inquam, *plebem sacrarum literarum rudem, de sanctissimis Religionibus judicium facere pateremur?* Si Apius Claudius, Romanos inter Senatores sapientissimus, indignè ferebat, Scipionem Æmilianum à laniis, & tonsoribus, in Censuram promoveri, quantò magis indignè ferendum, si Sacerdotia, si Magistratus, si Sacer Ordo, si Regnorum dispositiones, & Sanctissimarum Legum discussiones sordidæ turbæ exponantur censuræ? Imò *si quos seorsim evocatos, ut Cato Major ajebat, in consilium rei suæ nemo sanus adhiberet, ab iis in turbam coactis, responsa Religionum dare quis mente sanus admittet?* Idem, qui supra, Seneca, capite secundo de Beata vita; *argumentum pessimum turbam*, pronunciavit. Et ut ad nostræ Philosophiæ magis facto, quàm dicto illustratorem accedamus: Polycarpus Martyr, idémque Joannis Apostoli discipulus, aliquando jussus à Proconsule, ut narrat Eusebius lib. 4. hist. cap. 15. rationem sui Populo dare, Prætori se dixit daturum, nam *Populo frustra dari, quem negaret duci posse ratione.* Addamus nostræ Religionis Philosopho, innumeris aliis brevitati condonatis, nostræ gentis non insipientissimum Principem, quamquam revera crudelioris animi nota meritò ab omnibus perstrictum, Diocletianum: Is cùm Senatus Romanus decrevisset persecutionem contra Christianos, penultimo ipsius Imperii, hoc est undevigesimo anno, acclamante Populo in circo, ut Christiani bestiis subjicerentur, pronunciavit. *Vanas Populi voces minimè audiendas.* Sed rem, ut cupimus, Christi claudamus exemplo. Ipse Dei Filius, cùm minimè dedignaretur Nazareno computari Populo, & unus: Nazarenorum Civium haberi, essetque in omne commodum, & beneficium Civium suorum intentus; attamen, quale precium pro tali gratia à Civibus ipsis recepit. Furore populari ducitur ad supercilium montis, ex eo præcipitandus, Evangelista teste. Et mirabimur, turbam Ungaricam brutorum more in Christi sæviisse Vicarium? Turbæ autem facinus contra pia sensa Sacrorum Antistitum, Illustrissimorum Procerum, & sapientissimæ Nobilitatis, sacrilegium absolutè fuisse, cùm certò certiùs cognoverimus quotquot hic adsumus, vel ex eo nihil immorandum suadet ratio, ut turbarum turbulentas vanitates, & falsas insanias proturbando, nos de nostra Republica, imò de salute nostra, liberè sanctéque deliberemus, & à vulgi sententia recedamus, nos Sapientes esse ostendamus.

Jam de authoritate Romanæ Sedis, cùm coram iis loquar, quos, ne quidem susurrus ab obedientia, & illius reverentia ausus est pertentare, non solùm ab eo tempore, quos gens Ungarica, adeo strictè Ipsius venerationi adhæsit, ut inter omnes Christiani Orbis Reges solus Ungaricus Apostolicus, & Sedis Apostolicæ à Latere, ut ajunt, Legatus, singulari prærogativa per Sanctum Stephanum in omnes successores perpetuò transfusa dicatur, & habeatur: sed ab ipso ortu Christianæ Reipublicæ, quo Paulus Apostolus Illyricæ nationi Evangelica face præluxit, relicto in Pannoniis nepote ex sorore, Andronico Episcopo, unde & primatus Ecclesiarum amplissimæ gentis Illyricæ per plura sæcula in Sirmiensi stetit Ecclesia: superfluum ducerem omnino quidquam effari; nisi cœlum hoc, turbine turbantis omnia turbæ, aliquando infectum pertimescerem. Quamobrem consueta brevitate, aliquot sacræ Scripturæ loca vobis ignota minimè, attingam, quibus constans omnium Sanctorum Patrum sensus,

sensus, & consensus, authoritatêm Ecclesiasticam, superiorem potestate sæculari, in Ecclesia Dei stetisse semper, subscripsit. Hinc nullus eorum, quorum nomina studio brevitatis, tanquam vobis notissima: prætereo, dubitavit unquam, de Ecclesia intelligenda esse illa verba Jeremiæ: *Domina gentium, & Princeps Provinciarum.* Et Ezechielis: *Suscitabo Pastorem unum:* Apocalipsis: *Qui vicerit, & custodierit opera mea, in finem, dabo illi potestatem super gentes, & reget eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringentur, sicut & ego accepi à Patre meo.* Isaiæ: *Gens*, ait, & *Regnum*, (alloquendo Ecclesiam) *quod non servierit tibi, peribit.* Davidis: *Gladii*, inquit, *ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes, in populis. Ad aligandos Reges eorum in compedibus, & Nobiles eorum in manibus ferreis, ut faciant in eis judicium conscriptum, gloria hæc est omnibus Sanctis ejus.* Inde apud Lucam in Collegio Apostolico duo gladii approbantur. Et ut missas faciamus alias veteris paginæ authoritates. Hieronymus noster, quem in explicandis Sacræ scripturæ sensibus Doctorem maximum à Deo sibi provisum profitetur Ecclesia, illa verba Jeremiæ, *Ecce constitui te hodie super gentes, & super Regna, ut evellas & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices & plantes*, ad Christum, & Ecclesiam pertinere, disertis verbis explicat. Quamobrem Christus ipsemet præcipit Petro: *Pasce oves meas*, id est universum gregem Ecclesiasticum; &, *pasce agnos meos*, idest Principes gregis Ecclesiastici, juxta Patrum explicationem. Novimus quidem à Christo *fundatam Ecclesiam supra, fundamentum Apostolorum, & Prophetarum*, quando tàm Petro, quàm reliquis omnibus Apostolis æquam ligandi, solvendíque potestatem dedit ante passionem, & resurrectionem suam, sicuti resurgens à mortuis, iisdem omnibus Spiritum Sanctum inspiravit, eos denique cùm omnimoda potestate sine ulla differentia inter Petrum, & alios, ad baptizandas omnes gentes per orbem terrarum destinavit. Attamen supremam potestatem pascendi *Oves*, qui sunt Christi fideles, & *Agnos*, qui sunt Principes fidelium, ut diximus, absque multitudine aliorum Apostolorum, præsentibus tantumodo Thoma, Nathanaele, duobus filiis Zebedei, & aliis duobus ex discipulis, quinque nempè testibus, & Joanne texto, uno ex filiis Zebedei, tanquam loco scribæ adscito, soli Petro voluit demandatam. Hinc Paulus scribens ad Corinthios: *Spiritualis homo judicat omnia, ipse autem à nemine judicatur.* Ad Romanos verò. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subjecta est.* Et alibi: *si Angelos judicabimus, quantò magis sæcularia?* Ipse porrò Petrus in sua Canonica: *Vos* inquit, *estis Regale Sacerdotium.* Item: *gratia vobis, & pax adimpleatur in cognitione Dei, & Christi Jesu, Domini nostri, quomodo omnia nobis divina virtutis sua*, (græcus textus habet potestatis suæ) *quæ ad vitam, & pietatem donata sunt.* Sed & Patres sanctissimi, à Christo ad nostra usque tempora constanter tenuerunt, & docuerunt, Episcopis, & summo Romano Pontifici competere, & esse, in omnia temporalia, Regiam, & supremam potestatem: quod tamen ita intellexerim, ut non directè habeat jurisdictionem temporalem in illa, sed indirectè; quatenus nimirum est necessarium ad finem Spiritualem, & salutem animarum, sicuti planè nunc contigit in hoc nostro Regno. Ita Dionysius ad Demophylum cap. 8. de Ecclesiastica Hyerarchia. Ignatius ad Philadelfenses, ad Smirnenses, & ad Tralianos. Ireneus lib. 4. cap. 44. Clemens Alexandrinus lib. 7. stromatum, Cyprianus Epistola 69. ad Ruffinianum, Arnobius in psalmum 139. Athanasius oratione secunda contra Arianos, Nazianzenus oratione 18. Ambrosius 1. ad Corinthios cap. 3. Hieronymus in Isaiam cap. 60. Chrisostomus lib. 3. de Sacerdotio, Epiphanius hæresi: 29. Cyrillus Alexandrinus in libr. Thesauri, Augustinus in Apocalypsim prope finem, Paulinus ad Citerium. Cassiodorus Epistola 4. libro 1. Gregorius Magnus in quartum Psalmum pœnitentialium, Angelomus lib. Regum 1. cap. 2. Rabanus de institutione Clericorum, Anselmus super Epistolam 1. ad Corinthios 3. Ottho Frisingensis lib. 3. cap. 36. Bernardus lib. 3 cap. 8. ad Evgenium. Idem docuere ii omnes, quos Scholasticos apellamus, imprimis autem Magister meus Thomas de Aquino, & Bonaventura de Balneo Regio. Concilia Nationalia, ut Toletana, & Rhemensia, clarissimè super hoc decrevere. Sed quid, quod tot scripturis, Patribus, & Doctoribus accedunt facta ipsa scripturas explicantia? Etenim habemus apud Zonaram Anastasium Imperatorem non ante fuisse coronatum ab Euthimio Patriarcha, quàm scripto polliceretur, se in Fide Catholica permansurum. Clodovæus Trarcus, occupatis Galliis, authoritate Romani Pontificis Hormisdæ, à Remigio Rhemensi Præsule coronatus, ex ipsis Francorum scriptoribus habetur; sicut ex Hispanicis, Isidoro præsertim, Roderico, *Visigothos* Reges, qui regnarunt apud illos, per Episcopos ad Regna assumptos, ac etiam Solio deturbatos. Chilpericum Regem Francorum, ob stupiditatem, à Zacharia Romano Pontifice gubernaculo Regni submotum, Pippinumque Regem suffectum, ejusdem gentis scriptores fatentur. Et quod maximi momenti in hoc genere cognoscitur, certissimum est, plurimorum scriptorum testimonio, Eginarti autem omnia spectantis imprimis, à Leone tertio Romano Pontifice Pipini filium Carolum Imperatorem Romanum creatùm, à quo ad nunc Imperantem Henricum nostis neminem pro Imperatore legitimo

mo habitum, qui manu Papali non sit consecratus, sed quousque coronaretur, Imperator electus dictus & habitus est. Scitis autem Henricum tertium à Gregorio septimo privatum Imperio, ab omnibus derelictum, privatum, & insepultum jacuisse. Otthonem quartum ab Innocentio tertio depositum, sicuti & Fridericum secundum à quarto Innocentio, à quo Portugalliæ Regi curator est assignatus. Regnum enim Portugalliæ, sicuti & Scotorum, & plurima alia, beneficiaria sedis Apostolicæ dignoscuntur. Sed ad nostra veniamus. Quamdiù Reges Dalmatiæ, & Croatiæ, per sexcentos fermè annos regnarunt, ab Heraclij Imperatoris temporibus, ad nostrum Sanctissimum Regem Ladislaum; semper beneficiarij, semper tributarii Sedis Apostolicæ fuerunt, sicuti & Bani Bosnenses, tanquam dictorum Regnorum membrum idem adhucusque exequuntur. Patrum nostrorum memoria Dynasta Serbliæ, & Rassiæ, Rex ab Honorio tertio nominatus, & titulum Regium, & Regnum ipsum ad præsentes posteros fœliciter transmisit, &, ut finem huic rei faciam, ipse Sanctissimus Apostolus Ungariæ Stephanus, de cujus successore agimus, à Romano Pontifice Sylvestro secundo, Rex est declaratus, & perpetua legatione Apostolica decoratus. Quod si fatemur in fonte, cur non admittemus in rivulo? ita tamen ut inde libertati illi perpetuæ, qua Ungari suos Principes eligunt, independenter à qualibet alia potestate, nullum præjudicium oriri profitear. Nulla itaque dubitandi superest occasio, quo jure Romanus Pontifex Ungarica dissidia miseratus, sanioribus & potioribus etiam Ungaris id exposcentibus, Carolum, authoritate sua, tanquam universalis Pater, & Judex supremus, tuendum in Regno, jure sanguinis sibi debito susceperit. Jure autem sanguinis, eóque optimo, super alios competitores, Carolo deberi Diadema aviticum, sole meridiano clarius est. Cùm matrem habuerit Mariam Stephani V. Ungarorum Regis filiam, sororem Ladislai Tertii, & ultimæ ex Bela propaginis sacræ masculæ Ungaricæ. Venceslai Bohemi conditionem longè diversam esse, non est cur ambigamus, quippè quem ex filia filiæ Belæ Quarti natum agnoscamus. Bavarus Ottho, quo glutine stemmati nostrorum Regum possit aglutinari, nequaquam mihi probatur. Sed Caroli juribus illud quoque, idque rarum in terris additur, quòd ipsius stemma, Cœlo teste, ex Sanctissimis Regibus nostris profluere comprobatur. Ut enim Bela Quartus ipsius Proavus Elizabetham sororem, Germaniæ, aliam Elizabetham ex alia Sorore neptem, Hispaniæ, Margaretam filiam, Dalmatiæ (tanquam concivem meam, Tragurii nempè editam,) Cunegundem aliam filiam, Poloniæ, sanctitatis gloriæ syderibus insertas, produxisse lætatur; ita ex Maria Nepote Mater Caroli nostri, Ludovicum Sanctissimum Tolosæ Præsulem, primò Italiæ, in qua vitales hausit auras, demum Galliæ, ex qua ad æternitatis evolavit præmia, Caroli nostri fratrem, stirpem agnoscit suam Perinde sicuti Cœlo, Terræque acceptissimus, Francorum Regum præstantissimus Ludovicus Nonus, qui ab adolescentia sua ad ultimum usque spiritum, nunquam sibi, sed Christo militavit, Regem nostrum Carolum; per fratrem Carolum pronepotem suum, Statibus inclyti Regni Ungarici sceptris sacratissimis tractandis natum, posteritatem suam fatetur, sic & commendat. Addo præterea, quod omnibus est liquidum, Carolum Regem nostrum nunquam se Ungarico Regno obtrusisse, quippè cui tanquam primogenitæ proli Parentis sui Caroli Secundi, fœlicissimum totius orbis Regnum Siciliæ naturali prærogativa destinabatur: sed (unde ipsi immortales gratias habere debemus, & agere,) ab melioribus Senatoribus sollicitatum, jussu Romani Pontificis, labanti Ungariæ & alienis nationibus in prædam concedenti præstò futurum, posthabito nobilissimo & ditissimo Siciliæ Regno, adcurrisse. Quæ ut benè nota omnibus, sicuti initio sum præfatus, fortioribus, quàm disertioribus argumentis, quemadmodum decet Episcopum, cùm hactenus innuerim, bonorum omnium votis, bono patriæ, justitiæ ipsi, Romani summi Pontificis, ejusque hic adstantis Legati monitis, fecisse satis non dubitaverim.

III.

Exemplar ex Registro Caroli Illustris Ducis Calabriæ Anno Domini 1326. Sub Littera B. fol. 31.

SAnctissimo in Christo Patri, & Clementissimo Domino D. Joanni Divina providentia Sacrosanctæ Romanæ, ac Universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Carolus Dux Calabriæ recomendationem humilem, & devota Pedum oscula beatorum.

Ne multiloquio, Alme Pater, & Domine, occupatissimas aures Sanctitatis Vestræ fatigem, desistendum vidi præsenti pagina pandere plurimam in partibus istis laudem, quam sibi Beatus Pater Frater Augustinus Episcopus Civitatis Sanctæ Mariæ, dudum vocatæ Luceriæ, ex miraculorum affluentia, quæ post ejus obitum Divina clementia, veluti copiosa in misericordia, & in retributione munifica, jam meritis ejus ostendit, & quotidie dignatur

tur ostendere, vendicarit. Credo equidem illorum aliqua jam esse ad notitiam vestram ex relatu divulgantis famæ perducta; & expecto, ac etiam cupio, quòd singulariter singula, quæ profectò magna esse noscuntur, ad ipsam notitiam vestram, etiam & in publicum per-opportunæ indagationis serie deducantur. Sicut enim fide digna relatio me nuper instruxit, non ignotum Beatitudini vestræ fuit, cùm adhuc ipse in hoc esset sæculo constitutus, quàm mirabili sinceritate vitæ micabat, pollebat claritate scientiæ, ac mirificis operibus coruscabat. Ego quoque mi Domine Reverende, teste Deo, & in conscientia bona loquor, quod eo mecum, cùm primùm petijt partes istas, per vices aliquas colloquente, concepi, & vidi tam in ejus verbo, & facie, quàm in gestu, quod valde amabilis ejus conversatio esset, quamquam omnia, quæ in eo erant, non nisi notabilia, & eruditio ad virtutes, ac ad salutem ædificatio viderentur; quodque post ejus migrationem ad Dominum, ex devotione magna, qua ad illum afficio, ejus limina visitassem, magna mihi fides facta est de nonnullis miraculis per ejus excellentia merita divinitus ibi perpetratis. Cum itaque ad instruendum de his certiùs Beatitudinis Vestræ scientiam, ac devotè petendum, de ipsis Beati Patris vita, & miraculis pariter inquiri, secundùm morem Ecclesiæ in talibus consuetum, Latores præsentium Sanctitatis vestræ pedes cùm reverentia debita & fiducia magna petant, devotus postulo, supplex quæso, ut alma & perspicax providentia vestra, benigna (si placet) petitionem ipsam consideratione discutiens, & ad eam exaudiendam mentis aciem dignanter inflectens, inquisitionem ipsam jubere fieri, ut moris, & juris est, gratiosè dignetur. quæ ubi patrata fuerit, vestroque conspectui præsentia, si effectus ejus suadeat, & vestra benignitas id decernat, præfatum Patrem in illius reverentiam, & honorem, qui eum veluti laudabilis retributor, sanctificare dignatus est, in Sanctorum (si placet) matricula, cum sonoræ Canonizationis præconio, ne ipsius merita grandia, operaque mirifica debito præmio careant, adscribatis. Perquod Sancta Mater Ecclesia de tanto novæ aggregationis consortio, vestri tempore Præsidatus jubilet, & exultet Civitas, in qua ipse feliciter obijt, & felicius in Domino requiescit. Scriptum Neapoli, Anno Domini 1325. die 20. Octobris nonæ Indictionis.

Extracta est præsens copia à supradicto originali Registro, quod conservatur in Archivo Magnæ Regiæ Curiæ Neapoli, cum quo facta collatione concordat, meliori tamen semper salva; & in fidem infradictorum Magnificus Petrus Vincenti V. I. D. Regius Archiviarius, hic se scripsit, & sigillum consvetum apposuit. Neapoli 20. Mensis Octobris 1623.

Locus Sigilli.

Petrus Vincenti &c.

IV.

Officium in Festo B. Augustini Episcopi, à Clero Zagrabiensis Diœcesis, Festo S. Augustini absolvi solitum. Die III. Augusti in Festo S. Augustini Episcopi Zagrabiensis Duplex.

Omnia de Communi Confessoris Pontif. præter ea quæ sequuntur.

ORATIO.

DEUS, qui Ecclesiæ tuæ in Beato Augustino Confessore tuo, atque Pontifice boni Pastoris exemplum providere dignatus es: concede propitius, ut ejus intercessione in loco pascuæ tuæ perpetuò collocari mereamur. Per Dominum nostrum &c.

Deinde fit commemoratio præcedent.

Lect. I. Noct. Eidelis sermo &c. *ex Commun. 1. loci*

In II. Noct. Lect. IV.

Augustinus Tragurii in Dalmatia, sub Spalalensi Archiepiscopatu, parentibus nobilitate, ac orthodoxæ fidei piétate illustribus natus est. Adolescens, ut totum se Deo manciparet, sæculari patrimoniô dimissô, Sacræ Prædicatorum Familiæ nomen dedit; ibique in sectandis Sancti Dominici, quem sibi Patrem elegerat, vestigiis adeò incubuit; ut adhuc juvenis tanquam Regularis Observantiæ exemplar omnibus proponeretur. Exactô tyrociniô, Parisios, unà cum Fratre Jacobo Ursini studiorum causâ missus, Sanctum Thomam Aquinatem Magistrum habuit: sub quo mirum est, quantum in scientia, pietate, cæterisque virtutibus profecerit.

LECTIO V.

In patriam reversus, superiorum jussu prædicationi Divini Verbi addictus est, maximo interim salutis animarum studio inardescens, nihil unquam omisit, quo infideles ad fidem, peccatores ad pœnitentiam revocaret. In oratione assiduus, cui incumbens, plures noctes ducebat insomnes, illud Sancti Doctoris Augustini frequenter usurpabat; Rectè no-

vit vivere, qui rectè novit orare. Nè verò sub modio virtutum Ejus lucerna delitesceret: à Benedicto XI. ad Zagrabiensem Episcopatum promotus fuit. Quo in munere, humilitatis, patientiæ, misericordiæ erga pauperes laude, & præcipuè indefessis in custodiendo grege sibi commisso laboribus adeò enituit; ut Robertus Rex Neapolis, auditâ ejus famâ, summis precibus à Joanne XXII. impetravit, Pastorem illum præfici Ecclesiæ Lucerinæ: ut eam à Saracenorum erroribus, quibus infecta fuerat, expurgaret.

LECTIO VI.

Ad Lucerinam Ecclesiam profectus, novæ Sponsæ suæ maculas à Saracenorum labe expurgaturus; mirum, quas ærumnas, quos labores perpessus sit: donec orationis fervore, prædicationis efficaciâ, morum sanctitate, universum ovile suum, Catholicum videre meruit, Utque illud à quolibet futuro inquinamento servaret immune; Deiparæ Virginis potenti Patrociniô submisit totam Diœcesim, ac præcipuè Urbem Lucerinam, quam mutatô nomine, civitatem Sanctæ Mariæ appellari voluit: quâ nomenclaturâ nostris etiam temporibus, dicta civitas decoratur. Tandem meritis plenus, & miraculorum famâ illustris, animam reddidit Creatori, die tertiâ Augusti, circa annum salutis millesimum treocentesimum vigesimum tertium, ætatis verò suæ septuagesimum; cujus corpus in Ecclesia, quam suo Ordini ædificaverat, honorificè conditum, tôt prodigijs à Deo insignitum ferunt: ut paucis post ejus obitum annis, Carolus Dux Calabriæ, supplices dederit litteras, Joanni XXII. Pontifici Maximo, ut Augustinum Beatorum fastis adscribere dignaretur. Clemens verò XI. ut in toto Prædicatorum Ordine ejus Festum cum Officio & Missa de Communi unius Confessoris Pontificis, celebraretur, benignè concessit.

Lect. III. Noct. Homo peregrè &c. *1. loco.*

V.

Officium in Festo B. Augustini Episcopi Luceriæ, & Zagrabiæ decantari solitum, Joannis 22. Pontificis indulto.

Ad Vesperas super Ps. Antiph.

FOelix Civitas Lucerina, continens thesaurum pretiosum, clarificata es doctrina per novæ lucis radium: gaude plebs, quam Deus tanti Patris meritis decoravit.

Psalmi, Laudate pueri, cum cœteris.

Capitulum.

Quasi Stella matutina in medio nebulæ, & quasi Luna plena in diebus suis, & quasi Sol refulgens, sic iste effulsit in templo Dei.

Responsorium.

Augustinus, Præsul Lucerinus, impetret nobis gratiam, & per ejus merita ipse Deus donet reis veniam, Ut omnes ad illum perducamur, Et cœli gaudijs frui mereamur.

℣. Intercede pro nobis, Præsul Lucerine, fons pietatis.

Ut omnes, & cœt. Gloria Patri. Et cœli.

Hymnus.

ÆTernæ regi gloriæ,
  Devota laudum cantica
  Fideles solvant hodie
  Pro Augustini gloria.
Prædicatorum Ordinis
  Præsul namque almificus,
  Mundi jam fulget terminis
  Civis effectus cœlicus.
Carnis liber ergastulo,
  Poli potitur gloria;
  Pontificali cingulo
  Stola dotatur regia.
Fragrans odor de tumulo
  Cum gestorum frequentia,
  Clamat pro Christi famulo
  Alti Regis magnalia.
Nitamur totis viribus,
  Nectamus preces precibus,
  Ut Augustini meritis
  Cœli fruamur prœmijs
Præsta Pater ingenitæ,
  JEsu cum Sancto flamine,
  Ut Augustini precibus
  Cœli jungamur Civibus.

℣. Ora pro nobis Beate Pater Augustine.
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Ad

Ad Magnificat, Antiphona.

Gaude fœlix parens Dalmatia, novæ prolis dans mundo gaudia, sed tu magis plaude Luceria, tanti Patris dotata gloria: lauda tota Mater Ecclesia, novæ laudis agens solemnia, Aleluja. Magnificat.

O R A T I O.

OMnipotens sempiterne Deus, qui Beatum Augustinum, de Dalmatia, Ordinis Prædicatorum, in verum Præsulem Lucerinum eligere voluisti, quique ei dœmones expellendi, & cunctorum morborum languores sanandi gratiam contulisti; concede quæsumus, ut qui ejus festa percolimus ipsius apud te patrocinia sentiamus. Per Dominum &c.

Ad Matutinum, Invitatorium.

Salvatori nostro laudes decantemus: qui regni cœlestis prœmium Sancto contulit Præsuli Augustino. Venite

Ad Matutinum, Hymnus.

CHriste Salvator omnium,
Rector, spes, & prœmium,
Exaudi vota cordium
Pro sancto gemma Præsulum.
Præsul in fide claruit
Malorum carens nebula,
Christo servire studuit
Sub paupertatis regula.
Corpus afflixit fortiter
In sudore multiplici,
Iter spectans humiliter
Sui Patris Dominici.
JEsum Christum se induit,
Adorans, laudans extulit,
Mentem Divinis imbuit,
Cuncta caduca respuit.
Laus sit Parenti Domino
Laudem canamus unico,
Laus sit amborum flamini,
Per tempora laudabili. Amen.

In I. Nocturno.

Ant. Iste Sanctus gloriosus, tamquam bona arbor secus aquarum decursus plantata, dedit fructum suum in tempore suo. Ps. Beatus vir, qui

Ant. Dominus JEsus Christus, dixit Beato Præsuli Augustino, servus meus es, à me postula: postulavit, & dedit plebem Lucerinam in custodiam sibi. Ps. Quare fremuerunt.

Ant. Sanctus Præsul Augustinus, voce mirifica ad suum clamavit Dominum, & exaudivit de monte Sancto suo. Ps. Quid multiplicati.

℣. Amavit eum Dominus.

Lectio I.

AUgustinus, Civis Traguriæ Urbis, ex nobilibus, & pijs parentibus originem duxit; qui à pueritia Ordinem Fratrum Prædicatorum intrans, & litterarum studijs traditus, gemina scientia, philosophica, & theologica efficacissimè claruit. Adeo etiam fuit purus, innocens, Deum timens, verax, pius, mitis, & ab omni pravo opere abstinens, ut Civitatis Lucerinæ, defuncto priori Episcopo, tempore Pontificatus Sanctiss. Pat. Dom Joannis 22. Divina inspirante gratia, fuerit electus, & confirmatus Episcopus. Infinita verò miracula, quæ Deus per merita ipsius tam in vita, quàm post mortem ostendit, nemo posset lingua reserare. Ex ijs tamen, quæ post ejus mortem facta sunt, nonnulla narrabimus. Die tertio Augusti, quo B. Augustinus obijt, tota Ecclesia Fratrum Prædicatorum plena existente hominibus, qui ad illius corpus venerandum convenerant, Paschalis de Quarato, Comestabulus Capitanei Luceriæ, ne præ nimia multitudine & compressione periculum aliquod emergeret, cùm, ut homines contineret, propius ad foveam, quæ pro tumulo parata fuerat, accessisset, fortiter impulsus, in eam cecidit. Quo casu ensis, quo erat accinctus, de vagina egressus est, & pomo ipsius terræ infixo, erectu mucro benè acutus Paschalem recte per pectus excepit omnino transfigendum; sed Beati Augustini auxilio, mucrone ad pomum curvato, ab omni læsione liber evasit. Tu autem.

℟. Die mensis Augusti tertia, cum tota Prædicatorum Ecclesia hominibus esset plena: Paschalis de Quarato, ex magna impulsione cecidit in foveam, ense suo perimendus: Quem Deus Beati Augustini meritis servavit illæsum. ℣. Hoc primum signum fecit Dominus, post tempus servi sui obitus. Quem Deus,

Lectio II.

DIe vigesimo ejusdem mensis, mulier, nomine Odina, cujusdam de Bononia uxor, cum ex morsu canis haberet tibiam corrosam, rubeam, & tumefactam, concepta devotione,

erga B. Augustinum, ad ejus sepulchrum accedens, & super ipsum aliquantulum requiescens statim perfectè surrexit curata, remanentibus solis foraminibus dentium canis, ad miraculum ostendendum. Eodem die Philippus de Florentia, patiens rigores febriles, cum ad idem sepulchrum accessisset, & devotiùs ibi quievisset, statim curatus ab omni infirmitate surrexit. Ipsamet die Isolda, uxor Nicolai apothecarij de Civitate S. Mariæ, patiens tumorem maximum in gutture, ita ut vix commedere posset, cum ad sepulchrum veniens ibi devotè procubuisset illico tumor evanuit, ipsaque perfectam sanitatem adepta. Die 26. ejusdem Auribella de Fogia, longo tempore à dœmone vexata, ut vix per horam valeret quiescere, ad sepulchrum cum devotione delata perfectè fuit protinus liberata. Tu autem Domine.

℞. Auribella de Fogia, jam diù à dœmone adeò vexata, ut non valeret per horam quiescere, ad sepulcrum cum devotione delata, Perfectè fuit protinus liberata. ℣. Laudetur Deus gloriæ, qui Augustini meritis, mira fecit mulieri. Perfectè fuit.

Lectio III.

Die 27. quidam Guillelmus de civitate prædicta, cum multos annos passus fuisset febrem quartanam, concepta devotione ad merita Venerabilis Episcopi, emissoque voto, accessit ad ejus sepulcrum, ubi devotè orans, ex eo tempore se sensit à febre curatum. Eodem die Raynaldus de Barulo, cùm per biennium passus fuisset gravem dolorem lumborum, ita ut de loco in alium locum se movere non posset, concepta devotione, ad sepulcrum cum reverentia veniens, cum ibi devotè orasset, statim ab omni dolore, & infirmitate curatus est. Die 28. ejusdem, Marcus, filius Angelæ de civitate S. Mariæ, habens à nativitate sua brachium dextrum aridum, & sine ullo usu naturali, ad sepulcrum cum devotione delatus, & supra ipsum parumper procumbens, illicò cum sanato brachio surrexit. Eodem die Guillelmus, filius Philippæ de Luceria, cùm à mense Maij sextæ Indictionis, tunc currentis, ex quadam infirmitate superveniente loquendi usum prorsus amisisset, ita ut nec verbum unicum posset proferre, ad sepulcrum cum devotione accedens, ibique devotè procumbens, continuò pristinam loquendi facultatem recepit. Tu autem.

℞. Romualda de S. Severo, quendam habens Filium, morbo caduco laborantem, Devotè Beatum exoravit Augustinum, Ut illum sibi donaret sanum ac liberum. ℣. Qui ad ejus sepulcrum portatus, protinus surrexit curatus. Devotè. Gloria. Ut illum.

In II. Nocturno.

Ant. O Populi fideles, scitote, quia omnium creator, sanctum suum mirificavit, & ideo lumen vultus sui signavit super eum, dando lætitiam magnam in corde illius. Ps. Cum invoc.

Ant. Domine Deus, omnes, qui spem habent in te gloriabuntur, quoniam tu benedices eis, scuto bonæ voluntatis tuæ coronans eos. Ps. Verba mea.

Ant. O Domine Dominus noster, quàm est laudabile nomen sanctum tuum in toto orbe universo. quia paulominùs gloriosum sanctum tuum ab Angelis minuisti, honore eum decorasti, & super opera manuum tuarum constituisti. Ps. Domine Dominus noster.

℣. Justum deduxit Dominus.

Lectio IV.

Eodem die Margarita, soror Romanellæ de Civitate S. Mariæ, cœca à nativitate, & corpore ita contracto, & curvo, ut nullo modo posset erecta incedere, sed quasi ventrem in terram protraheret, ad B. Augustini sepulcrum cum devotione portata, cùm super ipsum paullulum orasset, & de sepulcri pulvere oculos abstersisset, statim plenè illuminata, extensáque & erecta surrexit ab utráque infirmitate curata. Eodem die Joanna de Civitate etiam S. Mariæ, prorsus contracta, & curva, ut recta ambulare non posset, & omninò surda, quæ nihil audiret, devotè ad sepulcrum accedens, ibique orans ab omni sua infirmitate liberata est. Eodem die Gregorius privignus Joannis de Citraria, ex Civitate S. Mariæ, qui videndi facultatem totaliter amiserat, emisso voto, quòd ad honorem B. Augustini sex missas cantari, & cereum super illius sepulcrum accendi curaret, continuò restituta sibi videndi facultate, vidit. Tu autem Domine.

℞. Herricus de septem Fratribus, Civitatis S. Mariæ habitator, magnis oppressus doloribus, & rarò valens aliquò pergere, Quòd esset toto corpore contractus. ℣. Juxta Beati viri sepulcrum positus, incolumis redijt ad propria suis pedibus. Quòd.

Lectio V.

Ipsamet die filius Bartholomæi Macij de Apicio, qui septem mensibus ambulare non poterat, habens crura omninò contracta, per parentes ad sepulcrum devotè portatus, pristinæ statim sanitati restitutus fuit, & ambulavit ut sanus. Eodem die Joannes de Sanctorello,

lo, & Ballictus Mactelcodis, patientes febrem acutissimam, concepta devotione ad B. Augustinum, dixerunt: ô utinam haberemus paulnlum pulveris sepulcri B. Augustini, quem aquæ respersum biberemus, sicque sanitatem consequeremur: & statim, his dictis febre cessante, perfectè senserunt, se, à qua affligebantur infirmitate, sanatos. Eodem die Romualda de S. Severo, filium morbo caduco laborantem, qui nullis poterat remedijs liberari, ad B. Augustini sepulcrum cum devotione portavit; qui super illud positus, post modicum surrexit perfectè curatus. Tu autem Domine.

℟. Nobilis Helena de Casali novo, vexata semper à dœmone, qui sive hiemali, sive æstivo tempore, rarò sinebat ipsam quiescere: Non aliquo remedio potuit liberari, donec ad sacrum tumulum fecit se portari. ℣. Mirum, & magnum prodigium, factum per Augustini suffragium. Non aliquo.

Lectio VI.

EOdem die Joannutius, filius Joannis Hypoliti Bucerij de dicta S. Mariæ Civitate, cum semper à nativitate usque visu caruisset, ductus à Patre maxima cum devotione ad sepulcrum, dum pergeret, clamavit, Pater dimitte me, quia benè, & clarè video, & absque duce per me pergere possum; sicque miraculosè redditus est sanitati. Eodem die, Flos, uxor Nicolai de Aqua nigra ex Civitate S. Mariæ, singultu gravissimo laborans, cum nullo posset remedio liberari, ad sepulcrum cum devotione profecta, ibique moratus per horulam, statim est à sua infirmitate sanata. Eodem die Leo de Longobuco ex prædicta Civitate, qui à Majo anni sextæ Indictionis auditum ambarum aurium prorsus amiserat, cum emisso voto ad idem sepulcrum orasset, auditum perfectè recuperavit. Tu autem Domine.

℟. Præciosa filia Guarnatæ, patiens in gutture dolorem maximum, amissa loquendi potestate, appropinquabat ad mortem, sed, cum ad sanctum sepulcrum venisset, & de ipsius terra bibisset. ℣. Statim gutturis tumor evanuit, & ipsam Dei gratia sanavit. Cum ad. Gloria. Cum ad.

In III. Nocturno.

Ant. Beatus Augustinus, requiescit in monte sancto Dei, quia vixit in hoc sæculo absque macula, & veritatem semper habuit in ore suo. Ps. Domine quis habit.

Ant. Sublimare, Domine, in potentia tua, quia gloria, & honore decorasti Beatum Præsulem Augustinum, quoniam speravit in te, & à gratia tua nunquam est separatus. Ps. Domine in virtute tua.

Ant. Accipiet benedictionem à Domino, & misericordiam à Deo salatari suo B. Augustinus, qui fuit innocens manibus & mundó corde, nec in vano animam suam à Deo recepit. Ps. Domini est terra.

℣. Justus ut palma florebit.

Lectio VII.

EOdem die, Notarius Odorisius de Monte Odori, ex Civitate prædicta, cùm longo tempore ex dextera auricula nihil potuisset audire, accedens cum devotione ad B. Augustini sepuchrum & nonnihil pulveris, qui erat super illud, eidem auriculæ imponens, statim Beati viri meritis recuperavit auditum. Die penultimo ejusdem mensis, Henricus de septem Fratribus, incola Civitatis S. Mariæ, qui per triennium, graves, & varios dolores passus fuerat in toto corpore, itaut esset omnino contractus: curavit se ad sepulcrum deferri, ubi ab omni sua infirmitate curatus, sanus ad propria pedibus suis redivit. Eodem die Angela, uxor Malafolij de Civitate S. Mariæ, per quadriennium malè à dæmonio vexata, ad idem sepulcrum perfectè est liberata. Tu autem Domine

℟. Bartholomæa de Alesina, filia Severi, quæ fuerat surda, atque muta toto vitæ suæ tempore, Devotione concepta, per Patrem suum delata est ad Beati Præsulis sepulcrum, ℣. Postquam in Ecclesia sacri Antistitis stetit, loquens, & audiens, inde recessit. Devotione.

Lectio VIII.

EOdem die, Matthæus Maccaronus de Civitate prædicta, cum pateretur duplicem tertianam, hausto devotè pulvere sepulchri cum aqua, protinus ab omni infirmitate curatus est. Eodem die Raynaldus, filius Francisci Leonis de Civitate prædicta, calculo laborans itaut multo tempore liberè & sine dolore urinam emittere non posset, ductus à Matre sua, cum ingenti devotione ad sepulcrum, ibi demissa urina absque dolore in magna quantitate totaliter est ab infirmitate curatus. Eodem die Dopreria Helena de Casali novo, per viginti annos à demone vexata, itaut nec requiescere, nec aliquo remedio posset liberari, cùm ad sepulcrum fuisset deportata, statim fuit ab omni vexatione liberata. Die ultimo ejus-

ejusdem mensis, Philippa, filia Nicolai de S. Germano Lucerini, cum ex uno oculo nihil videret, ad sepulcrum per matrem suam cum devotione perducta, statim plenè visum recepit. Tu autem.

℟. Nicolaus Calaber, Civitatis S. Mariæ incola, tristabatur graviter, quod filio infirmo, ac desperato nullum esset remedium, Qui in B. Augustinum fisus, persensit auxilium. ℣. Nam de sepulcro arripiens pulverem, ori infundens, erexit eum sospitem. Qui in B. Augustinum.

Lectio IX.

Die primo Septembris, VII. Indictionis, Mansella de Casali novo, per multos annos graviter à dœmonibus vexata, nullis potuit medijs liberari. Cum verò semel à viro suo ad Ecclesiam B. Mariæ de monte Oliveto, vivente adhuc Beato Augustino, & in suo Lucerino Episcopatu morante, duceretur, cæperunt dœmones altis vocibus clamare, & dicere, faciet nos hinc exire Augustinus, ignorantibus, qui audierant, de quo Augustino dixissent. Mortuo deinde Beato Episcopo, & multa faciente miracula; eadem mulier à viro suo ad Beati viri sepulcrum cum fide, & devotione est ducta. Illis igitur pergentibus, duo ex dœmonibus ad sepulcrum non præsumentes accedere, in itinere de obsessæ corpore recesserunt, bovem, qui in campo pascebatur, mactantes. Cum vero ad sepulcri locum pervenissent, tertius etiam dœmon cum maximo ululatu exiens, mulierem liberam dimisit. Tu autem Domine.

℟. Simon de Barulo, percussus cœcitate, poposcit à filio suo Nicolao, ut se per manum duceret ad Ecclesiam, in qua Sancti Episcopi erant reliquiæ, Ut ijs ad oculos positis, Lumen mereretur accipere. ℣. Respiciensque S. Præsul ejus fidem, ac pietatem, ad reliquiarum contactum præstitit sanitatem. Ut ijs ad oculos. Gloria. Lumen.

Ad Laudes, Antiph.

Testimonia tua, Jesu benigne, credibilia facta sunt nimis, & ideo sancti tui meritis, Ecclesiam tuam decet sanctitudo in longitudinem dierum. Ps. Dominus regnavit. Cum reliquis.

Fideles populi gaudete in Domino, ac in lætitia magna toto cordis affectu ei servite, quia tam preciosum thesaurum Civitati præbuit Lucerinæ.

Benedicamus Deo cœli in vita nostra, & semper in nomine sancto suo nostras manus levemus, qui labijs exultationis concedat nobis laudare nomen sui Præsulis gloriosi.

Patrem, & Filium cum Sancto Spiritu toto corde laudemus, qui corpus tam mirificum residere facit in Ecclesia B. Dominici Lucerina.

Novum canticum cantate Domino, quia semper infinita laus ejus in Ecclesia suorum sanctorum à cunctis fidelibus animo valenti decantatur.

Capitulum, ut supra.

Hymnus.

O Venerande Pontifex,
Augustine dulcissime,
Audi rogantes servulos,
Quærentes in periculo.
Aufer necis dispendia,
Confer vitæ stipendia,
Quò post carnis exilia,
Tecum simus in gloria.
Te nostra sonant carmina,
Et Angelorum agmina:
Infernus tibi ululat,
Fretúmque maris intonat.
O Sidus maris fulgidum,
Absolue nexus criminum;
Et fletus quóque supplicum
Immuta, dando gaudium.
Laus sit parenti Domino,
Laudem canamus unico,
Laus sit amborum flamini.
Per tempora laudabili. Amen.

℣. Justus germinabit &c.

Ad Benedictus, Antiphona.

Benedictus Deus, Rex cœlestis, qui per Beati Augustini Antistitis Lucerini merita, tot in terris operatus est mirabilia: unde lætantur Angeli, exultant Archangeli, & omnes electi, una voce canentes, semper dicunt, gloria tibi Domine.

Ora-

Oratio.

PRæsta, quæsumus, omnipotens, & misericors Deus, ut, qui Beati Augustini Episcopi Lucerini gloriosi solemnitatem devotissimo celebramus officio, & temporalem nobis suis precibus tranquilitatem tribuat, & vitam conferat sempiternam. Per Dominum nostrum Jesum Christum &c.

VI.

Prosa sive Cantus qui in Cathedrali Ecclesia Zagrabiensi, Die III. Augusti, Die nempe S. Augustino Sacra, *post* Graduale *solet in Choro decantari.*

EJa plaude laudis pange corde gaude voce clange magno tuo Præsuli
Tuo Duci, nunc ad Aras tuæ luci rede claras gentes urbs Zagrabia
Nam Millenis te coronat & amœnis adhuc ornat Infulas Splendoribus
Illas Presul olim rexit, isthinc Exul non neglexit, Translatus Lucerniam
Augustine clarum lumen, quem Divinæ Magnum Numen ornat Sol Justitiæ
Ad Amictum tuum stamus cor Invictum te rogamus, da tuis Clientibus
Fide una DEI cultu, velut luna plena vultu Regnum nostrum fulgeat
DEI Cultor vires reddis, stigis ultor mira edis in cunctis prodigia
Cum vis dira Papæ manum vexat, mira res! mox sanum facis tuo Basio
Hic perdices ponit svaves, tu in pisces mutas Aves Presul tunc Zagrabiæ
Hic Aquarum adhuc fontes Tiliarum illic frondes tuæ rarum colunt gentes Tropheum potentiæ
Cœli Flama Augustine pelle Damna cessent minæ, nos inflama Seraphine charitatis ignibus
Tua Virtus fac nos sanet. Deum orbis totus amet, Echo cordis mille clamet laudes summo Numini.
Almo Patri qui creavit, nato qui nos reparavit, Spiritui qui sacravit Laus Honor in Sæcula *Amen.*

VII.

Vita S. Augustini Episcopi Zagrabiensis, quæ in MSS. Sanctorum Illyrij perquam Vetusto reperitur.

„ AUGUSTINUS Civis Traguriensis Urbis, ex Nobilibus & pijs parentibus originem duxit. A pueritia Ordinem Patrum Prædicatorum intrans, talem se exhibuit alumnum, ut cum juvenis ad studia mitteretur, mirabiliter à DEO, servatus à Prædonibus fuerit. Scientia Philosophiæ, & Theologiæ efficacissimè instructus claruit. Cúmque Lectionibus ad discipulos, & ad Populos concionibus, annos aliquod non sine ingenti profectu desudâsset, Eum Benedictus XI. ex Ordine Prædicatorum qui virtutes Ejus Regularem cumprimis observantiam & Sanctitatem, optimè sibi perspectas plurimi faciebat, Romam evocatum, Zagrabiensi Ecclesiæ Anno 1304. præfecit. In Ejus accessu ad beatorum pedum oscula, Pontifex manum dextram chiragra laborantem ad osculum ipsi oblatam, post AUGUSTINI osculum sanam retraxit. Pontificiæ mensæ jussus accumbere, perdices sibi oblatas (cui alioquin carnes ex suæ Religionis instituto commedere non licebat) in pisces convertit. Inde ad Michaëlem Strigoniensem missus, suum nempe immediatum antecessorem, res cum Eodem nomine Papæ composuit, sibi reddens amicissimum, & ad Zagrabiensem Ecclesiam veniens, eam sanctissime vigilantissiméque administravit. Templum ruinatum à Tartaris iuveniens, & post Timotheum neglectam reperationem continuavit. Suppelectili sacra providit, ornavit. S. Petri Martyris insigni Reliquia decoravit. Clerum exemplo, sermonibus, Clero reddidit, Eidémque Ritum Divini Officij, juxta Fratrum Prædicatorum normam servandum præscripsit. Quem ad hæc usque tempora eadem servat Eccesia. Canonicis Zagrabiæ, Chasmæ, normam præscripsit, & ordinem posuit. Fratres Prædicatores ad S. Nicolaum Zagrabiæ posuit, apud eos morari solitus, Episcopum cum Religioso mire exhibens. Post Templariorum sententiam, in Sclavonia Eorundem administer, Annis singulis, de Ambone toti populo consumpta, rationésque dare solebat, ut nemo posset detrahere. Hospitalia idcirco pauperum plura constituit, ad S Petrum pro Leprosis, in Nova Villa, pro ægrotis, ad S. Elisabet, & S. Antonium aliud. Jurium Ecclesiæ

„ vindex. Marcum enim quendam de Calumnia convicit. Castrum Medvedvar oblato „ pretio pro Ecclesia recuperare laboravit. Et complura pro Eadem Ecclesia prædia, pos-„ sessiones comparavit. Tanta autem Servi DEI virtus fuerat, ut testata miraculis perhi-„ beatur. Aquam salutarem precibus à DEO obtinuit, dum siti populus premeretur, ex „ quo confluebant ad S Episcopum omnes, & ex benedictione, vel tactu illius dexteræ, sana-„ bantur. Mirabilia DEI diffusa per alios, ad S. Virum, & Servum DEI concursus undi-„ que. At Is Tiliam benedixit, cujus folijs ægroti sanabantur, & illa, Tilia S. Episcopi „ dicta est. Multa à CAROLO Rege obtinuit, & pro Ecclesia impetravit. Ejus sæpe Le-„ gationibus fungens, & 1319. ad Pontificem, Dalmatiam, & Robertum missus, primùm „ Viarum Compendio usus, Tragurium natale solum accessit, ibidémque Concives suos „ dissidentes conciliare studebat, non Auditus excessit, subdens ingratam Patriam, Ejus „ ossa non habituram. In Apuliam transfretavit, sed Robertus Rex Neapolitani Regni, „ Lucerinam Civitatem Mahometico delirio per Fridericum Imperatorem, & Siciliæ Re-„ gem, intra aliquas Civitates Neapolitani Regni, expurgari cupiens, Augustinum fama de „ Apostolico Ejus Zelo Latè volitante, à vinculo Zagrabiensis Ecclesiæ Authoritate Joan nis „ XXII. summi Pontificis absolutum, LUCERNIÆ præficiendum postulavit. LUCERI-„ NÆ deinde Ecclesiæ postquàm annis aliquod insigni pietate, Sanctitatísque & Miraculorum „ splendore præfedisset Anno Christi 1323 Die III Augusti prope septuagenarius migravit in „ Cœlum. Ejus Corpus Concives Ejus Tragurienses, Noctis beneficio clam auferentes, „ de portu ac Navi, *in* quo illud, in Crastinum fessi, somnum Capturi, de præda verò „ tam opima, jam ut illi rebantur securi, deposuerant. LUCERInam, unde sublatum fue-„ rat, Divinitus remeavit.

Quæ narrantur de Constitutis per Augustinum, pauperum Xenodochijs, firmantur testamento JOANNIS IV, infra videndo, ubi horum Xenodochiorum fit mentio, quamvis ab Augustino fundata non dicantur. Quod *leganti*, inquirendum non erat. Author tamen VITÆ, *traditione* acceperit.

Alij quoque plures *Vitam* AUGUSTINI scripserunt uti Plodius, Ferrarius, Joannes Tomeo &c. quos vide sis.

XXII.
STEPHANUS III.

AUGUSTINO Sancto, à CAROLO Rege Successor, datus, ac à Joanne XXII. confirmatus, ex Confessario Reginæ Franciæ & Navarræ, sororis uterinæ D. CAROLI Regis, CLEMENTINÆ nomine, Stephanus iste, ex Prædicatorum Ordine fuerat. Uti istud, non solum MSS vetus, Joannes Archidiaconus de Gvercse, isto vivens tempore, sed & Liber Ecclesiæ Zagrabiensis, *Statuta* vocatus, perhiberent. Adjungendo, exiguo eum Ecclesiæ Zagrabiensi præfuisse tempore, cum per eundem JOANNEM Papam, ad Ecclesiam CHORISOpricensem, in Eodem Regno Franciæ sitam, translatus fuerit. Circa Annum 1322. An Zagrabiam, Sedémque suam viderit, non constat. Nullam Ejus in Diplomate aliquo Regis, memoriam vidimus. Vigilantia Stephani, absentis licèt, ex duobus Apparet. Primò Caroli Regis, dato ex Temesvar Anno 1219 mandato ne Decimatores Episcopi aliquam pecuniam solvere debeant, cum in Nobilium vilis, ad dicandum admittuntur. 2dò. Joannis XXII Pontificis, Kalen. Octobris Avenione scriptis litteris, Quibus, Committit Quinque Ecclesiarum, Bosnensi & Tinniniensi Episcopis, ad preces Stephani Eppi Zagrabiensis, & Capituli quoque Zagrabiensis, ut eos, qui Ecclesiæ hujus Bona diripuerant, ad restituendum per Censuras cogerent, de Eodem Anno 1219.

His temporibus Mladini Insolentias, quas *Lucius* & MADIUS describerent; CAROLUS castigaturus, per Zagrabiam, cum viginti & amplius Equitum millibus Spondano testante, ad Partes ivit Maritimas, Captóque *Clissia* MLADINO Bano, eum secum 1322 Zagrabiam duxit, hácve Ratione *Bosnam* integram (quam Spodanus *Rasciam* appellaret) recepit. MLADINus Pauli Bani filius, & Successor, tali Titulo utebatur: *MLADINUS Croatorum Banus, Comes Jadræ, Princeps DALMATIÆ, & secundus BOSnensis Banus.* De hoc Mladino alibi fusius. Zagrabiæ, diutius commorabatur Rex Carolus. Quoniam 2dò Die Quindenarum S. Michaëlis, Joanni Abbati Monasterij S. MARIÆ de Zagrabia, dat Litteras, quibus, mandat Castellanis suis, ut Quinque Marcas Abbati annuè solvat, sicut & possessores, qui hactenus Castrum tenebant, solvissent. Et pro mandati sui ratione ponit: *edocti enim plane sumus, quod Castrum Regium ZOMZEDVAR in terra Ejusdem Ecclesiæ sit exstructum.* & plura alia. Tandem edoctus, de suorum cæde, quos Duci Austriæ in auxilium, contra Bohœmos miserat, in Hungariam reddit, una cum Mladino Bano, Captivo. Videndus *Michae Madius.*

Con-

Contendit Plodius, *Augustinos duos*, Ecclesiæ Zagrabiensis fuisse Antistites, utrumque ex Prædicatorum Ordine, utrumque Beatorum Agminibus insertum. Unum ad *Lucerinam*, alium *Nucerinam*, translatos Ecclesiam. Gazottium, ex S. Palaty concionatore, alium ex Priore Conventus Venetiarum, ut ibidem notatum reperiretur, Zagrabiensis Ecclesiæ Episcopos, fuisse constitutos. III Augusti Unius, VIII Alterius, memoriam celebrari. Sibique de *Nucerino* Episcopo, Cujus memoria VIII Augusti recoleretur, Cathalogi Episcoporum Ecclesiæ Zagrabiensis silentium objicit. Respondendo: Notum esse, Cathalogum illum mancum inveniri, Et ex monumentis Ecclesiæ Zagrabiensis vix sperari posse notitiam, cum vicissitudinibus pluribus, Ecclesia illa Laborârit. Verùm, nisi Stephanus iste, *AUGUSTINI* veniat nomine, AUT 1322 & 1323 (quibus Annis, in Diplomatibus Regijs Zagrabiensis Episcopi nomen reticeretur, sed nec *Sede vacante* scriberetur) Augustinus II fuisset, Zagrabiensis Ecclesiæ, sive à Romano Pontifice, sive alijs constitutus Episcopus, Quando? & qua ratione fuisset, haud assequeremur. Michas MAdius scriptor Coævus, Joannes Archid. 1334 scribere incoans, nullam Augustini hujus faciunt mentionem. Sed nec Diplomata Regia quæpiam. In *Notatis* quibusdam *Secretaria Eppalis*, ibidem extantibus Anno 1320 *AUGUSTINUM* Zagrabiæ Eppum notatum vidimus. Quod si ita est STEPHANO III statim successerit, Et Stephani Pontificatus ad *Menses aliquod* extendendus. NOS credimus, notantis vitio, Annum *1320* ibi notatum, cum 1310, scribere voluisset, at probare non possumus. Ab Anno interim 1326 *Ladislaus* Zagrabiensis Episcopus invenitur. Attamen si verum est, Anno 1328 Fr. Ladislaum Archi Eppum Colocensem, cum Augustino Zagrabiensi Eppo, ad Joannem XXII ex parte Hungaricæ Ecclesiæ missos fuisse, *Uti Author Archi Epporum Strigoniensium* perhiberet, Cùm Augustinus Gazottus 1323 e Vivis sublatus fuisset, *Alter Augustinus* missus fuerit; neque iste Actualis Zagrabiensis Eppus, sed qui fuisset *antea*, Anno jam 1328 ad aliam sedem translatus. Quod ex Instrumento 1324, ab Authore Archi Epporum Strigoniensium pag. 56 producto pateret, ubi *Ladislao Zagrabiensi* Legeretur. Fors etiam Augustinus ille de Zagrabia, Cujus superius meminimus, aut alter: fuerit *Nucerinus* postea Episcopus, quem à loco Patriæ, Episcopum Zagrabiensem appellârint. Quare res prorsus ambigua est. Metuimus attamen, ex Augustino Priore Conventus PP. Prædicatorum de Zagrabia (Cui à LADISLAO Episcopo Quinque Ecclesiensi Anno 1323, cum Joanne Abbate Ordinis Cistercziensis B. V. M, ac P. Guardiano Minorum de Zagrabia, fuit delegata potestas causas quasdam pro parte Capituli Zagrabiensis judicandi) scriptum facilè fuisse, Augustinum Episcopum Zagrabiensem. Nil tamen statuimus, Doceri de hoc Augustino omnino Cupidi.

Thomas Kovachevich ad Annum 1323. Notat sequentia: *Quo eodem Anno in tantis persecutionibus & calamitatibus fuit EPISCOPUS* (non ergo vacabat sedes. Utinam Episcopi nomen apposuisset) *& Capitulum ut ferè totus mundus contra Ecclesiam Zagrabiensem visus fuerit conspirasse. Et qui Immensis malis præsens adferret remedium cum alter sperari non posset, Ipsius planè summi Pontificis JOANNIS XXII Assistentia Avinione per Excmissos imploranda erat.* Sed qui illi fuerint Inimici? non Commemorat. Credere est, Joannem Bobonig, ac Mladini sequaces. Pontifex in literis ad Eppos Quinque Ecclesiensem Ladislaum, Bosnensem Petrum, & Tininiensem dat litteras, in quibus sequentia commemorat,

„ Sane Venerabilis Fratris Nostri, & dictorum filiorum Capituli Zagrabiensis conque„ stione percepimus. Quod nonnulli Clerici, & Ecclesiasticæ Personæ, tam Religiosæ „ quam sæculares, necnon: Duces, Comites, Barones, Advocati, Milites, Nobiles, „ & Universitas Civitatum, Castrorum, Oppidorum, Villarum, & alij Laici Zagrabiensis „ Civitatis, & Diœcesis, & Partium Vicinarum, occupaverint, & occupari fecerint, Ec„ clesias, Dominia, Castra Terras, Villas, Vineas, Possessiones, Pedagia, Molendina, „ reditus & proventus, jura, jurisdictiones, ac nonnulla alia Bona immobilia, & mobilia, „ ad eos & Ecclesiam Zagrabiensem spectantia .... Clericos quoque ac Vasallos, homi„ nes, & Colonos in terris & locis ad ipsos, & eandem Ecclesiam pertinentibus, invadere, „ interficere, Capere, Carcerationi mancipare, Equos etiam, boves, & non nulla alia „ sua, & hominum & Vasallorum ipsorum in prædam abducere, ac domos ipsorum incendio concremare præsumpserunt, &c. Mandat memoratis Episcopis, ut simul, vel divisim Constituti Contra hujusmodi violatores libertatum, & jurium ac Bonorum Ecclesiasticorum per Censuras procedant. Hæc ex quo omnia accepimus Kovachevich.

XXIII.
LADISLAUS I.

IN Diversis Regijs Diplomatibus Anno 1324, Legere est. *LADISLAO Zagrabiensi.* uti vide sis pag. 56. Archi Epporum Strigoniensium. Et cum Ultimo referatur loco, credimus Ladis-

Ladislaum, Eodem Anno Episcopatum fuisse consecutum. Ultra Annum Episcopus vix fuerit, vel si fuit, Menses illi aliquod addendi venient. An mortuus? vel translatus fuerit, ignoramus. Ejus tamen temporibus, CAROLUS REX, confirmat Privilegium Andreæ II Regis, de reddendo Sale, Capitulo Zagrabiensi. Mandat iterum, solutionem Canonis, Abbati B.V.M. à Castro ZOMZEDVAR. Facta quoque invenitur Compositio intra Zagrabiense Capitulum, & Philippum de GRANANA, Prioratuum Almæ Urbis, & Hungariæ Priorem, ratione Decimarum, in Bonis Ordinis Cruciferorum.

Capto Mladino Bano: Carolus Joanni Bobonig Comiti de Velizan, Croatiam, & Dalmatiam Regendam credidit. Sed is à Rege deficiens, Comiti Georgio (quem Mladini Fratrem scripsit Ritterus) adhæsit. Hinc à Carolo Joannes exauctoratus, in Banatu Sclavoniæ NICOLAUM Comitem Supronienſem Successorem accepit. Hic Anno 1323 à Carolo missus in Croatiam cum Ingenti Ungarorum Cumanorúmque venit exercitu, superatísque Joannis à Bobonig obstaculis, percussis, cæsis dissipatis videlicet Joannis Castris, Spalatum Intrat. Celebratísque Comitijs, Croatas in Concessa terrarum libertate, quam Antea Carolus indulserat, Confirmat. Comitibus Veniam tribuit, Georgio Miholovich Provinciam regendam nomine Voivodæ tradit, Ipséque in Hungariam revertitur. At Benignum Reis esse, Reipublicæ persæpe nocuit. Vix discesserat NICOLAUS Banus, nova cuduntur Consilia, Dalmatæ & Veneti in societatem vocantur. Anno 1324 die VII Junij, Prodit iterum cum exercitu GEORGIUS, verùm à Neliptio: Georgio Mihovilich, & Friderici Segniensium Comitis, Rebellium dissipata turma, Capto ipso Georgio Comite, Bajamonte, Bubana, alijsque. Significantur Universa hæc CAROLO, Qui, Michaelem Sclavoniæ Banum, & Comitem Simeghienſem (MIKCS, Michaz, Mihacz, idem Banus scriptus etiam Legitur) in Croatiam cum exercitu. ad opprimendos novos motus, fœdúsque cum Venetis initum Anno 1326 expedit. Quamvis autem ab omnibus receptus honorificè Michaël fuerit, tamen Croatiæ Comites aggredi non ausus, Castris tantum filiorum Bobonig in potestatem redactis, abijt. Plura de his alibi. Ex quibus tamen, qui his Annis Sclavoniæ Banatum gesserint, advertere est.

Subditi quoque Capituli Zagrabiensis. de sub Montibus vocati, Anno hoc 1325, Inobedientes & Rebelles fuère. Rem hanc ut accidit, an quis perscripserit ignoramus. Credimus à Bobonig concitatos. In jus Anno 1326 vocati Leguntur, & ad continendos, Coercendósque, hoc modo in Prædia Canonicorum divisi. „ Villa Bachun divisa est in Portiones Quinque, Quarum singulæ Quatuor Sessiones Colonorum SEREB vocatas continent. S. SIMONIS in portion. 6. adjuncta Una Sessione in villa dicta Nigri Stephani, & altera in Deschevcz, ac 3tia in Godegoijcz. DESCHEVCZ in duas portiones, seclusa Sessione una supradicta. CRITANOVCZ in portiones tres, addita una Sessione in Superiori Ternava, TERNAVA ipsa in 4 portiones supersunt in illa Sessiones duæ aliæ. BIDRAGH in portion. duas, præter Prædialem ibidem. NIGRI STEPHANI in Portiones duas, supersunt Sessiones duæ, præter supra nominatam, quæ junctæ alijs duabus de „ Ternava faciunt portionem tertiam. VIDOVCZ in Portiones tres. Hanc Divisionem Geor. Marcellevich authumat 1306 factam, occasione supra memorati Rusticorum tumultus, dicens errorem in Anno se credere irrepsisse. At nobis verosimilius est, divisionem hanc, Anno hoc 1326 quemadmodum & in litteris notatur accidisse, potissimum, ex contextu instrumenti, in quo Capitulum sæpius jam, rebellione Villæ Communis de sub Montibus exagitatum fuisse exprimitur. Hinc ad Coercendos subditos, divisionem Institui oportuisse,

XXIV.
JACOBUS I.

NEc Cathalogus, Ecclesiæ Zagrabiensis, nec ullus hactenus Jacobi hujus meminêre. Eum tamen Cathalogo Inserendum MSS evincunt, quin refferente Georgio Marcellevich, ex Duobus Instrumentis, à Carolo Rege, Privilegia super *VERTUS* confirmantibus, & in concessis à Bela Libertatibus, Incolas VERTUS firmantibus, JACOBUS Electus Zagrabiensis invenitur. Ritterus quoque, se ex subditorum Litteris, Jacobum hunc eruisse fatetur. Ad finem Vergente Anno, 1325. electus Nominatúsque fuit Zagrabiensis Antistes. Ex Majori Ejusdem Ecclesiæ Præposito, & ætate jam decrepita. Hinc antequam à Romano Pontifice confirmaretur electio. Idem 1326, Die 5 Julij vivere desijt. Ex Domo Præpositturæ suæ delatus ad tumulum, & intra Episcopos sepultus. Jacobi hujus, ut Zagrabiensis Præpositi, magnum in Ecclesiam studium, & indefessam Curam, tot tantæque perhibent Litteræ, quas vel firmari à Carolo procuravit. vel novas obtinuit. Sententiæ Item Judicum, in Revindicandis Decimis, Item servandis Immunitatibus. Ad Regem Carolum missus, Statuum Sclavoniæ nomine, bis fuisse invenitur. Sub Augustino Sancto, Stephano, Ladislao præfuit Ecclesiæ, & quà Generalis Vicarius, Multis Annis rexit Diœcesim. CA-

CANONICORUM ZAGRABIENSIUM, ex diversis instrumentis, annis his, hæc eruimus nomina. Jacobus *Præpositus major.* Cui successit Jacobus alter ex Capellano Regio. Petrus *Lector*, Joannes *Cantor*. Petrus *Præpos. Chasm.* Demetrius *Archid. Vasca* Capellan. Regius, Vicarius Generalis. Martinus *Arch. Chasmensis.* Georgius *Decanus.* Præterea *Joannes* Abbas Monasterij B. V. M. de Zagrabia. *Augustinus* Prior Prædicatorum de Zagrabia. *Benedictus* Abbas B. V. M. de Toplicza. *Joannes* Cantor Chasmensis, *Peckmanus* Judex Lib. Regiæ Civit. Græcen. Zagrab. Anno 1324 *CHANADINUS* ita enim Marcellevich notat quod *Elisabeth Regina Chanadino Præposito Varadiensi, Secretario Cancellario, & Comiti Capellæ Caroli Consortis ipsius, filio condam Comitis Thomæ, filij Pancratij, de Genere CSANAD, possessiones Reginales Zebun & Vosod in Comitatu Zatmar donaverit 1321. & statui curaverit, per Conventum S. Stephani Promontorij Varadiensis.* Quas ipsa 1323, IV Kalend. Decembris, ad preces Chanadini jam tunc Episcopi Agriensis, per manus *Henrici* Episcopi Vesprimiensis, Aulæ suæ Cancellarij confirmaret. Idem Chanadinus postea Strigoniensis. Quæ se ex monumentis, Annotâsse scribit.

XXV.
LADISLAUS II.

Ladislaus iste, post Mensem Julium, Zagrabiensis Ecclesiæ, nominatus fuerit Episcopus; Cùm in Diplomate CAROLI Regis 1326, IV Kal. Augusti confirmante omnia, tam Eppi, quam Capituli Privilegia, & alia quæcunque Injusta & Contraria annulante, *Zagrabiensi sede Vacante* legatur. Eodem tamen Anno 1326 initium Episcopatus Ladislai, ponendum. Enimverò in diversis Legere est. *DEMETRIUS Archid. Vasca, Capell. Regius, Canonicus Zagrab. & Ladislai Electi Eppi Zagrabien. Vicarius.* Præterea Eodem Anno, feria V. post Festum S. Andreæ, Idem Demetrius *Ladislai Electi Eppi Zagrabiensis Vicarius* PUNEK Comiti Zagrab. pro Tribunali in Toplica sedenti, exhibet Caroli Regis pro Ecclesia Zagrabiensi de Dato Vissegrad, tertio die post Festum S. Margarithæ expeditas, Litteras. Quibus exponit, Per quosdam injustos Contractus, & debitis solennitatibus carentes, plures ab Ecclesia Zagrabiensi Possessiones alienatas esse, Quare præcipit in Diœcesi Zagrabiensi omnibus, ut apud quem Episcopus, vel æconomus Ecclesiæ, invenerit eas possessiones, ut justitia mediante, possit eas, debeátque vindicare. Jubet insuper secundùm Legem DEI & Ecclesiæ in specie solvi Decimas. His acceptis Litteris, Bona *Hrasztovicza* ab Eppo Zagrabiensi, *Vinodol* verò à Capitulo, fuisse violenter usurpata, à BOBONOGIJS, Demetrius edocuit, hinc utrumque, per sententiam in Octavis S. Andreæ recepit. Quod liber Zagrabiensis Ecclesiæ, hæc de Ladislao contineat. *LADISLAUS de KOBOL per Provisionem Joannis Papæ, tempore Caroli. Hic Decimas procuravit Augmentari, & Castrum Hrasztovicza obtinuit in lite pro Ecclesia Zagrabiensi, coram Judicibus datis ad hoc, per Regem Carolum, à Joanne Bobonig nunc Magistro Tavernicorum Regina Elisabeth, filia Ladislai Regis Poloniæ, Consortis Caroli Regis. Et postea fuit translatus in Archi Episcopatum Colocensem per Clementem VI.*

Episcopi LADISLAI magnitudinem, tanta monumenta testantur. Primæ illi curæ, juribus providere Ecclesiæ. Hinc de reddendis in specie Decimis, solicitum testantur, non solum Sententiæ Judicum, sed & mandata Regia. 1327. de reddendis à Campo Zagrabiensi, in natura Decimis, Mandatum CAroli, illudque gravius invenitur. Anno 1328. Inquiri curat, Ratione Medve, uti Capituli Albensis *Relatoriæ* Cap. XI. relatæ testantur. Eodémque Metas, intra Civitatis & Capituli terras renovat, CArolo Rege confirmante Ac postea LUDOVICO, Sigismundo, & alijs. Anno 1329. Kalend. Januarii ad Capitulum dat litteras, quibus universa & singula, Augustini Eppi Zagrabiensis Statuta confirmat, mandàtque ut Quivis per se si potest, secundũ Cantoris, vel ejus Succentoris, dispositionem sua in Ecclesia impleat officia, secus per alium, *Juxta ordinationem* dicens *Venerabilis P Augustini, Sanctæ memoriæ Episcopi Zagrabiensis.* Istis, sua etiam addidit. 1335 constituit, eum Conductorem, in Majoribus rebus potiorem esse, qui duas Marcas plus aliis promitteret, in minoribus, unum saltem fertonem. 1336 desolari vineas Beneficiorum prohibet, & si quis desolaverit, damnum persolvat. Et 1340 Colonos ex terris Ecclesiæ Profugos, Vineas aquisitas, eoipso amittere, constituit. Determinavit Insuper, Divisionum ut vocamus Decanalium pro Neo-Electis Canonicis terminum, videlicet Festum *S. Georgii* pro Blado. *Assumptionis* pro Vino, *Martini* pro porcis, *Thomæ Apostoli* pro Arendis Decimarum. Idque *usque Officium Vespertinum & Completorij cum Salve Regina vel alia Antiphona B V. in Ecclesia Cathedrali finiatur Intelligendo.* Ex quo tritum illud emanâsse arbitramur *Georgius metit: bibit Assumptio: Martinus mactat, & numerat Thomas.*

Litterarum Litteratorúmque fuit amantissimus. Joannes Archid. de Gvercse, consilio LADISLAI, scribere & notare, Annorum præcedentium facta incepit. Capitula quoque

Statuta sua, & Privilegia, Authore LADISLAO collegerunt, & in Libros redigerunt 1334. CUriam Ivanich, pro se suisque Successoribus, in amoeno monte primus erexit, ornavit, providit, uti credimus ex statutorum Capituli, per JACObum Lectorem & Canonicum Zagrabiensem exhibitorum 1337. Confirmationis subscriptione *Datum in Castro novo de Ivanich.* CSASmam quoque restaurâsse invenitur, quin frequentiores Ejusdem litteræ Chasmâ expeditæ leguntur, ut potiorem ibi LADISLAUM traxisse moram credamus. de *KAMARCA*, Item possessionem *Vinodol*, *Pesgh*, & *Breszt*, quas antea Abbas Toplicensis in feudum tenuit, aliisque in locis jure revindicavit.

Civitatem inter & Capitulum fecit concordiam contractu intra partes 1339. celebrato. Jus tellonij pro Ivanich in singulis pontibus, pro reparatione tam novi Castri, quàm & fortalicij, norma quâ ad S. Martinum in BOZIAKO exigitur, 1334. obtinet. Necnon 1336. Privilegium Fori in Capituli Zagrabiensis Toplica, *Circa Ecclesiam S. Martini, quod ab olim fuit* (sunt verba Privilegii) ad singulos dies Sabbathi.

Æremitis S. PAULI Primi Æremitæ addictus fuisse ex diversis colligitur. Quoniam 1335. Possessiones eorum quas ipsi usuarent, per sententiam Thatamerii Præpositi Chasmensis immunitat, Et 1340 Quasdam terras ad Ladislai preces, Capitulum: Eorum REMEthensi Monasterio confert. Eodem LADISLAO Episcopo Authore, pro Decimis Metlicensibus, in jus VOCATUR HEnricus ac alii, 1339. De quibus pag. 26. & seqq. superius.

Pacis fuisse tempora, sub Ladislao hoc constat, nec ulla reperiuntur tumultus vestigia, in Sclavonia præsertim, Sed nec in Croatia, vel Dalmatia ut his verbis testaretur Lucius, *Quamvis Neliptius Comes Tininij, multa in Croatia contra jus fasque gesserit, tamen quidquam amplius Carolum in Croatia tentâsse, memoriæ proditum non est.* Et recensita morte Caroli Roberti Regis Apuliæ filii, subdit: *In spem recuperandi Regni evectus CArolus, Comitibus Croatiæ suum Statum retinere permissis, Andream filium septennem Neapolim ipse duxit 1333 & sub tutella Roberti reliquit, quem tamen successione Ejus Regni potitum, ob mortem qua interim præventus est, videre non potuit.* Nec Joan. Archid. ulla commemorat. Madius tamen, à Quodam *Merz*, quem SZent-Ivanius Felicianum appellat, Carolum Regem ad mortem quæsitum narrat; circa 1330. & Reginæ manus IV. digitos fuisse amputatos. Merzium ibidem Interfectum. Banum Sclavoniæ *Michaelem*, sive *MiKCS* ab Anno 1325. constanter fuisse, monumenta, Sententiæ, palam faciunt. 1342. Die XVI. Julii notante Joan. Archid. Obiit REX CAROLUS, cui ut magno singularique Ecclesiæ Zagrabiensis Patrono, parentatum est. Successit Patri CAROLO: LUDOvicus filius. Et Ejus Frater Andreas, Anno Eodem, ROberto Apuliæ Regi.

LADISLAUM Zagrabiensem Episcopum sub Ludovico Rege fuisse Binæ Ejusdem Ludovici Regis perhibent de Anno 1342. litteræ. Quarum Prioribus, Privilegia, jura, Statuta, Ecclesiæ, ad preces Ladislai Episcopi Zagrabiensis confirmat. Aliis: MIKCS Bano Sclavoniæ mandat, ut Decimæ ab omnibus, Ecclesiæ & Episcopo Zagrabiensi solvantur. Anno tandem sequente videlicet 1343, ad Archi Episcopatum Colocensem transfertur æternum sui in hac Ecclesia relinquens desiderium.

CANONICORUM Ecclesiæ hujus, hæc depræhendimus sub LADISLAO Episcopo nomina *JACOBUS* Præpos. major. *JACOBUS* Lector. *JOANNES* Cantor. *PETRUS* Præposit. Chasmen, 18. Junij 1334. mortuus, Cui successit *THATAmerius* & huic 1339 *GREGORIUS*. NICOLAUS Camarcensis. JOANNES de Gverche sive Goricensis. *BENEDICTUS* Kemlek. *DEMETRIUS* Vasca, *LADISLAUS* Chasmensis, *ANTONIUS* Urbocz, *JOANNES* Custos *GREGORIUS* Dragvech, *BARTHOLOMÆUS*, *DEMETRIUS* alter, *DIOnysius* Canonici Zagrabienses, Frater JOAnnes Abbas Toplicensis.

Ex quodam Anni 1327. CAroli Regis, VI. Idus Januarii, Regni verò 27. hæc eruuntur Baronum Regni & Episcoporum nomina „ Per manus Discreti Viri END Albensis Eccles.
„ Præpositi, Aulæ Nostræ Vice Cancellarii, BOLESLAO Strigonien. Fr. LADISLAO
„ Colocensi Aulæ Nostræ Cancellario Archi Episcopis. JOANNE Nitrien. BENEDICTO
„ Chanad. NICOLAO Jaurinen. GEORGIO Syrmien. LADISLAO Quinque Eccl. IVAN-
„ KA Varad. Fr. PEtro Bosnensi. LAUrentio Vacien. ANdrea Transylvan. HENrico Ve-
„ sprim. Aulæ Dominæ Reginæ Cancellario. Chanadino. Agriensi, & LAdislao Zagrabien.
„ Episcopis. Magnificis Baronibus Philippo Palatino, Comite Scepussien. & Uyuar, ac Ju-
„ dice Cumanorū DEMETRIO Mgro Tavernicorum nostrorum, Comite Bascien. & Tren-
„ chinien. Comite Alexandro, Judice Curiæ Nostræ, Thoma Vaivoda Transyl. & Comite de
„ ZOLNOK, MIKCS Bano Totius Sclavoniæ, Comite Simighien. & de Saros, PAULO
„ Bano de Machov, Comite Syrmien. de Valko, & de Budrog. DIONYSIO Mgro Dapi-
„ ferorum Nostrorum. STEPHANO Mgro Agazonum nostrorum, NICOLAO dicto
„ Treutel Comite Posonien. & aliis. Annorum subsequentium ex Diversis Instrumentis, notata

tata habemus, sub CAROLO Rege, Prælatorum & Banorum nomina. Sed cum conveniant cum ijs, quæ Author *Archi Epporum* Srrigoniensium produceret in BOLESLAO & CHANADINO, ideo missa facimus.

Relinquere tamen non possumus Quæ in Anno 1326. suorum Adversariorum, notat Georgius Marcellevich his verbis. 1326. *Extat antiqua littera plicata, an Copia? an Authentica? ob antiquitatem nescitur. In qua CAROLUS Rex, ad preces Joannis Abbatis Ecclesiæ S. Dexteræ, confirmat Privilegium condam BELÆ Regis. In quo idem BELA exponit: Qualiter Simon Abbas Berekis petierit ut Privilegium Regis Stephani Regis JESSE Filij, avi Ipsius Belæ, in quo Universa Bona Monasterij BEREKYS continentur, renovaret, quod Privilegium in se contineret.*

De Dextera S. Stephani Regis ex Privilegio BELÆ Regis Relatio.

„ QUod Anno Regni S. Ladislai Septimo, Christi 1078. Revelata est Dextera S. Stephani „ Regis, quæ in revelatione Ejus corporis furto sublata fuerat, & per MERCURIUM „ Patrem Kapanani Albensis Præpositi. Qui Mercurius postea Ejusdem Ecclesiæ Archi- „ Abbas extitit, in eum locum in quo nunc adoratur ablata, quo audito Ladislaus Rex „ Stipatus Nobilibus, ad eam adorandam & ad corpus reportandam advenerat, sed cum ab „ Eodem Mercurio didicisset, hoc Divino factum esse Consilio, ut eo Sancta Dextera col- „ locaretur, Veritus S. Rex, ne Sanctum Stephanum Regem offenderet, de suorum consi- „ lio, Monasterium ligneum in honorem B.V.M. in Eodem loco fundavit, ac ex suis . . . „ nicis Prædijs dotavit. Moriens deinde ALMO DUCI, ut e muro ædificaret monaste- „ rium commisit. Quod & fecit, COLOmanus deinde Monasterium Tributo per LA- „ DISLAUm Regem dato privavit, illudque filiis Pauli Palatini Comitis, & COR . . . „ Commisit Qui post, Privilegium S. LAdislai combusserunt. Postea verò cum Pijssi- „ mus Rex JESSE Belæ Regis filius hoc comperisset, Monasterium profanatum, ab Agri- „ ensi Episcopo suprema, ac à DED Episcopo Vaciensi, cum consensu LUCÆ Archi Epi- „ scopi Strigoniensis, consectari fecit, Tributùmque restituit, & à Plebano custodiendum „ dimisit. Mortuo hoc Rege JERONIMUS, & CORNELIUS, Abbate expulso, Præ- „ dijsque direptis Monasterio diruto, locum fecerunt desertum. Quare coram Rege Ste- „ phano, Regis JEsse filio, secundum Canones convictos, Idem LUCAS Archi Episcopus „ excommunicavit, denuntiavit. Rex deinde Monasterium restituit, soliùsque Regis, & „ Archi Episcopi Strigoniensis Authoritati subjecit.

Hujus porro meminisse videtur S. Augustinus Gazottus, *in Oratione sua pag.* 109. dum diceret: *Sed Eandem dexteram, reliquo toto corpore, in Cineres recidente, integram adhuc extare, amplissimoque templo ab ipsa DEXTERA denominato, universæ Ungariæ cultui, & venerationi haberi.*

Communicamus hoc Eruditis, totique Hungariæ. MERCURIJ meminit Continuator Bolandi STILTINGUS, in Vita S. Stephani Regis Hungariæ. Rem tamen totam non aperit, uti hæc Littera. Sed ubi Monasterium illud *Berekü*, ab Eruditis Hungariæ informari supplicamus. In Diœcesi hac Zagrabiensi, locus *BERKIS* hodie *Berkissevina*, ad Abbatiam Topusikensem spectans invenitur, sed an Monasterium ibi olim fuerit? necdum eruimus. Non Procul *Hrasztovicza* demonstrarunt nobis 1751 Incolæ, locum quendam, Quem *S. Stephanu Regis* dicunt, at traditione res hæc Superior, loco illo, tantis Sæculis, vastato toties. In Cathedrali hac Basilica servatur DEXTERA, verum hanc S. Regis esse Ladislai creditur, prædicatur, de qua parte II Uberius. JERONIMUS & CORNELIUS fors PAULI PALATINI filij fuerint. Et locum *BEREKIS* Ex Episcoporum Agriensis & Vaciensis officio, ibidem fuisse ominamur, & fors in Agriensi Diœcesi ob vocem *SUPRÆMA*, quod crederemus significare *ORDINARIA*. Interim ut præmisimus, doceri; & Eruditorum Sententias experiri supplicamus.

XXVI. JACOBUS II.

JAcobus de Placentia, Primo CAROLI Regis Physicus, dein Benedicto Chanadiensi Episcopo 1333 Successor datus. Tandem sub Ludovico Rege 1343, ex sede Chanadiensi translatus, LADISLAO sufficitur. Ut Joan. Archid. & Cathral. Zagrabien. fidem facerent.

Stephanus & Akus, Michaëlis Bani filij, à morte Patris, Capituli plures occupaverant Possessiones, nominetenus *Pralaka*, *Vinodol* prope Hrasztoviczam, *Zlanoch*, *Blatto*, Medietatem fructuum portus S. Jacobi, Possessionem *Lontea*, Decimationem de Kemlek Decaniam Vocatam. Vineas capli, *Bakolcza* sive Bukovcz: Erant Ipsi possessores Medved, & per Capituli inimicos, causà Decimarum præcipuè, ad violentias has concitati. Sed dum co-

ram Rege LUDOVICO in jus Vocarentur, se inductos confessi sunt. Universaque occupata sub veris metis remiserunt. Quare Ludovicus 1343 feria 6ta ante Festum S. Georgij Capitulo Quinque Ecclesiensi mandat, ut convocatis Vicinis præsente Nicolao dicto *Tulech*, homine Bani, metas Capituli reambulent, Quod & factum, nemine Contradicente, & Rege Ludovico approbante, uti dicetur Inferius. Anno autem 1344 Nicolaus Sclavoniæ Banus, mandato Regis aufert Tributum in villa vicus latinorum vocata, ab se, violenter intrusum, datque litteras, in quibus Commemorat: „ *Quod cum nos* ex Gratia Excellmi Prin-
„ cipis Domini LUDOVICI Dei Gratia Regis Hungariæ Dignitatem Banatus Sclavoniæ fuis-
„ semus adepti; adhibuissemúsque curam diligentem Unumquemque & maximè Matrem S.
„ Ecclesiam conservare in suo jure juxta Ejusdem Principis mandatum hac de re Speciale,
„ Quia tamen subito nequiveramus omnia nobis incumbentia Pensare ad plenum, contigit
„ quod inductione quorundam, quæ nobis tunc justa videbantur tributum exigendi, & lo-
„ cum tributi ordinavimus, & ordinari fecimus in Villa Vicus Latinorum vocata, apud Ec-
„ clesiam S. Antonij Zagrabiæ, in Civitate videlicet Venerab. in Christo Patris, & Dni Jaco-
„ bi Eppi Zagrabien. & Ecclesiæ suæ. Tandem quia per Privilegia Ecclesiæ ipsius, & Infor-
„ mationes Proborum Virorum nobis Constitit evidenter, quod dictum tributum ibi positum
„ erat, Contra Privilegia Ipsius Ecclesiæ, & Nostram conscientiam, ideo nolentes Contra
„ libertatem Ecclesiasticam procedere, de dicta Villa Dni Eppi, præfatum tributum tenore
„ præsentium, & per præsentes removemus, & duximus removendum, & specialiter quia
„ Dnus, Dnus Noster Rex, per suas litteras speciales nobis mandavit, quod de dicta Villa,
„ præfatum tributum removere deberemus. Datum Zagrabiæ III Die post 8vas Paschæ
„ Anno Dni 1344.

Anno 1346 ad revindicandas Fundationales possessiones suas Kobilia, Zviblian, Narth &c. Capitulum promovet Contra Civitatem Processum, coram Laurentio Tavernico, vigore Privilegij Regis Caroli à Ludovico Confirmati. Qui tardius postea finem habuit. 1347 Capitulum Considerando paupertatem PP. Paulinorum B.V.M. in Capitulari districtu Zagrabiensi Remethe Vocato fundatorum, Quasdam terras cum Vineis, nemoribus, silvis alijsque utilitatibus adjacentibus Ecclesiæ B. V. M. donavit Monasterio Eorundem. Decimis tamen ab ijsdem terris Capitulo reservatis, exceptis solum ijs terris, quas Ipsi Fratres proprijs suis laboribus, & expensis excolerent. Addito insuper, ut Fratres, Capitulum, velut eo usque, ita & deinceps, tanquam veros suos Patronos & Fundatores Ecclesiæ agnoscant, & Capitulo non in precibus solum, sed & in omnibus alijs licitis & honestis, pro viribus, & toto posse assistant. Litteras quoque Capitulares super vineis, in eo territorio ipsis donato, ratas habebunt, Contenti Proventibus ab ijsdem Vineis Monasterio Cedentibus, ita ut si possessor Vineæ alicujus à Priore gravaretur, Capitulum Causam revideat. Metas autem ijs terris posuerunt Nicolaus Camarcensis. Joannes Gvercse Archidiaconi, Antonius Urbocz, Joannes Custos, Georgius & Bartholomæus Canonici Zagrabienses, expræssatas in litteris, Datis in Vigil. Nativit. S. Joan. Bapt. cum Sigillo Capituli, & Monasterij appenso, per Nicolaum Provincialem, per Hungariam & Sclavoniam, cum Consensu Fratrum præsentium

1348. Mandatum Ludovici Regis ad Nobiles Sclavoniæ de solvendis Ecclesiæ Decimis, Et Jacobus Eppus Zagrabiensis 1348 feria IV proxima ante Festum S. Ceciliæ Virg. dat litteras, super reambulatis, & renovatis Metis 1346 per Joannem *Cantorem*, Bartholomeum *Custodem* Thomam *Decanum* Canonicos Ecclesiæ Chasmensis, nec non Joannem Sacerdotem Notarium, Capituli Ejusdem Ecclesiæ. Item Petrum Comitem de Dombro, Petrum Comitem Csasmensem. In quibus meminit: *fluviorum* Grabrovnicza, & rivuli Jalsevecz. *Ecclesiarum* S. Andreæ, S. Spiritus, S. Stephani.

Anno Demum 1349 Jacobus Budam ad Regem Ludovicum profectus, tum Causà Negotiorum Ecclesiæ, cùm & Eidem gratulaturus de Regni Neapolitani Victorijs. Ubi in Festo S. Galli Abbatis, Anno Eodem 1349 Vivere desijt.

Præter superius, in Ladislao Commemoratos Canonicos, NICOLAUS de VILAKO *Lector* & C. Zag. invenitur, Item LADISLAUS Præposit. Chasmensis, sub hoc JACOBO Episcopo.

XXVII.
DIONIJSIUS.

Filius LACZK per translationem Clementis VI de Eppatu Tininiensi, Jacobo successit. Præfuit Ecclesia Uno mense, & modicum plus, translatus ad Colocensem Archi Eppatum, tempore LUDOVICI Regis. Atque hæc universa est, Quam habemus de Dionysio memoria. Hanc Cathalogus Ecclesiæ suppeditat. Tardius Confirmationem suæ translationis Dionysius Romà obtinuerit,

nuerit, cum in Regijs tot Diplomatibus, Anno adhuc 1352, *Electus Colocensi* gatur. Liceat nunc, ad alia modicum digredi.

LUDOVICUS REX mortuo Patre, statim à suscepta Regia dignitate, Saxones & Transsylvanos domans, de Conjungendo sibi per Andream Fratrem Neapolitano Regno solicitus. Matrem Elisabeth in Apuliam 1343, per Zagrabiam, Segniam, Jadram, horumque Naves (uti apud LUCIUM pag. 219 demonstrant Ludovici ad Jadrenses litteræ) promovet. Quæ Romam indubiè venerit, effeceritque ut *JOANNA* suprema Roberti deficientis voluntate, tanquam Ejusdem Neptis, constituta & proclamata Regina sub finem Augusti Coronaretur *ANDREA* Joannæ Marito fratre Ludovici, DUCIS Calabriæ titulo insignito. Ludovico Rege interea per Nicolaum Sclavoniæ Banum Tinninium aliáque Dalmatiæ & Croatiæ oppida, de Civilibus discordijs purgante: quin 1345 cum Exercitu 25 millium Galeatorum Equitum, & Bosnensi Bano, ad mediterraneam Croatiam Bihachium usque, LUDOVICUS Rex pervenit. Quo Adventu intellecto, territi Comites Croatiæ Maritimæ, Tininium tradit Joannes Nelipty filius, & *Comites Corbaviæ* Cœterique Claves Castrorum, Regi in signum fidelitatis obtulêre. Civitates quoque Dalmatiæ, ad Castrametantem Bihachij Ludovicum, suos cum donis & Xenijs destinant Nuncios, Jadrenses præcipuè qui Regi fideles fuêre, ut eorum inductu omnia Croatiæ Castra Regi tradita fuisse Ipsis exprobraretur. Metus Ludovici apud Venetos, alibique magnus, Quoniam Neapolitanum Regnum ad ipsum devolvendum Credebatur, Poloniam quoque Ipsi ab Avunculo CASIMIRO Poloniæ Rege destinari, Latebat neminem. Sed fata Stiterunt Ludovici progressus. Intellectis ijs, Quæ AVERSÆ cum Andrea fratre acta sunt, reddire ad Hungariam cogebatur, Credita Provinciarum harum cura, Nicolao Sclavoniæ & Croatiæ Bano cognomine Lazkovich. Cum Bano BOSNIÆ, Qui, abeunte Rege, & Res Hungariæ disponente, auro Corrupti Veneto, Res Dalmaticas, ut similes solent, procurabant. Imò Gregorius Corbaviæ Comes, alijque, ad Venetorum Stipendia transiverunt. JADRA Ludovico Regi, fidele permanente. Hanc 1346 Cingunt, premunt, oppugnant Venetæ, Jadrenses per Litteras, Nuncios orant Ludovici præsentiam, maximè postquam præfati Bâni, Urana, sive Aurana, in locum mandati per Regem Succursus, retrocessissent. Itaque Rex ijs succurrere volens, Die 2. Junij *Semelnici* septem millia-ribus distante JADRA loco, Castra metatus est. Et X Julij prope Civitatem advenit, Jadrensibus spondens, aut sibi moriendum, aut Ipsos liberandos fore. XI. Die, oblatas Civitatis Claves accipit, & cum toto adveniens exercitu Bastidam obsidet, & pro ea oppugnanda Machinas de Civitate extrahit. Pars utraque sua facit fortiter, & tandem Neapolitanarum rerum Causa, Inducias Veneti, & Rex constituunt. Bello ad Annos Duos, & sex menses protracto. Sed vix abeuntibus Ungaris, Plebs tumultuare Cepit, & licèt Civitatis Rectores fecissent omnia, Civitatem Venetis tradi oportuit. Itaque XXI. Decembris reserantur Januæ, turres & fortalitia exercitui traduntur Veneto, Regium, vexillum è foro removetur, & S. MARCI reponitur, Novæ Constitutiones proclamantur, & juramentum fidelitatis Venetis præstatur, Die 23 Decembris. Sequentis verò Anni 1347 Die 24 Januarij arma Civibus adimuntur, & 27. Nobiles Cives 50, Venetias mandato Ducis transmittuntur. Copiosius de his Lucius, & Scriptores alij. Quid LUDOVICUS egerit, dicetur Inferius. Nunc De Neapolitanis rebus, breviter.

ANDREA, contra Carolum Dyrrachij JOANNÆ Reginæ Patruelem, Romæ triumphante, Decretúmque sibi Regnum, brevi accepturo, ut Episcopus Carnotensis Guillelmus, Neapolim ire jussus ad Inaugurandum Andream fuerit, LUDOvicus Frater, in Hungaria disponit ad tantam solennitatem omnia, ut propterea ex Dalmatia reddivisset, Sed XV. Kal. Octobris 1345. à conjuratis Aversæ strangulatur Andreas. JOANNA Regina & Conjuge, Mariti mortem haud vindicante, quin Ludovici Tarentini Nuptias quærit, & 1347. Die 20. Augusti init. Ludovico, non solum Joannam apud Pontificem accusante, sed cum LUDOVICO Bavaro fœdera jungente, & res Dalmaticas componente, & ad Fratris vindicandam mortem sese disponente, à Pontifice Romano per Legatos, jure hæreditario sibi debitum Siciliæ Regnum postulat 1347. sed ob fœdera cum Bavaro ex communicato innita, nec admissis LUDOvici Legatis, Ipse tandem præmissum secutus exercitum, sumpto 3. Novembris ex Hungaria Itinere, Veronam 2. Decembris pervenit, ubique honorificentissimè à Principibus exceptus. CARdinali Bertrando, Legato Pontificis, acrius dedisse Ludovicum responsum, ex Villanio narrat recensetque Spondanus, ac tandem celebratis Natalibus Domini, Sulmone, Anno sequente 1348. 11. Januarii Beneventum appulisse, ac 17. Aversam. Ubi eodem loco quo Frater suus Andreas enectus fuerat, CAROLUM Ducem Dyrrachinum, exprobrato facinore, nec admissis precibus, jugulari in momento præcipit. Fratres autem CAROLI, LUDOVICUM & Robertum, nec non alterum Robertum Imperatorem Constantinopolitanum dictum: Principem Item Tarantinum, Fratrem majorem LUDOVICI Viri Joannæ cum minore Fratre Philippo, in Hungariam deportat, sive

ut necis conscios, sive ad rerum suarum securitatem. JOANNA cum LUDOVICO Avenionem sese recipientibus. Neapolim inde petens, magistratu mutato, Regno peragrato, & Hungaro milite ad præsidia posito, & administratore relicto (Quidam volunt Stephanum Vaivodam Transylvaniæ fuisse; quidam, & præcipue Itali CONRADUM, Ejúsque Fratrem GILfortium Lupum, Nobiles Germanos) ob sævissimam 1348. pestem, de qua Nationum omnium Europearum Scriptores, pœnæ Diluvij universalis, eam comparando copiosius scriberent, in Hungariam 24. Maij recessit. Eodémque Anno Joanna Civitatem suam Avenionensem, Clementi Pontifici, & Romanæ Ecclesiæ, cum juribus omnibus vendidit precio 89. milium florenor. Auri de Florentia, ut Spondanus perhiberet.

Anno iterùm 1250. LUDOVICUS à Gubernatoribus evocatus, Neapolim reddijt, & universum ferme Regnum, quà vi, quà deditione obtinet. Vitæ periculum bis subijt. Obsidione primùm *Canusij Oppidi*, ubi per admotas Scalas inter primos subiens, Lapidibus deturbatus, & penè contritus est. *Aversæ* dein, in cujus oppugnatione pedem retulit, Sagittæ vulnere confossum. Ac victor licèt, à *Gvidone* Cardinali de Bononia, Apostolico Legato, concordiam solicitante, ita pactus est: *Ut* ad Mensem Aprilem sequentis Anni induciæ sint. *Ut* Reges utrinque Regno excederent. *Ut* causa Joannæ diligentius à Sede Apostolica dijudicetur. *Ut* convicta jure Regni excidat, & Ludovico conferratur. *Ut* purgato licèt Crimine, nomine sumptuum Tercenta Florenorum aureorum milia Ludovico pendantur. Quibus transactis ad consequendum Sacrum Jubilæum Romam, inde in Hungariam reversus. Anno 1351. Joanna absolvitur. LUDOvico Rege iterum ad bella sese disponente, sed præter omnium opinionem placato, ut Joannam cum Lndovico Coronari admitteret, quin stipulata pro sumptibus Tercenta milia relaxante (ne ex avaritia ut dicebat bellum suscepisse arguatur) & demùm deportatos in Hungariam Principes, libertati restituente. Joan. autem Archidiacon. ad Annum 1352. hæc annotavit: *in questo Anno rese il Regno di Napoli a petizione di Papa Clemente.* De his diffusè VILLANIUS, SUMONTIUS, brevius Bonfinius, Lucius. BOcatius, Petrarcha, alijque Scriptores. Quos Lector videas. SPONDANUS Item alijque. A quæstionibus, cùm ex Instituto non scribamus, præscindendo, quæ hic fieri solent. Uti an Joanna complex mortis Andreæ fuerit? an rea adulterij? an Fr. Robertus, Andreæ Curator, causa motuum fuerit? De quo, quid Sumontius? Petrarcha scripserint, cùm apud eos, tum Spondanum videre est. &c. Proinde ad Episcopos reddeamus.

XXVIII.
NICOLAUS.

EX Strigoniensis Ecclesiæ Præposito, & Comite Capellæ Regiæ, Nitriensis Ecclesiæ nominatus fuerat Nicolaus Episcopus. Sed ante confirmationem, ad Ecclesiam Zagrabiensem translatus (indubiè ob negotiorum Dalmaticorum molem, & ijsdem melius prospiciendum) Anno 1350. Feria IV. post Octavas Epiphaniæ. Ut ista Cathalogus Zagrabiensis, JOAN. Archidiaconus perhiberent. Thurocius Nicolaū cum LUDOVICO Rege in Neapolitano Regno fuisse scribit Cap. 17. *Item ex Præfatis Reverendus in Christo pater Dominus Nicolaus Episcopus Zagrabiensis qui fuit ibi in Civitate Aversana in Episcopum consecratus.* Fuit Vice Cancellarius, 1461. uti Conclusio Decr. LUDOVICI Regis palam faceret Et sequenti Anno Cancellarius. Loquente istud Confirmatione Litterarum Metalium sub CAROLO erectarum 1328. In quibus LUDOVICUS: Quod *Venerabilis in Christo Pater Dominus NICOlaus Eadem & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Ecclesiæ Zagrabiensis, Aulæ nostræ Cancellarius dilectus & fidelis noster.* &c. Subjungendo *Nos itaque qui ex debito officio suscepti Regiminis Curis & profectibus Ecclesiarum omnium in Regno Nostro Christo militantium, quarum: precum suffragiis non solum temporaliter, verùm etiam spiritualium Bonorum incrementis, in Cælesti patria speramus adjuvari. Earum tamen maximè quæ ad nos specialiori jure Patronatus pertinent, providentiam apponere debemus. Diligenter prædictam Zagrabiensem Ecclesiam per SANCTISSIMUM REGEM LADISLAUM IMMORTALIS memoriæ Antecessorem Nostrum FUNDATAM, volentes in suis juribus & proprietatibus illæsam conservare &c.* Confirmando prædictas litteras, de voluntate etiam *Serenissimæ Principessæ Dominæ Elizabet Inclytæ Reginæ Ungariæ Genitricis Nostræ Carissimæ.* & post pauca addendo: *ut igitur præsentis nostræ Confirmationis, & approbationis series sit perpetuo valitura, nec ullo unquam tempore aliqua suspicionis rubigine, eo quod nunc prædictus Dominus Nicolaus Episcopus Zagrabiensis honore Cancellariatus, & Conservationis Sigilli nostri authentici fulgere dignoscitur possit aliquatenus obscurari, Præsentibus habita matura deliberatione, cum prædicta Domina Regina Genitrice nostra, & Prælatis, ac Baronibus nostris, ex nostra certa conscientia, Nostrum & Ejusdem Dominæ Reginæ Genitricis Nostræ Sigilla duplicia authentica decrevimus foris apponenda. Datum per manus Ejusdem Dni NICOLAI Episcopi Zagrabi-*

grabiensis, Aulæ Nostræ Cancellarii Dilecti & Fidelis nostri Anno Domini 1352. IV. Idus Februarii Regni autem Nostri Anno XI. Venerabilibus in Christo Patribus & Dominis Nicolao Strigoniensi, locique Ejusdem Comite perpetuo, ac alijs uti in Decreto Ludovici, Corpori Juris inserto, unicè quod in hoc nostro legatur *Andrea Transilvaniense, Stephano Nitriense & Blasio Tinniniense Episcopis.* In Inferiori margine prædictarum Litterarum Privilegialium memorati condam Dñi LUDOVICI Regis conscriptæ, continentia verbalis foret talis *Ad perpetuam rei memoriam Nos Ludovicus Rex præfatus, universis declaramus. Quod ubi in Regno Nostro Bosnæ innumerabilis multitudo Hæricorum & Patarenorum pullulâsset* &c. Quoad omnia & singula prouti in Corpore juris, de Amissione Sigilli Regij, excepto solùm, quod in hoc nostro per Z, non S, vox *in UZURAM* legatur.

De NICOLAO isto, aliam non invenimus in Ecclesiæ rebus memoriam, nisi quod ratione Decimarum Metlicensium, lis continuata sub Eodem sit, Et quod 1355. Decimas BEXINatûs, quas Capitulo statim ab inchoato Episcopatu acceperat, litteris suis de Dato Budâ in Octava S. Regis Stephani, restituerit. Quibus exprimeret se Iniquis evasionibus, Decimas Bexinatûs occupavisse, & hactenus possedisse, At Belæ Regis, aliorumque Regum testimonijs, Privilegijs, mandatis, agnoscendo, eas purè & duntaxat, ad Capitulum pertinere, illas & restituere, Capitulo possidendas. Eodem quoque Anno, Confirmationem Privilegiorum, & Litterarum Banalium Mihiz (sive Michaëlis) Bani à Ludovico impetrat. Ubi: *Nos Itaque . . . præsentibus Insertas ratas habemus & acceptas. Et sicut pro fidelitatibus & FIDELIUM SERVITIORUM præclaris meritis, Prædicti Dñi NICOLAI Episcopi Nobis evigilanti Cura exhibitis, haud minus ob Reverentiam SSmi Stephani PRIMI Regis Hungariæ, Beatissimæ Recordationis, Pij Progenitoris Nostri, sub cujus honore Glorioso prædicta Ecclesia Zagrabiensis Episcopalis est constructa, volentes & animo Cupientes anhelanti, Eandem Ecclesiam Zagrabiensem, quam Cultu veneramur præcipuo in suis juribus & libertatibus, à Sanctis Regibus, piis Progenitoribus nostris, datis & concessis illæsam conservare Prædictas litteras* &c. iterum Matris Elizabeth consensus meminit, & ad evitandas suspitiones, quod Nicolaus Cancellarius foret, Sigilla uti supra apponit. Concludens: *Datum per manus NICOLAI Episcopi Zagrabiensis Aulæ nostræ Cancellarii Dilecti & Fidelis nostri Anno Domini 1355. IV. nonas Mensis Julij, Regni autem nostri Anno Quarto Decimo. Vbbus in Christo Patribus Dominis NICOLAO Strigoniensi, Locique Ejusdem Comite perpetuo, & Dominico Spalatensi Archi Eppis. COLOcense Sede vacante, Nicolao Agriense, Andrea Transylvano, Demetrio Varaden. COLOmanno Jaurinen. Joanne Vesprim. Nicolao Quinque Ecclesien. Thoma Chanad. Michaele Vacien. Fratribus, Thoma Sirmien. Stephano Nitrien. Peregrino Bosnien & Blasio Tinniniensi Episcopis, Ecclesias DEI eliciter gubernantibus. Magnificis Viris Nicolao Palatino & Judice Cumanorum, Nicolao Vaivoda Transylvano, & Comite de ZONOK, Cykon Mgro Tavernicorum nostrorum, Comite Nicolao de ZECS, Judice Curiæ Nostræ, Nicolao totius Sclavoniæ & Croatiæ. Nicolao de Machov Banis. Dionysio Agazonum LENKES Dapiferorum & pincernarum, ac Thomâ Filio Petri, Janitorum nostrorum Magistris, & Mgro Simone, filio Mauritij Comite posoniense, aliisque quam pluribus Regni Nostri Comitatus tenentibus & honores.* Iterum uti supra *Ad perpetuam* de amissione Sigilli.

Tandem 1356 Ludovicus Rex Zagrabiensi Capitulo restituit portum *Jellenouch*, Quem ut ait Rex: Nicolaus totius Sclavoniæ Banus, nomine Ejusdem Ludovici occupaverat, & ad tempus tenuit, quamvis ex Privilegio Belæ Ducis Sclavoniæ, & Regum testimonijs juris Capituli esset. Apponitur Sigillum minus rotundum, ad evitandam suspicionem, quod Nicolaus Eppus Zagrabiensis foret Cancellarius, IV Idus Maij. Ubi Leustachius Comes Simegh. Alben. Tolnen. Banatum totius Sclavoniæ tenens Legitur. In Confirmatione autem litterarum super Tributo, & Conventionibus cum Civitate XI Kalen Aprilis, *BANATU Vacante* Legitur. Anno Eodem NICOLAUS, ad Colocense Palium elevatur, uti in successore Ejus Videbitur. Sed nec Metropolita diu fuerit, cùm 1360 *Thomas* Colocensis reperiatur.

Ob Insinuatas supra, & diffusius postea commemorandas, Res Dalmaticas, plures Banorum nomine his Annis comperiuntur, Plures tamen Credibilius honorem sibi Istum usurpaverint, Cum ex monumentis non eruantur, nisi à morte Michaëlis, NICOLAUS Sclavoniæ, & Croatiæ Banus 1343, ad 1347. Quo Anno, cùm Ignominia, à Rege ex Banali officio dejectus, quod Jadræ Civitati à Venetis Obsessæ, opem laturus ære illorum Corruptus, à littore recessit. Uti istud præter Coævos Scriptores, etiam Litteræ Pauli de UGAL Bani 1350 datæ perhiberent, In quibus: *Nicolai olim Bani, quo fuit privatus à Rege cum Ignominia.* Nicolao huic Nicolaus de ZECS, vir magnus & Integer datus Successor, dein 1350 PAULUS de Ugal, sub Stephano Dal. Croat. & Sclav. DUCE, De quo infra. Iterùm, vel Alter Nicolaus Castri Uratiskovich possessor, ac Demum 1356 Leustachius qui etiam Eustachius legitur, & Dominus in LUDBREG. & SZAMOBOR.

Observandum etiam Imò Sub Ludovico Rege, ex Banorum Titulis, Sclavoniæ Bano, Croatiæ quoque Banatum, quin & Dalmatiæ Conjunctum fuisse, non tamen Constanter, & omni-

omnibus hoc factum Banis, cum sub eodem Rege, Quidam: *Totius Sclavoniæ* Bani, Alij *Sclavoniæ & Croatiæ Banus:* Alij demùm *Dalmatiæ, Croatiæ & Sclavoniæ Banus* Inveniantur. Atquè ideo Sententiam LUCIJ, verosimilem esse: LUDOVICUM Regem, Dalmatiam, Sclavoniam, Croatiam, miscuisse, & qua de Causa? ignoraremus, *Matrem deinde Elizabetham* ita LUCIUS, *BARONIBUS quibusdam associatam, ad Maritimas partes summa cum auctoritate delegavit, Quæ Dalmatarum Privilegia antiqua, cum Cæteris maritimis Civitatibus confudit; Cùm etenim Dalmatarum, Croatarum, Serviorum discrimen LUDOVICUS sublatum vellet, totius quoque Dalmatici Regni, jura Uniformia esse jussit, & pro temporum diversitate aliqua Privilegia, quæ obscura videbantur declarando, mutilavit, aliqua verò etiam ademit.* 2dò. Banos Ludovicum, permutâsse, fuisse solitum, præcipuè post NICOLAI BANI privationem, ut vix ultra biennium, Unus fuerit, restituere officiô iterum solitus Eosdem, ut non statim alter Censendus sit, quod posterioribus Annis Legatur denuo. Quod ipsum Andreæ aliisque Regibus in more fuisse, Certum est. *3tiò.* Collegas quoque 1360, Banis dare incoâsse Ludovicum, reperimus. Hinc plerumque DUO Bani reperiuntur, nósque infra refferemus. Et ne Lector confundatur monere hic voluimus, Accuratius ista, in Banorum Historia pertractaturi. Interim.

TRES à Morte REX CAROLUS filios reliquerat, *LUDOVICUM* in Regnis Successorem, *ANDREAM* Aversæ interemptum, AC STEPHANUM, à Ludovico Fratre, Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclavoniæ 1350 DUCEM constitutum. Qui plura invenitur vel dedisse, vel Confirmâsse Privilegia. Huic, Bani fuêre subjecti, quin & ab Ipso quidam Constituti, ut PAULUS de UGAL, hoc usus titulo: *Paulus de Ugal, per Dominum Stephanum, DEI gratia totius Sclavoniæ, Croatiæ, & Dalmatiæ DUCEM in dictis Regnis Dalmatiæ & Croatiæ Banus Constitutus.* Item 1351 Stephanus totius Sclavoniæ & Croatiæ Banus. 1352 Nicolaus totius Sclavoniæ & Croatiæ Banus. DUX Stephanus Castrum Kemluk possedit, Castellanatum tenente Quodam Herboltb. Idem 1353 Confirmat, Capituli litteras In quibus: *STEPHANUS DUX Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclavoniæ in perpetuum. Quod cùm feria III post Festum Corporis Christi, de Civitate loco videlicet habitationis nostræ, Zelo devotionis inducti, Ecclesiam Cathedralem S. Regis Stephani visitâssemus, Ejusdem Ecclesiæ Capitulum, exhibitis pluribus litteris, à SANCTO LADISLAO FUNDATORE, tum ab alijs Regibus datas, petijt Confirmari.* Ad quam Confirmationem, ait se motum recordatis Obseqijs Capituli, Quod nempe *in Adventu Nostro Zagrabiam, locum videlicet Mansionis Nostræ, Fidelitatis supremo studio, tanquam in Regia stirpis adventu, DEO devoti sacris expansis Reliqijs obviam occurrerunt, Solenni Cantu nos excipientes, ac decentia munera, & varia Victualia solicitè administrantes, ac propter alia etiam servitia fidelis semper Regibus Capituli in aliqualem Compensationem* &c. Ut Stilus Confirmando & approbando. *Per Manum Georgij Aulæ Nostræ Proto Notarij, & Comitis de Orbasz.*

STEPHANUS iste 1355. obiit, & Zagrabiæ in Cathedrali, nullo exstante Epitaphio sepultus Quoniam Margaritha, Ducis hujus Vidua, super ZLAMnoch, Eodem Anno *Zagrabiæ in Vigilia S. Thomæ* dat litteras. Exposuerat Eidem Capitulum, quod eam villam intra Capitulares, & Episcopales metas existentem, Nobilis Endrei, filius LUKACH de genere ACHA in sua infirmitate, in Claustro Fratrum Prædicatorum Zagrabiæ decumbens Capitulo Legaverit, & Capitulum Annis pluribus pacificè possederit, usque ad tempora Nicolai condam Bani, qui eam vi usurpavit, & ad Castrum Medve applicuit (*ex quo credimus Stephanum Ducem Castrum quoque possedisse*) Petit ergo Capitulum, ut ob memoriam S. Stephani Regis, pro salute animæ Principis Stephani, ratione etiam ex ea, quod Idem Stephanus Dux, ob gaudium Nativitatis Joannis Ducis Primogeniti sui, tunc Zagrabiæ existens, proposuerit Possessiones magni valoris se Capitulo donaturum. Morte tamen præventus, exequi hæc promissa nequiverit. Quibus permota Margaritha, Villam Capitulo restituit, ac per JACObum litteratum introduci curavit. Hoc insuper exprimens, quod restitutione ea, consortis sui votum impletum non existimet. *Quod itaque ipse JOannes Dux cum ad ætatem pervenerit, sit in effectum, prout ei Deus inspiraverit, deducturus.*

Joannes quoque Archidiaconus de Gversce sub Nicolao hoc Episcopo, vivere desiit, Vir perenni dignus memoria. Jurium Capituli defensor, Scriptor, & portione sua quam in Koznicza habebat benefactor. Donatione 1349. facta.

XXIX.
STEPHANUS IV.

EPiscopi hujus, qui hactenus prodiêre Cathalogi, non reminiscuntur. Qui tamen Regiis tot testantibus Diplomatibus, & Ecclesiæ hujus monumentis 1356 post mensem Maium, Antistes Electus, annis prope XIX. zelosè, & sapienter rexit Ecclesiam. Equidem in sententia contra Gerinum Civem, Hanoldo Abbati S. Mariæ ratione Balnei, per LEUstachi-

stachium Sclavoniæ Vicarium Zagrabiæ 12. Die, termini post Festum Ss. Simonis & Judæ Lata. *Nicolaus Archi Electus Colocensis*, & Cancellarius Regis, *Stephanus Electus Episcopus Zagrabiensis* intra alios Assessores & Cojudices nominantur. Prouti &, in Confirmatione Litterarum BELÆ de Anno 1247. super quadam terra in Toplica, Anno eodem 1356. IV. Idus Novembris facta, *Stephanus Electus Episcopus. Zagrabiensis in locum Nicolai Electi Colocensis & Cancellarij.* Legere est. Ac in fine *Datum Zagrabiæ* (Rex enim Ludovicus hoc Anno Zagrabiæ moratus est ut dicetur inferius) *per manus Nicolai Electi Archi Episcopi Colocensis & Cancellarii, Leustachio Sclavoniæ & Croatiæ Bano, & Comite Simeghiensi*, Stephano Episcopo *Zagrabiensi Electo.* Ad finem Anni hujus, vel sequentis initium, fuerit confirmatus, cùm dehinc *Episcopus Zagrabiensis* legatur.

Quis Stephanus fuerit? inde sumendum judicium, quod Regi LUDOVICO à Consiliis, ejusque Nuncius, ad Dalmatiam, résque ibi componendas 1358. fuerit, uti ista perhibet Lucius. Ipseque Juramentum excepit, Venetorum ex instrumento pag. 235. apud Lucium videndo *Quod juramentum præstitimus* ita ibi *in manibus venerandi in Christo Patris D. Stephani Zagrabiensis Episcopi, & Magnifici Viri D. Nicolai Regiæ Curiæ Judicis Ambasciatorum & Procuratorum dicti D. Regis, ad hoc specialiter constitutorum, sicut constat per litteras Regias scriptas Jadræ sub Anno Domini 1358. Die 20. Februarii, sigillatas Sigillo suo secreto.* Anno 1364. Stephanus Zagrab. Episcopus totius Sclavoniæ Vicarius fuit, & prioribus duobus Locumtenens Banatùs Sclavoniæ, ut primum hunc, ex Zagrabiensibus Episcopis, his ornatum honoribus inveniam. Neque *LOCUMtenentis* adhuc Legi memoriam. Legationes quoque alias, indubiè ad Romanum Pontificem, Stephanum Episcopum egisse, notatur.

Verùm & in rebus alijs, Stephani Episcopi, indefessum studium. Diœcesim, & Ecclesiam diversis constitutionibus, & salutaribus moderabatur. Augustini Episcopi Statuta servanda voluit. Quibus illud addidit: ut Canonici, Sacerdotio non Insigniti, nullatenus possint Canonicorum ut vocamus Consistorijs interesse, minus Voce gaudere quapiam. Et si Canonicus, necdum Presbyter adesset, Actum illum Capitularem non fore, Scripturámque coram tali Canonico factam, nullius esse roboris ac firmitatis. Pluraque alia. Capituli Zagrabiensis Vinodol prope Hrastoviczam, pro tellonio Vici Latinorum cambiavit, Sylvam glandinosam Glogonicz vocatam cum quibusdam terris arabilibus ad Dombro à Joanne Dionysio, Emerico, filijs Joannis de ORBOUCZ coram Comite Nicolao de Zeech Judice Curiæ, jure revindicavit 1369. Zelus quoque Ejus commendari meretur; Dum enim 1374. uti ex Inquisitione quapiam PETRI CHYRBE Vice Bani & Comitis Crisiensis eruetur) Pestis Zagrabiensem Civitatem opprimeret: Stephanus ut Pastor bonus, oves deserere noluit, quin se ipsum infirmis mancipans, sedato, & cessante morbo, cum Anni fine, Zagrabiæ religiosè expiravit. Anno 1358. *Finta* Prædialibus, Prædium *Szlavincz* in Comitatu suo Vasca existens, contulit, uti notâret *Marcellovich.*

Floruit, felixque sub STEPHANO Capitulum. 1358. coram LEUstachio totius Sclavoniæ Vicario Generali, post longas anteriores, & nunc lites, contra BANDONUM Domus Hospit. S. Joannis Jerosolymit. per Hungariam & Sclavoniam Priorem, ac universos FF. Cruciferos Perceptores seu Commendatores ratione Decimarum in dictis Regnis Zagrabiæ paciscitur lege ea, ut tres Marcas annuè Capitulo persolvant, *Philippus* olim Prior, & *FULCO* Procuratores Prioris & Ordinis subscripserunt. 1360. Per manus *Nicolai* Archi Eppi Strigoniensis & Cancellarij pridie Kal. Januar. de Consilio Matris suæ Elizabet, LUDOvicus confirmat de solvendis in specie Decimis litteras, quas his vel maximè temporibus Ecclesia percipiebat. Vincit 1361. Capitulum, & absolvitur ab impetitione Civitatis, judicibus Delegatis, *Nicolao Strigoniensi, THOMA Colocensi, STEphano Nitriensi, Dominico Chanadiensi KONTH Palatino, Stephano Bubek Judice Curiæ Regiæ, Joanne filio Nicolai condam Palatini Tavernico.* Transigit, Ratione Decimarum Trans Muranarum in Bexinatu, quas Capitulum in specie prætendebat, At Stephanus filius, Nicolai quondam Bani, Dominus in *Lindva*, quod cum Populus, Alemaniæ vicinaretur, ubi Decimæ non solverentur, suo, Capitulique damno, potius ad Alemaniam transiturum, metuens allegabat, hinc Proavi sui Comitis Haholdi contractum stabiliri postulabat, quare novis adjectis conditionibus, paciscuntur. Anno autem 1375. (quo Vicus Alemanorum sive Sutorum, ita olim vocabant, Crematus Zagrabiæ) ALBERtinus Perceptor Dubicensis Ord Jerosolym Successor Arlandi, cum perpetuo Ordinis Silentio in Possessionibus *KOSSUchia MECSEnicza, ULMA*, superius & inferius *BACSYN* coram BANO PETRO ZUDOR, causa cecidit.

Nescio quid? cum Præposito majori JACOBO, Capitulo fuerit, qui ab Anno jam 1325. officium gessit. Ex litteris 1361. de *Dato Zagrabiæ Die Strenarum* à NICOLAO Archi Eppo Strigoniensi, ad Capitulum datis, discordiam fuisse discimus, cùm in his scribat NICOLAUS, ad requisitionem & humilem Petitionem ex respectu Senij, ad mortem solum possi-

dendam, se dedisse JACOBO Præposito possessionem BLAGUSSA, quam ei Capitulum acceperat. Sed Quid Archi Episcopum Zagrabiam pertulit? Dicemus in Successore Episcopo.

Nomina Canonicorum Zagrabiensium.

Præpos. Major. JACOBUS obijt 1362. successit LADISLAUS ex Præpos. Chasmensi. Et huic 1371 NICOLAUS.

Lector. Nicolaus de VILLACO, Postea *PAULUS*, tandem LUKASIUS.

Cantor PAULUS qui apud LUCIUM in instrumento (Venetorum cum Rege LUDOVICO) subscriptus testis invenitur.

CUSTOS JOANNES. Et post hunc NICOLAUS, tum BLASIUS.

Præpositus Chasmensis LADISLAUS. Quo ad Majorem Præposituram translato, Successorem non comperimus.

Archidiaconorum horum, habemus notitiam JOANNES de Gvercse 1352 mortuus. ANDREAS *Dubicensis* Joannes *Dubiens.* Dionysius *Kemlek.* Joannes 1365 *Vasca* BLASIUS autem 1372. & Emericus 1375. GALUS Præpositus Kukoliensis Can. Zag. & Archid. *BEXIN* 1360, sed JOANNES *BEXIN* 1366 invenitur. Georgius *Varasdinensis.* CANONICORUM autem hæc Comperio nomina. *Dionysius. Joannes* Crispus. *Michaël Ivanchini. Paulus Pethijer, Michaël Alter. Emericus* filius Petri. Invenitur etiam Præbendarij Ecclesiæ Zagrabiensis *DESEU* in diversis actis Causis mentio, egit etiam Capituli Procuratorem Coram Leustachio 1361 in Causa *Metali.* *GEORGIUS* quoque Canonicus Zagrabiensis 1353 Die *7ma* Septembris mortuus reperitur, cum hac memoria: *Ordinavit ad Missas B. V. M. Duas Præbendas Bonas.*

Præterea *BANDONUS* Domus Hospit. S. Joan. Jerosolijm. per Hungariam & Sclav. Prior. Fr. *ELIAS* de Dubicza. Fr. *ALBERTINUS* de Suprunio & Gora Domorum Perceptores. Fr. *PHILIPPUS* olim Prior, Fr. *FULCO* Procurator. Fr. *GERARDUS* 1374 Perceptor de GORA Eodem, Fr. *ARLANDUS* Perceptor Dubicensis. Qui Universas possessiones suorum, Ordini adjicere studuit, dicens Successione maternâ illas ad se pertinere. Sed Causa Cecidit & Familia Thoth triumphavit. Fr. *ALBERTINUS* Arlando successit.

Anno 1372 hæc quoque Leguntur. *LADISLAUS Dux Opuliæ Palatinus. Thomas Strigonien. Fr. STEPHANUS Colocensis Ss. Theologiæ Mgri, & Archi Episcopi. STEPHANUS Episcopus Zagrab. LADISLAUS Vesprimien. Vice Cancellarius Regis, DOMINICUS BUBEK Chanadien. LADISLAUS Nitrien. Episcopi. JOANNES Præpositus Budensis. VALENTINUS Lector & Can. Strigonien. MICHAEL Protho-Notarius Judicis CURIÆ.*

Memoria Banorum.

1356 Leustachius Sclavoniæ & Croatiæ Banus in Majo constitutus. *JOANNES CHUZ* Dalm. & Croatiæ Banus cum NICOLAO de SZECS Collega Joanni dato, & ad 1368 officio functô, In aliquibus expeditionibus: Dalmatiæ & Croatiæ Banus, in alijs, Totius Sclavoniæ Dalmat. & Croatiæ Banus Legitur Uterque.

1360 *Leustachius* Sclavoniæ Banus, cum *ACUS* Mikcs Bani Filio, Cognomento de Prodanics. Hujus Filius Mgr. Mikcs, Castrum Ribnik, in Vicinitate Castri Regij Ozalij, 1394 Nicolao Comiti Vegliæ & Modrussiæ vendidit. Præmissi Bani Congregationem Generalem Universitatis Nobilium & aliorum 1361 intra fluvium Zava & Gvozd celebrant.

1362 & 1363 Stephanus Eppus Zagr. Locumtenens. & 1364 Vicarius Generalis Regni Sclavoniæ.

1365 Nicolaus de Zecs iterum Sclav. Banus. KONIJA vero alter à KONTH Dalm. & Croat. Cui additus 1366 Thomas.

1367 Joannes Chuz iterum Dal. & Croat. Banus. Qui Anno sequente ad Romanum Pontificem, Ludovici Legatus. Misso iterum Nicolao Zeecs ad illum Banatum. Succedunt in Banatu Sclavoniæ Petrus Zudor, cum JACOBO Comite Scepusien. Postea Judice Curiæ.

1370 CAROLUS DUX Dyrrachij Dal. & Croat. Banus. Multa in partibus Maritimis innovavit, SENIÆ Banatum exercuit. Plura de eo postea. Stephanus Item Dal. & Croat. Banus 1372. Sed 1378. Iterum Nicolaus de Zeech Dal. & Croat. Banus.

Petrus Chyrbe Vice Banus, & Comes Crisiensis ab Anno 1367 Invenitur ac *Michaël* Protho-Notarius, & Vicesgerens 1367. *Adam Judlinus* Crisiensis. Stephanus Selk, de Szent Jakop. *Joannes* Nobilis de Szuhodol, *Petrus* Martini de Kakolnuk. Andreas de Genere Hagun. *Blasius* de Sabnicza.

XXX.

XXX.
DEMETRIUS I.
S. Romanæ Eccl. Presbyter CARDINALIS.

SUblato è vivis Stephano, DEMETRIUS succedit. Fuit is primum Syrmiensis. Tum VARADIENSIS, ab Anno 1355, ut ex Diplomatibus Regijs eruitur, ad 1375 (Quô, ad Zagrabiensem Ecclesiam, causâ Negotiorum Regis commodius tractandorum, Legationésque obeundas translatus) Episcopus. Vir Magnus omnino, sive in rebus agendis dexteritatem, sive Zelum in rebus Religionis, spectes. Ut merito ab URBANO VI Collegio Purpuratorum 1378, Inter Cœteros, adlectus & Cooptatus, sub *Titulo Ss. Quatuor Coronatorum* fit. Scimus intra Scriptores Controverti, tam de Promotorum ab Urbano Cardinalium Numero, quàm & Anno Creationis. Volentibus Alijs 1379, hanc Creationem, alijs 1381 factam fuisse. Nobis tamen Credibilior videtur SPONDANI Sententia, Qui Creationem hanc ad Annum 1378 Diémque 14 Kalen. Octobris collocat. Anno enim Eodem Durissimi in Ecclesia Schismatis componendi Ludovicus Rex Hungariæ fuerat Studiosissimus. Hinc Legatos suos, Et Ad Urbanum Pontificem, & Clementem Antipapam relegat, sed hic Ludovici Nuncios durius habuit, URBANUS autem Paternè & Svavius. Quas res tot ævi illius Scriptores Commemorant. Occasione hac DEMETRIUM ad Urbanum missum Credimus, Quôcum de *JOANNA* ex Neapolitano amovenda solio, actum indubiè, ut Spondanus refferat ex Niemo Scriptore vivente. *LUDOVICUM Hungariæ Regem per Legatos & litteras hortatus est* (scilicet Urbanus. *Per Legatos* vix ob temporum illorum vicissitudines suos, sed Regis Ludovici, Urbano providentes) *ut dimissam Cedis Andreæ ipsius Fratris in Joannam vindictam resumens.* CAROLUM *Dyrrachinum Gravinæ Comitem Regij illius sanguinis Principem, apud ipsum militantem cum Copijs transmitteret cui Ipse Urbanus Regnum (quod & alioqui ad ipsos pertineret, cum soli superessent masculi, ex numerosissima* CAROLI *CLaudi Siciliæ Regis prosapia) abdicata Joanna collaturus esset.* Sequentíque Anno CAROLUM Ludovicus, adversus Venetos ad agrum Tarvisinum pro fœderatis Genuensibus nomine Ludovici bella gerentem, Neapolim ire jubet, suffecto Eidem Nicolao Zeech. De quibus Ritterus, Spondanus, nosque DEO dante allibi, Copiosius. Commorantem ergò apud Pontificem Romanum, Demetrium, Urbanus CARDINALEM creat. Sub finem 1378 Et quà adhuc Zagrabiensem Episcopum. Nam præter superius dicta, Ita de Demetrio apud Ciaconium est legere: cui *prædictus Pontifex Pannoniæ Regis Rogatu, Ecclesiam Strigoniensem Commendat,* QUÆ EJUS IN CARDINALITIUM SENATUM LECTIONE PASTORE *vacaverat.* Sanè postrema hæc verba, Demetrium, aut antea Cardinalem, quam Strigoniensem Archi Episcopum fuisse testantur; aut occasione creationis in Cardinalem, Strigoniensem sedem Vacâsse, Ad quam translatus fuisset. Samuel TIMON in sua *Purpura Pannonica* Antea Cardinalem, quam Metropolitam Strigoniensem sensisse videtur, cum scriberet: *Ab Eodem nàmque Pontifice Titulo Ss. Quatuor Coronatorum cooptatus est. Demum ex humanis erepto Thomâ Metropolita, dispensante Urbano Strigoniensi sedi præesse, & Aulæ Regiæ Cancellarij munia obire jussus est Anno à partu Virginis 1379* Et cum MORS Thomæ Strigoniensis, qui immediatus Demetrij Antecessor, 1378 constituatur; Demetrium, Eodem Anno, Cardinalem factum evadit credibilius.

Ex Zagrabiensi igitur sede, ad Strigoniensem 1379 DEMETRIUS translatus est. De quo, mirum illud Ciaconij: *Præsertim cum à Regio Edicto post Purpuram susceptam. semper in Pannonia permansisset.* Quæ hujus Edicti causa fuerit? scrutetur indagétque, cui libet & vacat. Insignia Ejus, ad Tituli sui Sanctorum Quatuor Coronatorum reperta. In Ciaconio videre est.

Nunc ad LUDOVICI Regis immortalia Facta modicum digrediamur. Causa eorum potissimum quæ supra Insinuata sunt. Post datam JOANNÆ pacem, dimissósque Principes, Quamvis icto cum Genuensibus contra Venetos fœdere 1353, eos agredi constituisset, attamen per CAROLUM Romanorum Regem retractus, cum ijsdem ad biennium init inducias, & in Stephanum RASCIÆ Despotam arma convertit, Victoque parcit, quod Sacra Romano Catholica, se suscepturum simulâsset, Nuncios litterásque ad Innocentium VI. 1354 mittendo, pro Ecclesiæ illius cura, & Apostolis (VIDE SPONDANUM) At illusoriè egisse Stephanum ex ijs eruitur litteris, quas LUDOVICUS Rex apud BZOVI. *Zagrabiæ 4 Junij 1356* Romano scripsit Pontifici, ut nempe liceat *Rasciam* armis repetere, & Extincto Schismate, Ecclesiæ Romanæ unire. Quod & Præstitit. Captoque Stephano, ob Professionem Fidei ab Innocentio Papa præscriptam, à Captivo Despota emissam, ac juratam Hungariæ Regibus fidelitatem, Regnum ei indulget, maxime Causa belli cum Venetis, eo Anno Gesti. Quem iterum Rebellem, 1359 domuit. Sed ad Venetos reddeundum. Ab his

Possessam Dalmatiam tanquam ad Imperium Hungaricum pertinentem per Legatos superioribus jam annis repetijt, sed cum illi non audirent, bienniúmque Induciarum elaberetur, per JOANNEM Chuz (scribunt ZUUS quidam) Dalmatiæ & Croatiæ Banum, Dalmaticas Venetorum Civitates vexat, & Collecto exercitu amplius 40 millium Equitum, repulsa Venetorum Legatione, pacem pecunia redimere quærentium, Tarvisium mense Julio obsidione Cingit. Venetorum Oratoribus surdas præbens aures, qui Dalmatiæ partem Ludovico offerebant, residuam sub Censu Regi annuè pendendo, & sumptuum belli refusione, sibi relinquendam postulabant. Innocentius quoque per Episcopum Firmanum, pro Venetis Ludovicum Interpellavit, pacem æquis Conditionibus præ Bello svadens. Quin VILLANIO teste, dum TARVisij Ludovicus esset, allatæ Sacræ sedis & Collegij Cardinalium ad Eum litteræ, quibus VEXILIFFER SANCTÆ ECCLESIÆ *adversus Infideles* declarabatur, à CAROLO IV Imperatore Insuper, Quod VICARIUS IMPERII sit constitutus. At nullis precibus ad pacem induci potuit, sed Undique eos agrediens, Capta Jadra, impulit tota Dalmatiâ cedere, & quæ Ipse voluisset spondere. De quibus Villanius, Petr. Justin. Auctor Venetus, Alijque. Dalmatiæ Profecto Titulum Deponere eos oportuit, quin Senatum decrevisse, narrat Villanius, ne quis amplius de Bello sermonem faceret, at Navigationi & mercaturæ omnes operam darent, Hæc tamen ad Annum usque 1358, quo Pax in tabulas redacta, Acta sunt. De Quibus copiosius agentes, VIDE LUCIUM Instrumenta pacis, aliáque refferentem. Bonfinium &c. Sub Anni 1356 finem, Ludovicum credimus in Hungariam profectum, ex ijs quæ cap. 3 *Historiæ à* CUTHEIS dicuntur: *Qui quidem* ita ibi *D. Joannes* ZUUS *Banus gerens vices præfati D. Regis in Partibus Dal. & Croat. habens plenum speciale & Generale mandatum à prædicto Rege dare, & donare perpetualiter villas, possessiones, & Dominium cujuscunque rei, tam stabilis, quam mobilis, & Cuicunque & volens dare & donare ex parte præfati D. Regis propter fidelitatem &c.*

Anno 1361 Matrem suam Elizabet cum Quibusdam Baronibus associatam (Quâ occasione Nicolaus Archi Eppus Strigoniensis cum Elizabet fuerit, dum Zagrabiæ pag. 133 Relatas, pro JACOBO præposito dedit litteras) ad Maritimas partes summa cum auctoritate misit, Eam ibi esse volens, ut Venetos observaret, ne tenerent cum hostibus. Eodem namque Anno bellum cum Carolo Imperatore, & Duce Austriæ gessit. Poloniæ Daniæque Regibus Ludovicum adjuvantibus, sed pax 1363 innita. De quibus diffusius agit Spondanus. Anno dein 1366 ex Epistola Urbani V apud Bzov. Ludovicum Regem terrestri itinere cum valido exercitu contra Turcas pergere, eruitur. Quod quia à Domesticis silentio obvolveretur scriptoribus, non asserimus. Ex Ejusdem tamen Pontificis Epistola Alia, Kalen. Julij data apparet, JOANNEM Imperatorem Græcorum, visitâsse Ludovicum BUDÆ, ac jurâsse, tam se, quam filios suos MANUELEM, & Michaelem Unitatem, cum Ecclesia amplexuros. Quod per STEPHANUM Nitriensem Episcopum Urbano significavit Ludovicus, Joanni ferens suppetias, captáque Bulgaria, cum Ejusdem Principe Strachmero, quem sub Decenti Custodia in Hungariam missum, certis conditionibus, & Obseqijs Coronæ Hungaricæ præstandis, ac ab eo vita Comite servatis, dimisit. Tantum autem Promovendæ Orthodoxæ fidei, fuit in Ludovico studium ut S. ANTONINO teste, occupata vi armorum per Ludovicum Bulgaria, Ejusdem Regis petitione, ex Bosnensi Vicariâ missi Octo tantum Fratres minores, intra 40 dies, amplius Ducenta hominum millia, Baptizasse scribantur.

1270. Casimiro Poloniæ Regi mortuo, uti jam antea Designatus Magnatum consensu Rex, succedit Ludovicus & 17 Die Novembris 1371 Cracoviæ Coronatur. De Quo *Cromerus* lib. 13. Michov. cap. 29. consulendi. Eodémque Anno CAROLUM Dyrrachynum Ludovici filium, quem Anno adhuc 1362 accersiverat, ac in spem Successionis educabat, Dalmatiæ & Croatiæ præficit. De Cujus etiam in Neapolitano Regno Successione, per Joannem CHUZ Banum 1368 missum ad Romanam Curiam Legatum, cum alijs, egerat, uti pateret ex litteris Pontificijs apud Lucium pag. 245. Eidém quoque CAROLO Margaritham Caroli Ducis Dyrrachij filiam posthumam, Eodem Anno copulavit. Et Quia 1372, perhibente Rain. Pontifex JOANNÆ compositionem de Trinacriæ Regno cum Aragonensibus approbâsset. An petitum auxilium à Gregorio XI contra BARNABONEM & Galeatium Mediolanensium Vicecomites dederit, est dubium. 1373 attamen JADRAM veniens, iter & Consilia JOANNIS Constantin. Imperatoris, Veneta Classe per Adriaticum vecti, diligenter Observari mandavit, Venetis non parùm suspectus, quod CARRARIEN. adjuvaret. Sed inducias biennales illis, cum Austriæ Duce, quôcum post Carrarien. pacem, bellum illis fuerat procuravit. CAROLO Dyrrachio, cum uxore, ac Militibus, & Joanne CHUZ Bano 1374 Neapolim missis, rebúsque compositis, tandem reddijt, & De LITHUAnis Victor, 1377. 8va Decembris Româ, testante Spondano, per Epistolam à Gregorio XI. contra Florentinos expostulationes accipit. Sed cum Genuensibus, contra Venetos, quos in Successione Regni Neapolitani sibi Maximo futuros impedimento suspicabatur societatem init, & revocato

CA-

CAROLO & bello Venetico præposito, Neapolitanarum rerum Cura, JOANNI CHUZ & DEMETRIO Zagrabiensi Episcopo Credita, bellum Venetis, prætextu vetiti per Adriatium salis indixit. 1378. Quo Anno, Gregorio Papâ 27 Martij mortuô, Urbanus VI succedit, ingenti subsecuto Schismate, quod cum quibusdam CARDInalium, cum JOANNA, *Clementi Antipapa* adhærens fovisset, Urbanus, Ludovico Neapolitanum Regnum obtulit. Sed ipse jam senex, CAROLO, uti proximiori Consanguineo tradendum consuluit, auxilia necessaria pollicitus. Hinc & Carolum 1379 cum exercitu in Italiam direxit. Ipse vero, antequam discederet, pacem cum Venetis tractat. Nicolao de Zeech, Henrico Laczkovich, Emerico Bubek (Bubel scribunt aliqui) PAULO Episcopo Zagrabiensi, Fr. Stephano Colocensi aliisque ex parte Hungariæ Præsentibus. Verûm partibus convenire nequeuntibus, in Hungariam ad Regem, eas relegat, Ipse Neapolitanæ expeditioni intentus. Pax Dein, Urbano Papa intercessore 1381, his Pactis sancita, cum Venetis est. Quorum quædam PAULUS Maurocenus lib. 14, refferet, alij pacta alia. Quæ combinata adjungimus.

I. Quod in Platea S. Marci Solemnioribus diebus festis vexillum Regis Hungariæ erigeretur.

2. Pro expensis, 500. millia Ducatorum solverentur statis temporibus. 3tio Electio Ducis à Rege confirmaretur. 4to Solverent Regi annuum tributum 50. millium Ducatorum. 5to Sigilli Venetorum Inscriptio, quæ se Dominos Maris dicebant, tolleretur. 6to Res mobiles mutuo captæ remanebunt, & captivi cum fide remittentur. 7. Arx Venetorum Tunedi tolletur, & neutri populo, eam habere licebit, ad Tanaimque fluvium, mercimonia probibita manebunt.

Jam ad Carolum. Postquam 1380. Urbanus Joannam velut Schismaticam, perduellem damnâsset, Regno privans. Bona publicans, & subditos ab illius obsequio liberos pronuncians, Ipsa LUDOVIcum Andegavénsem, in filium hæredémque adoptat, Calabriæ Ducatu donato. Sed CAROLUS Dyrrachius Senator primum Urbis 1379. ab *Urbano*, dein Rex Siciliæ & Jerusalem declaratus 1380. Quin sequentis Anni Die 16. Julii, Neapolim veniens, Joannam fuso exercitu, ac marito illius OTHONE Brunsvicensi intercepto, captam in arcem Civitatis MURI Provinciæ LUCAniæ relegat, & 22. Maij 1382. (ut summant ex illius Epitaphio) per Satellites missos, strangulat, vel ut alij putant suffocat. Ludovico Andegavensi, mortem Ejus ulcisci volente, & plura Apuliæ & Calabriæ loca occupante, à CAROLO partim armis, partim per comeatum interclusum, superato. De quibus Quædam inferius.

MARCI KRALIEvich, adeo ad hæc usque tempora, *Camillenis* celebrati, à gente Valachica, ut eorum convivia vix videris, quibus eum non *cantitent*: nec iter facilè faciant, sine MARCI cantu & præconijs, hæc, brevis modo, fusior allibi narratio. Erat Bulgarus, Græca fide plenus, inconstans, varius. Nunc *Amurathi* adhæsit III. ut à Genuensibus fuerit impetitus. Sed his quoad vincebant se dedidit, Victos ad Abydum deseruit, ne: Amurathis amplius gratias meritus. Adempta *Servia*. sive superiore Mysia Christianis, & *Lazaro* Despota Capto, MARCUS ulcisci mortem LAZARI cupijt, percussus pugione *Amurathes* interijt. BAjazetes Interfecto successit, qui, 1374. MARCUM Kralievich Bulgarorum Regem proclamatum cum universa sua Nobilitate prælio delet. Bosna dein, Croatia, Illyria, Albania, Valachia, à Bajazethe vastatæ, multis milibus Christianorum partim occisis, partim in servitutem abstractis. *Ita Cronicon Turcicum.* Cœterum versus illos, quos traditione longa, vulgus omne de MARCO canit, si quis conscriberet MARCI historiam illustraret. Gesta Virorum fortia, Laudésque debitas, versu canere, atque ita conservare memoriam, avitum Illyris. Ut notarent Scriptores.

XXXI.
PAULUS I.

Episcopus iste Anno adhuc 1379. uti ex Conclusionibus Regiorum Instrumentorum videre est. *Demetrio* Successor datus. Indubiè CAROLI Dyrrachini favoribus. Italum fuisse, quidam volunt. Nos Fratrem Joannis de Palisna fuisse, ex Instrumento quodam eruimus. Ritterus existimat, Paulum hunc ex Cantore Ecclesiæ Zagrabiensis factum Episcopum, qui & 1358. Instrumento Pacis, apud *Lucium* testis fuisse invenitur. Sed an Idem sit, non statuimus. Anno 1379. ut superius commemoratum, cum alijs Pacis arbiter fuerat. intra Venetos & Hungariam. 1380. Voto Capituli *KALANDUS* (vox Sclavonica, Congregationem significans, ut ibidem, voces *id est Congregationem* denotant hodiedúmque *Tribus*, Conventus suos, *Kalendus* vocarent) instituit, quovis Anno celebrandam, in honorem DEI, B. V. M. ac S. Stephani Regis, ac Salute animarum vivorum & mortuorum. Hæ Kalandus instituti, Leges.

„ I. Die S. Hieronymi Missam Episcopus celebrabit, pro sua, & Antecessorum animabus, & Eleemosynam distribuet proprijs expensis. Alijs duabus diebus ex Bonis Congregationis, cum Fratribus & Decano, prout Bonorum facultas expediet, & fuerit.

„ 2. Episcopus annuè dabit fl. unum, & Vini cubulos 20. Quilibet Canonicus in Dignitate, fl. medium, Cubulos 10. Reliqui Canonici 4tam partem fl. Vini Cubulos 5. Decano præsentandos. Præbendarij verò ut simplices Canonici. Pauperes Sæculares Den. 20.

„ Corpus Defuncti commitabuntur, Et quilibet pro Ejus anima Candelam dabit, & Missam celebrari faciet. Bona Kalandarum nunquam vendentur, & Decano omnes obedient sub pœna Den. 20.

Anno autem 1381. inter alios, Ludovici Regis Legatum, Venetias Paulum fuisse, ex MSS. Sanctorum Illyrij eruimus. Illud hic ad litteram addendo:

Die XIV. Novembris.

De Translatione S. Pauli Primi Eremitæ.

„ PAuli Primi Eremitæ Corpus, opera Emanuelis Imperatoris Constantinopolitani, gremio terræ effossum, Constantinopolim est translatum. Hoc miraculorum Ejus fama evulgata, JACobus LANCIO Civis Venetus, Constantinopolim profectus, cum primis urbis agendo, obtinere missus est. Sed nec conquievit, donec quod concupierat assequeretur. Redux cum Sacro Pignore Venetias, illud ex Senatus Consulto in Ecclesia S. JULIANI Martyris honorificè deposuit. Interea B. Eusebius, Strigoniensis Canonicus, primus S. PAULI primi Eremitæ instituti cum alijs nonnullis, pijs Viris, ab URBANO IV. Summo Pontifice, Regula S. AUGUStini Romæ cooperante S. THOMA Aquinate Angelico Doctore accepta, in Hungaria dedit initium. Qui Sæculo valedicentes imitatione SS. Anachoretarum, PAULI, ANTONIJ, HILARIONIS, MACHARIJ & aliorum, in sylvis & montium radicibus DEO vacare inceperunt. Aucto deinde Fratrum Eremitarum in Panonia numero, ipsorùmque pietate ac Religione evulgata, BARtholomæus Quinque Ecclesiensis Episcopus, Nobile eis, S. Jacobi nomine, primum omnium Monasterium in PATAK exstruens, Eosdem in unum coegit, formulam in communitate vivendi præscripsit, Eósque in suam tutellam cooptavit. Postquam autem dictum Ordinem, Fr. GENTILIS Ordinis Minorum Cardinalis, de Latere in Hungaria Legatus, authoritate Clementis V. sub eadem Regula S. Augustini confirmavit, in Poloniam, Germaniam, atque Hispaniam diffusus est. Ut autem non solum Ordinem S. Pauli primi Eremitæ, sed etiam Corpus Ipsius haberet Pannonia, LUDOvicus primus, Rex Hungariæ, finem bello, quod cum Venetis gerebat atrocissimum, inponere prius noluit, quam ei se Corpus S. Pauli daturos sponderent. Pro Quo VALENTINUS Quinque Ecclesiensis, & PAULUS Zagrabiensis Episcopi Venetias expediti, Veriti, ne si forte Ejusmodi Reliquiæ in luce aufferentur, & impetu furentis turbæ popularis, rei exitus turbaretur, placuit noctis sub silentio, urbe exportari. Opinione sola habendi, apud eos remanente. Anno igitur Domini 1381. Die IV. Octobris, Venetijs solventes, maris terræque emersis spacijs, prospero cursu breviiter confecêre. Budámque Hungariæ Regiam appullêre, Rege & omni populo Eidem occurrentibus. Et primum quidem in Sacello Regio, Arcis Budensis Corpus ipsum Venerabile, sub Fratrum Eremitarum, custodia fuit depositum. Deinde XVIII. Kal. Dec. per DEMEtrium Cardinalem Tituli SS. 4. Coronatorū, Archi-Eppum Strigoniensem solenni processione ad Monasteriū Fr. Eremitarum tituli S. LAUrentij supra Budam translatum, & sua cum gloria ibidem collocatum. Ex quo etiam Die, idem Fratres Eremitæ habitu interiori albo, instar Dominicanorum, uti inceperunt. Post funestam deinde cladem Mohachianam, prætactum S. Corpus, ad varia sacra loca, novissimè ad Arcem Trenchiniensem, tutioris conservationis gratia, deportatum, ibidémque à duobus Patribus Eremitis custoditum fuit. Verùm à Germanis succensa arce, ac prætacti Sacri Corporis custodibus, combustum exstitit die 15. Novembris Hactenus MSS. Ex quo PAULI Episcopi Ablegatio probatur. Reliqua tanquam extra scriptionis Nostræ institutum, non defendendo, sed fide integra, ut scriptum invenimus communicando. Verba illa *novissimè verò* &c. MSS. nostrum (nisi quispiam addidisset) post Mohachianam cladem conscriptum, authumare nos faciunt.

Volunt similiter quidam, Corpus S. Innocentis hac occasione fuisse LUDOvico donatum, ab Ipso Ecclesiæ Zagrabiensi, à Paulo Episcopo Impetratum. Sed hac de re parte II. ubi *de S. Reliquijs* agetur. Dicturi uberius

Canonicorum Zagrabiensium hæc eruimus Nomina. 1380.

Nicolaus Præpos. major 1381. mortuus. Cui successit *Nicolaus* alter, filius Brislini ex Canonico

nico Zagrabiensi. *Joannes* de Pensauro Doctor Decretorum, Lector & Can. Zag. ac Generalis Vicarius Pauli Epis. Zagr. *Paulus* Cantor *Blasius* Custos. *Nicolaus* Cathed. 1382. Die 8. Augusti mortuus. *Joannes* Crispus Kemlek. *Simon Vasca. Gregorius* Chasmensis. *Stephanus* Varasdinensis. *Joannes* Urbocz *Georgius* de Hrachovicha Can. Zag. Die 15. Septemb. 1382 mortuus.

BANI Sclavoniæ post Petrum Zudor 1381. Stephanus Haholt. sive de Lindva. *Dalmatiæ vero & Croatiæ* 1380. *Joannes* de Palizna, *Horvath* ac etiam Hericart dictus. *Henricus* Laczkovich, *Emericus* Bubek inveniuntur. 1382. Petrus Surich, & Detricus Bubek, Emerici Bani locumtenens. Alios postea.

Anno 1382. Die XII. Septembris LUDOvicus Magnus *Tyrnaviæ* moritur, XVI. *Alba Regalis* sepelitur. Ejusque filia MARIA *Sigismundo* CAROLI IV. Imperatoris filio desponsata, in Regem Die XVII. coronatur, annotante ista, *Paulo de Paulis*. Luxit nec immerito Magnum Regem Hungariæ, suscepto sponte per Triennium luctu, omni festivitatis sublato genere. Qui, *Magna fecit omnia*. A Schismate illibatam servavit Hungariam. Cumanos, *Cromero* teste, ab Idolorum Cultu, ad Fidem Christianam adduxit. Ecclesias tutatus, protexitque. Ut tot Ejus perhibent Gratiæ. Profecto Zagrabiensis hæc Ecclesia, summos LUdovici favores experta est. Judæos proscripsit. Denique Prudens, Justus, fortis, pius, Litterarumque cultor, à Scriptoribus, etiam Exteris, perhibetur. Filiarum MARIA, Rex Hungariæ: *Hegvidis* Poloniæ, fit. Pacifice Regna adivisse, videbantur. At in ipso aditu, Factiones arcaniores quidem, observat, nec Immerito Lucius, ex Epistolis Datis, receptisue responsis, ad Civitates Maritimas, apud Lucium pag, 250. & 251. habentur. Res in apertum necdum eruperat. Quin juramentum fidelitatis à Jadrensibus præstitum in manibus NICOLAI Præpositi Ecclesiæ S. Petri de Posega, Magnifici Detrici Bubek, Locumtenentis Emerici Bubek Dalmatiæ & Croatiæ Bani. Uti & Jadrensium Epistola, apud *Lucium*, & *Paulum de Paulis* perhiberent. Ubi tamen in Anno error est, cum 1382. & dies 2 Februarij inscribatur, quo tempore LUDOvicus vivebat. Hinc 1383. Legendum. Quo eodem Anno Banatum Die 1. Augusti Stephanus Laczkovich Dalmat. & Croat. accepit, & Regina 24. Octobris applicuit. 1383. 1. *Augusti applicuit Jadram Banus videlicet D. Stephanus Laczkovich*, Ita Paulus de Paulis Civitatis tunc Rector. *Eodem Anno, die* 24. *Octobris, applicuit Jadram D. Elisabet Regina Ung. Senior: & D. MARIA Regina Junior, & Domina Soror Draga* (id est Hegvidis) *cum cæteris Prælatis & Baronibus, eorum videlicet, cum Cardinal. Eppo Quinque Ecclesien* . . . . *& Henrico Lackovich, & multis aliis. Eodem Anno Die* 28. *Octob. Castrum Aurana redidit se, Quod modicum prius rebellaverat, jussu Joannis de Palisna olim Prioris Urana. Eodem anno die* 4 *Novemb. recesserunt à Jadra antedicta Regina, cum Prælatis & Baronibus suprascriptis Auranam euntes.* Ex quibus in Additu Regni motus, sed minores fuisse, apparet. Igitur ad rem narrandam, convertimur, ne cessavisse arguamur, cum factionis celebris, si non Author, ex præcipuis tamen Promotoribus, *Paulus Zagrabiensis Episcopus* à Scriptoribus etiam exteris, perhibeatur.

CAROLUM Dyrrachium, rei totius Architectum Scriptores multi faciunt. Et licèt illa, quæ de Carolo, apud Spondanum aliósque scribuntur, suspectum reddant, cùm is Pontifici aliisque ingratus describatur, attamen tam præstitum Ludovico Regi juramentum de non repetendo Hungariæ Regno, quàm & bella quæ in Apulia gessit (de quibus vide Scriptores) Demùm illius commotio, tardatúmque responsum, dum ad Hungariæ Regnum invitaretur à PAULO Zagrabiensi Episcopo, dubium faciunt, an CAROLUS primorum motuum Author fuerit? Primos idcirco motus, ambitio causaverit? & Dominandi libido. *Joanni* itaque *de* PALISSNA (Item Joanni *Horvath*, & *Heriearth* nuncupato) AURANÆ Priori, & Dalmatiæ Cupido, attribuimus, (Quem nos alium, cum Lucio & Patriæ nostræ civibus contra, Ritterum putamus. Etiam Thuroczius Joannem de Horvathi, à Joanne Priore Auranæ distinguit . . . Et infra in Joanne III videnda LADISLAI de LOSONCZ Epistola, diversos fuisse docet) ex Pauli de Paulis Diario. Qui *Auranam* à Morte LUDOVICI rebellem, & per Reginas domitam scribit. *Joanne* in pœnam, AURANÂ privato. Quod cum ferret ægrius, medio Fratris PAULI Zagrabiensis Episcopi, in Sclavonia & Hungaria quærit socios. Ipse autem cum BOSNIÆ Bano TUARKO, sese consocians, novos in Dalmatia tumultus excitat. *Stephano* quoque *Laczkovich* in partes rebellium tracto, ut supplicium Jadræ sumptum, commemoret Paulus de Paulis his verbis: *1384 Die 8. Mensis Julij revelata fuit Proditio quam volebant facere* ZANINIUS DRAPERIUS, *Dancarolus cognatus ejus, & Petrus Trancalanta, unà cum Misculo miletich. Die XI dicti mensis, prædicti* ZANETUS, *&c. in hora tertiarum fuerunt trassinati per civitatem & capita eorum fuerunt amputata Jadra* &c. præstitum iterum fidelitatis homagium 18 Julij, coram novo Bano Dalm. & Croatiæ Comite *Thoma* (etiam Thomasius scriptus invenitur) à Regina submisso, in locum Stephani, uti hæc omnia Idem *Paulus* Rector tunc Jadertinus notaret.

Mutatio Stephani, auxerit Rebellium numerum, unà cum præmisso supplicio. PALATINO *Nicolao de Gara* fidele, & suspecto, harúmque rerum auctore insimulato, præcipue Publicato JOANNE, Ejúsque Bonis. Profectò ampliores fuisse motus, MARIÆ *Reginæ Decretum* insinuat, non solùm ex facta *primùm* 1384, Andreæ, Ludovici aliorúmque Regum, Statibus Hungariæ datorum Privilegiorum Confirmatione, sed & verbis illis: *Quia Thronus Excellentiæ Regalis culminis tanto solidatur felicius, quanto Principatus suos subjectos* OPTATÆ PACIS *præsidio duxerit, confovendos.* Illud quoque suspicari majores jam motus facit, quod per Nuncios duos submissos (ut ibidem diceretur) Privilegia exmissa, & Confirmata sint. Proinde sufficientibus jam, ad audenda nova, de DUCE constituendo Cogitatum. Et cum CAROLUS Appuliæ Rex, de Regio fuisset sanguine, Et JOANNI gratiosior, de evocando, Regéque constituendo conclusum. PAULUS Zagrabiensis Episcopus (Quem Spondanus præcipuum negotij Architectum appellat) ad CAROLUM Legationem suscipit. Et his Carolum allocutus à *Thuroczio* describitur. Postquam Idem *Thuroez* annotâsset. *PAULO* præ cœteris, hoc nefas cordi fuisse, & sub specie, limina Apostolorum, curiámque Romanam visitandi, abijsse.

Sermo Pauli Episcopi ad CAROLUM.

„ MAgnanime Princeps, túorum grata reminiscentia Progenitorum, apud nos nondum „ ingratam abolita per oblivionem, nostros ad te dirigere recursus nos animavit. Te „ alto Regum Hungariæ de Sanguine ducere originem, & præter te nostri Sceptra Regni „ competere scimus nemini. Es Nostrorum Virilis divorum propago Regum; effrenem „ Gentem, fœmineum nequit regere imperium. Levis sexus, quas suscitavit gverras „ componere nescit, illa quam quondam grata ubertate pollentem vidisti Hungariam, sævo „ stat marte lacerata. Atris concussæ flammis ædes, nigras redactæ in falces, flebilia ve„ stigia monstrant, Dominorum Cædes, agros steriles cruentat, plebs malignas sanctissima „ in partes, totis Regni in viscera viribus sævit, seséque omnes intestina rabie, Regnicolæ „ rodunt Quid inquam? ignipedes veluti fœtantis equi spreta levitate vectoris, per de„ via sparsi, orbem quondam impleverant favillis: sic gravibus Regnum pestibus undique „ implevere. Fractum igitur ut componeres Regnum, discordes unires Duces, Regnico„ lásque humiles, tranquilla pacis amœnitate gaudere faceres, nostrósque subires, quos „ diridere nequimus labores, & Rex Dominúsque noster effici non recusares: TE vocamus. „ Tibi jure debetur Regnum; Tibi nos æternalis jugo fidelitatis, bona fide subjicimus, ut „ illos, tui quos amavêre parentes, & tu amato. Tua itaque serenitas veniat: Nos quoque „ illud, quod Viatici, & ad res componendas necessarium erit, fideliter efficiemus. Si „ enim præjudicium sororis, quam ut nosti solio venerati sumus paterno, tuæ Majestatis „ morderet Conscientiam: præter solitum & illam sublimavimus; nec dato oneri fœminea „ sufficit sagacitas, maturi etiam ætas viri, tanto sub pondere sudat. Hungariæ populus, „ antiquo exposcente flagitio, undique medios inter hostes positus est. Odijs præterea „ intrinsecis, potentis ad instar pelagi fluctuat, & ut peregrinis ab insultibus tueatur, ma„ rem expostulat. Quódque tanti habenas Regni Virgo temperet, ardua res est. rebus in „ talibus magnanimi manus Viri interdum nutare videntur. Quid amplius differam? tibi & illi moderamine adhibito sufficiet: Latum enim est Regnum Hungariæ ita Turoczius. Et illud commemorans, Paulum Oratorem Unicum, litteras multis Sigillis munitas obtulisse, ac remotis omnibus Locutum CAROLO, Responsum tamen, ob tantæ rei magnitudinem, tardius *Paulum* recepisse, quod *Regina* cum Lachrymis Proposito adversaretur. Hinc jussum quoque fuisse Paulum, ne Caroli voluntas ad Reginam deferatur.

SPONDANUS autem, à Paulo Zagrabiensi Episcopo Carolum his circumventum „ recenset: *Hungariam nempe* magis ejus esse, ob cognationem generis, quam quod in Italia pos„ sideret: hoc enim Pontificiæ obnoxium ditioni, quod precario tantum haberi possit: Item „ insidiosum & fallax, sola novitate, ac Principum strage gaudens: Pontifices propriæ potius „ quam alienæ semper utilitati studere: Varia esse Italorum studia, multiplices artes, quas præ„ cavere, nemo unquam, etiam sapientissimus potuerit. Denique præ sapientia Viribúsque „ ejus, & Hungarorum ope, retenturum utrumque. Hæc Pauli argumenta fuerint facilè, ad permovendum Carolum, contra *uxoris Reginæ* consilia, quæ tota erat, ne Carolus in Hungariam proficiscatur. Dimittitur Orator Episcopus. Carolus componendis rebus siculis studiosissimus, illisque compositis, relicto afflictissimæ conjugi LADISLAO filio in Civitate *Barlettæ* Die 4. Septembris 1385. (ut Spondanus ex Coævis notaret authoribus) navi, Octavo die *Segniam* appellit, indéque terrestri itinere *Zagrabiam*, ab Episcopo grata hospitalitate receptus. Et per trimestre commoratus, cum à Conjuratis prospera quæquæ intelligeret, *Budam* venit, Reginas circumvenit (Sigismundo ad declinandas proditorum Insidias sese in Bœmiam recipiente) Illisque conniventibus, & præ metu Consentientibus, Rex proclamatur,

matur, & Ultima die Decembris 1385 ab Archi Eppo Strigoniensi inauguratur. Hæc, qui diffusius nosse cupit, *Thuroczium*, *Bonfinium* &c. adeat. Mira quæ in Coronatione Caroli accidisse observabantur, apud *EOS* Lecturus. Sed breve CAROLI Imperium.

Etenim 1386 insidijs structis, ac arte dispositis, ad Reginas vocatus Die 6. Februarij percussus, semivivus ad Carceres positus, admoto plagæ, venenato pharmaco; & obstructis faucibus interijt. Corpus in Claustro S. Andreæ, sine pompa repositum, paulo post, quod Pontificio anathemate mulctatus obijsset, effossum; intumulatum remansit. Dispersis ultrò citroque Infelicis CAROLI clientibus, seséque ad vindictam disponentibus. Quemadmodum accidit, cùm enim, Inferiores Regni partes lustratum *Reginæ* pergerent, in medio Campo ad oppidum *DIAKO* à Joanne dicto HORVATH, Interemptis in earum conspectu, *NICOLAO GARA* Palatino, ac *Blasio Forgach*, Comitatúque Reginarum partim cæso, partim fugato, Intercipiuntur. Quid demùm cum illis actum? Scriptores variant. Prouti & de Captivitatis die. Nam Interceptæ, in Festo S. Jacobi Apostoli cum scribantur, sunt qui Imà Maij hoc, factum velint, alij 25 Julij sustinent. Sed omissa hac Quæstione.

THUROCZIUS postquam humiles preces MARIÆ REGINÆ retulisset, de Regina Elizabet hæc narrat: *Dum autem nox superveniens, illius diei fugata luce undique suas diffudisset tenebras, Regina Elizabeth tollitur, & frenatis faucibus, amnis BOZWtha altas demergitur in aquas.* MARIAM verò in Castro CRUPA denominato, ac in partibus Croatiæ situato, carceri inclusam fuisse.

PAULUS de PAULIS, CARESINUS aliíque. Utramque Reginarum carceri mancipatam commemorant. *Die 13 Januarij* (verba sunt Pauli) *1387 Banus recessit, & die 16 ejusdem me fit reve sus est Jadram. Eodem die, hoc est 16 Januarij applicuit NOVUM, quod Domina Regina Senior, obijt in Castro NOVIgradi in Captivitate.* Item

1387 Die Sabbati 9 Februarij fertur, quod corpus prædictæ Dominæ Reginæ fuit Portatum Jadram, & repositum in Monasterio S. Crisogonij. Proinde Elizabeth demersa non fuerit.

DE MARIÆ similiter eliberatione, diversæ Sententiæ. *Thuroczius*, post reale Sacramentum per *Reginam*, allatis sacris reliqijs, præstitum, quod *Joannem* ut Patrem sit veneratura, & habitura, sponte à Joanne dimissam, narrat. CARASINUS apud LUCIUM p. 253 Virtute Veneta, & Joannis Barbadico liberatam recenset, *adeo* inquiens *arctavit ipsum Priorem Aurana, quod per vim Coegit eum, ad restituendam ipsam, Quam super Galeu duxit Segnam à carceribus, & morte turpissima liberatam.* Recenset dein, *Scardonam* à rebellibus occupatam, ab Eodem *Barbadico* receptam, *& Regia & Reginali Majestati* redditam. Sex ad Gratulandum, de liberatione Reginali, missos à Venetis fuisse, Quæ die Jovis 19 Junij 1387 facta & dignissimè accepta fuisset. Ex ordinatis Nuncijs, 4. reddivisse *Venetias*, duos comitatos Reginam fuisse, *ad Serenissimum Dominum Regem. Primo igitur Julij*, prosequitur CARASINUS, *subsequentis secidrunt eam, usque Sagabriam* ZAGRABIAM, *ubi invenerunt D. Regem, & eundem Panthaleonem Barbo militem, qui venerant obviam Reginali Majestati. Celebrata quoque ibi magna solennitate, Ipse* D. *Rex jam dictum D. Paulum Maurocenо ad honorem militiæ sublimavit. Subsequente Regia & Reginali Excellentia. Ipsique tres* &c. *BUDAM cum eximia lætitia pervenerunt* &c.

Scriptori huic subscribit Paulus de Paulis. „ *1387 Die 4 Mensis Junij de mane* Serenissima „ Princeps & Domina nostra naturalis, Domina MARIA Regina Hungariæ liberata fuit à „ Captivitate, & exivit de Castro Novigradi in quo detinebatur, Et Die Veneris sequentis „ ivi ad eam NONAM, & Die Crastina die Sabbathi locutus fui Majestati suæ, & die Lunæ „ immediatè recessi à NONA licentiatus ab ea. Postea die Sabbathi inde sequentis, die scilicet 15 prædicti Mensis recessit, à NONA cum galeis VENETORUM, & applicuit segniam, cras die Dominico. Unde recessit die Lunæ prima Julij, & die Jovis in nomine „ Sanctæ Trinitatis conjunxit se, cum Rege illustri Consorte Ejus.

Cujus testimonium, tam quoad liberationem, quam & Cronologiam, præferendum *Thuroczio*. Neque enim supponendum censeremus, à Regina obligata tanto Sacramento, permissam fuisse adeo severam in Joannem pœnam.

BUTCHO Corbaviæ Comes de Prodanicz vocatus, hodie Nádasd, Reginæ Mariæ adfuit; quoniam in Epistola sua ad Civitates Sibenici, Spalati, & Tragurii data & apud Lucium videnda, ita exprimit. *Datum Lucha in Villa DOLAC Die 4. Mensis Junii 1387 sub Sigillo Butcho Comitis Corbaviæ Curiæ Nostræ Magistri Ospatini, his propterea studuimus facere sigillari sigilli prædicti Ospatini Curiæ Nostræ, quia ad præsens sigillo caremus.*

Coronatum in Hungariæ Regem, Die Sacro Pentecostes 1386. *Thuroczius* perhibet. Sed Scriptores alij, ad sequentem annum, & merito hanc coronationem collocant. Immò cum post liberatam MARIAM, Sigismundi coronationem fuisse *Thuroczius* scribat, Ejus ad populum orationem referens, anterioribus consideratis, 1387. eam fieri oportuit. Verùm *Sigismundi* Coronationem, ante eliberatam MAriam scribunt alij. Caresinus sequentia habet

tandem suis evidentissimis rationibus induxit (videlicet Panthaleon Barbo Nuncius Venetus) *Barones, ad Coronandum in Regem Hungariæ prælibatum Sigismundum Regis MARIÆ detentæ maritum. Et sic 1387. Ultimo Martij in Dominica Palmarum extitit in Alba Regali, ante Altare BSSmæ MARIÆ Diademate solemnissimè coronatus.* Tum pergit recensendo MARIÆ eliberationem Dignis dein pœnis mulctati rei, JOANNES, Posegâ quam subintraverat dilapsus, in Bosniam se receperat, sed nec ibi tutus, fugitivus per colles & montium abrupta ferebatur, demum captus, Quinque Ecclesijs luit. *Primitus enim* Thuroczius *equi ligatus ad postera, Civitatis per plateas circumlatus est, tandem ignitis vexatus forcipibus: expost quadripartitus & Civitatis portis particulatim futurorum erudimento pro terribili, appensus, illam, quam in alios exercuit severitatem consecutus extitit.* De Pauli autem Episcopi pœna, variant sententiæ. Thuroczius istud commemorat: *Episcopus vero Zagrabiensis quamvis multis aliis necatis, non sit interfectus: nunquam tamen Ejusdem Episcopatus in Sedem, quamdiu vixit restitui valuit.* Ex Paulo autem de Paulis, Episcopum Zagrabiensem in Apuliam fugisse, antequam MARIA libertati restitueretur discimus 1387. ita ille, *Die 22. Mense Februarii Dominus Episcopus Sagrabiensis, & C. Thomas, Frater D. Prioris, & Bani iter arripuerunt, versus Apuliam, cum quibus ivit D. Paulus de Gregorijs, & cæteri alij Nobiles de Jadra, & cras die sequenti, recessit versus Croatiam D. Joannes Banus.* Ubi Posteriores, quos *Ladislaus fecit* in Dalmatia, utinam non causasset: exul Episcopus, tumultus. SPONdanus. Bonis publicatis Episcopatu privatum narrat, *cæteri Captivi* inquiens *capite mulctati præter Zagrabiensem Antistitem, qui ob Sacrosanctam dignitatem supplicio vitæ immunis, publicatis bonis, Episcopatu abdicatus est.* Quod & monumentis conformius. Cùm Sæculares Administratores Bonorum Legamus, & Ejus Successor *Joannes*, in tot reperiatur Diplomatibus.

Cœterùm PAULI Episcopi facta, Ecclesiæ, & Zagrabiensi Capitulo, non exiguas clades attulêre. Anno jam 1383. sumptum initium, Civitas enim Regia Episcopum & Capitulum molestare incepit, factæque Cædes, quas Georgius Marcellevich in quodam Instrumento se reperisse perhibet, quamvis generatim. Anno dein 1387. ex Epistola Ladislai de Losoncz Bani Zeurinienfis, & Regnorum Dal. Croat. Sclavoniæ Supremi Capitanei, quâ mandat civibus, ut ad Capitulum, & Episcopum irruant, non exiguam cladem ominamur. Et Ecclesiæ Zdâm cladem, uti Vinkovichius meminit, à Ladislao Losoncz causatam, ruinatámque iterùm Ecclesiam, uti p. II. uberius. Non solum prædicta Epistola infra in Joaне III. videnda sed Judiciariæ tot sententiæ, de quibus postea, aliáque diversa instrumenta judicare nos faciunt. Factum scilicet, ad vindicandum Pauli Episcopi facinus fuerit. Contra Regis Sigismundi voluntatem, Qui credidit primò, Episcopo adhæsisse Capitulum, sed re cognita (inferius visuri) damna illata Capitulo studuit, resarcire. Profectò Præsidium *Ivanich*, his motibus à Ladislao occupatum, an postea redditum Episcopis fuerit? necdum invenimus. Occupatum autem fuisse, docent Litteræ, ibidem à Ladislao LOsoncz expeditæ. Reliqua PAULI Episcopi, nos latent omnia.

XXXII.
JOANNES II.

TAcent de hoc, & Ejus Successore editi hactenus Catalogi. THOMAS KOVAchevich, in Descriptione causarum, intra Capitulum, & Civitatem Regiam, dum Joannis II. item III. & postea IV. meminit, eruisse ex tenebris hos duos Episcopos censendus. Sed quæ de ijs scribat? ignoramus. Cùm integrum Ejus opus non haberemus, at solùm, hinc inde Collecta quæpiam. Ritterus fluctuat, an duo vel unus tantum *Joannes* Paulo successerint, ad rei claritatem nequiens pervenire. MARcellevich demum, ex ijs quæ scripta reliquit ex monumentis Ecclesiæ eruta, dubium solvit. Itaque.

JOANNES II. Paulo abdicatô 1387. successit, nec ullum in hoc dubium. Quoniam in certâ quadam Judiciaria sententia Anni 1388. *Crisij* in favorem Joannis Eppi Lata Ejus nomen sæpius reperitur, Qua Sententiâ, quidam *Stephanus Mgr* in actu Majoris potentiæ fuit convictus, cum ita legatur: *Pro eo nobilium hominum Regni Sclavoniæ nobiscum pro Tribunali sedentium moderativo inducti consilio, nolentes ipsius Mgri Stephani præscripta potentiaria, & nefaria, atque malitiosa facta impunè pertransire, ne alij ab eo exemplati, se ad similia maleficia perpetranda apponere præsumant, sed potius ejus pœna, quoslibet alios obstupescat. Ipsum Mgrum Stephanum in facto potentiæ, ex eoque in sententia capitali & in amissione universarum Possessionum, & Portionum suarum possessionariarum, universorumque & quorumlibet Bonorum suorum, ipsum solum proprie contingentium, in duabus partibus Cameræ Regiæ in tertia parte dictæ parti adversæ devolvendas, & redundandas decernimus, & aggravamus, authoritate nostra judiciaria mediante.* Præterea. In diversis Regiorum instrumentorum conclusionibus JOANNE Zagrabiensi jam ab Anno 1387. est legere. Nec producti-

ducimus quaspiam, cum Author Archi Epporum Strigoniensium pag. 70. exhibeat, Baronum Prælatorúmque nomina, cum Instrumento nostro cohærentia. Qua de causa Anni 1384. Prælatorum nomina reffere neglexímus, quod eadem essent, cum ijs, quæ in conclusione Litterarum MARIÆ Reginæ, in *Corpore Juris Nostri*, continerentur. His solùm exceptis: sicuti nempe in instrumento nostro anteriori, quia IV. Idus Januarii 1384. expeditio legeretur. *UGORIA Ragusiense Archi Eppis Benedicto Vesprimiense*, nisi fors idem sit cum BUDINO, Qui in conclusione Corpori juris inserta, & posteriore tanquam X. Kal. Julij 1384. Data, exprimitur. *STEphano Pharense. GEORgio Bosnense, ac demum STEphano Dalmatiæ & Croatiæ Banis.* In reliquo Eadem sunt nomina. *Templinus* in Corpore juris Dal. & Croat. Banus dictus, Stephano ut supra vidimus, post mensem Januarium successit Jam ad Episcopum revertamur.

JOANNES II. BOHÆMUS fuerat, Gravis Ecclesiæ & Capitulo, à Quo, causam ignoraremus, Decimas omnes occupaverat. Odia in Ecclesiam, cum Ejus inimicis fovit. Vitæ quoque Laxioris fuerit, ut Capitulum eum, & apud Regem SIGISmundum, & BONIfacium IX. in jus vocaverit. Quid porrò fuerit, non eruimus. Hæc autem quæ à Nobis dicta sunt, EBERHARDI Episcopi, Datum Zagrabiæ 2da Die post Festum S. Francisci, Anno 1405. Instrumentum loquitur, in quo post alia (suo loco refferentur) *Prouti nempe temporo disturbiorum in Regnis Hungariæ & Sclavoniæ per Joannem Episcopum Zagrabiensem Prædecessorem Nostrum Bohæmum alias, simile: Eodem Joanne per Canonicos super eisdem & aliis Novitatibus ac licentijs, in Curiam Romanam personaliter evocato & se proborum Virorum arbitrio, sub certis obligationibus submittente, factum fuerat.* Paucis, multa expressa. Sed Quæ illæ novitates Joannis? quæ obligationes in Curia Romana positæ? nec conjecturari possemus. Istud unicum perhibent Documenta, Joannem Episcopum, Decimas Capitulo, Item terras in Sztruga prope & penes Savum, ac terras in Baconyapolia juxta Chucherjam, restituere debuisse. 1394. vel sub Initium 1395. Zagrabiæ mortuus, & in Cathedralis Ecclesiæ ruinis, sepultus, invenitur, ex liberæ Regiæque Civitatis Zagrabiensis contra Capitulum in Processu accusationibus, & respectivè defensionibus, apud Thomam Kovachevich, & Georgium Marcellevich, ubi *Joannes olim Eppus Zagrabiensis* vocatur. De quibus, in Successore plura.

VERUM Quæ illa Disturbia? Eberhardus non exsprimit. Illorum tamen temporum Scriptores suppeditant. Impacatum, inquietúmque SIGISmundo fuit imperium. Vindicata MARIÆ Reginæ Captivitate, aliorúmque morte. JOANNES de Palisna, Joannis filius Bosnensium adjutus viribus Dalmatiam turbat, ibidémque eventus varij. LADISlaus Caroli filius, Neapoli evocatus, Jadræ in Hungariæ Regem, per Legatum Pontificis coronatur 1403. De quibus, cum hic loci ex Instituto non scribamus, *LUCIUS* hæc, cum Cronologia, ex Diplomatibus, accuratè pertractans, *Paulus de Paulo* videns, & pleraque tractans, ac alij: videndi. In Hungaria quoque, plerósque, nec hos ultimæ conditionis & sortis, à Sigismundo alienos: Thuroczius declarat. Sed nec in Sclavonia Amici Sigismundo omnes. Prout hoc, tam ex Thuroczio, quam suprascripto Eberhardi testimonio colligitur, & Paulo de Paulis ita scribente: 1395. *Die Martis 26. Febr. in CRISI* (id est CRISII. Quæ Civitas in liberam Regiámque iterum à Sigismundo firmata, Privilegium Civitatis obtinuit, in quo Rex agnoscit, eam à COLOmano Hungariæ Rege, in liberam Regiàmque Civitatem elevatam fuisse (*in Curia D. Nostri Regis Sigismundi, interfectus fuit Stephanus Laccovich* (Laczkovich; apud Thuro: LACZK) *cum Nepote suo per certos Barones Hungariæ. De quo venit novum Jadram Die 6. Martii.* Quæ si ita sunt, prouti plus Paulo huic deferendum videretur, quam THUroczio, ex relationibus colligenti & scribenti, Stephanus Laczkovich, ante Sigismundi Captivitatem, perijt. Nec ex suspicionibus solum, sed Infidelitate punitus est, ac indubie, XXXII. illi Milites, quos Thuroczius Budæ à Sigismundo narrat castigatos, in Stephani fuerint Societate. Cœterùm quæ Stephanus à Paulo relatus, vel hoc mortuo alter, prioris Stephani fors filius commiserit Crimina, Thuroczius recenset. De alijs Sigismundi Regis Factis, ut Bello malè ad Nicopolim gesto. Bello Bosnensi, Cœterisque Scriptores videndi. Thuroczium in Cronologia lapsum, Quivis in historia versatus animadvertet. Nos quorundam Sigismundi (quæ nempe ad rem nostram necessaria erunt) mentionem facturi.

BANORUM retroactis Annis, tanta totque eruuntur Nomina, Ut qui pro Legitimis habendi? dubium sit. Ut enim confusas Provincias, narrant Historici: ita Bani Varij. Attamen *SCLAVONIÆ* Legitimos Banos, hos eruimus. *1383* Stephanus & Joannes de Lindva Sclav. Bani. & *1384* solus Stephanus. *1385* Petrus ZUDOR iterum. *1387* LADISLAUS de LOSONCZ Banus Zeurinienfis, Dal. Croat. Sclav. supremus Capitaneus, Anno sequenti Sclav. Banus. *1391.* Detricus Bubek cum Petro Zudor. *1393* Joannes ANZ dictus de Luba, Comes Segnæ, Dal. Croat. & Sclav. Banus. In nonnullis Privilegijs legitur de Frangepanibus.

LUBA verò Castellum Jadræ vicinum est, à quo Jadrensibus molestus fuit. *1394* LADISLAUS de GORDOVA, & PAULUS de ISDEGE, Sclavoniæ Bani leguntur. At vel fuère illegitimi, vel purè Militabant, cum his Annis 1393, & sequentibus, ad 1397, DETRICUS BUBEK Sclavoniæ Banus in diversis Sententijs inveniatur. Sic in Confirmatione Privilegij de Portu Jelenovcz 1395 Dato Capitulo, exprimuntur. *JOANNES de KANISA Archi Eppus Strigoniensis & Cancellarius. JOANNES Eppus Zagrabiensis. Leustachius de Ilswa, Palatinus & Comes Albensis. Detricus Bubek totius Sclavoniæ Nicolaus de Gara Dalmatiæ & Croatiæ Bani.* Qui Nicolaus *1397*, Dal. Croat. & Sclav. Banus invenitur.

Porro 1387 *Fr. Albertus, filius Stephani de Laczkovich Electus Prior Aurana Vice Banus*, invenitur. Sed credimus fuisse illegitimum, cum Aurana parùm Fidelitatis Hungariæ Regibus habuerit, Anno illo & sequentibus. *1392 Comes Joannes Mislenovich Vice Banus.* Credimus appellari Comitem, ex Comitatu Crisiensi. *1395 Mgr. JOANNES*, filius Anthuni, *Sclav. Vice Banus, & Comes Crisiensis.* PAULUS vero MIHOLEVICH, allibi Mihalich, Miholivich, Dalmat. & Croatiæ Vice Banus.

His quoque Annis, præsertim ab amoto PAULO, legimus Canonicos Zagrabienses, ex aliorum Collegijs Capitulorum. Sic: P*etrus Præpositus Strigoniensis, & Canonicus Zagrabiensis* 1395. *Nicolaus* Quinque Ecclesiensis & Zagrabiensis Canonicus. Item alter *Nicolaus*: Hungarus & Canonicus Zagr. *GEORGIUS* Prior Generalis PAULInorum, & Fr. *Colomannus* Vicarius Remethensis in Anno 1394 leguntur.

BANOS demùm Dalmatiæ & Croatiæ, ex LUCIO & Paulo de Paulis, eruendos relinquimus Lectori studioso. Quoad opus nostrum, typis edatur.

XXXIII.

JOANNES III. DE GARA.

Joanni Bohæmo, Joannes de Gara, Frater Nicolai 1395, datus Successor. Sclavus vel Hungarus fuerit? cum tota hac nobilissima familia, cui lubet disputet. Ratkajus ex Istvanffio, Sclavum contendit, sed hoc à Castro *Garich* neutiquam deducturi, cùm illud Episcoporum fuerit Zagrabiensium. Quisquis ergò de GARA fuisset, Vir prudentia, Consilio, Zelô, non postremus censendus. Enimvero, ad cognoscendas, componendásque res Dalmatiæ, nominatim intra Jadertinos, & PAGENSES, à SIGISMUNDO Rege missus, Paulo de Paulo his verbis narrante *1396 Die Martis, Madij 23 applicuit Jadram R. P. D. Joannes Episcopus Sagrabiensis una cum D. Joanne Fratre D. Bani, & Comite Corbaviæ* BUTCHO ut loco alio perhibet. Quid ibi Joannes egerit, Idem narrat, nempe auditis Jadertinis NONAM progressum, ibique indictis, celebratísque Commitijs, & auditis partibus, Sententiam in favorem Pagensium tulisse ac Insulam Pagensem Fisco Regio attribuisse. Nec scimus an statim rediverit? cùm & Sigismundus Tinninij hoc Anno fuisse, ex *Pauli memoriali* eruatur. Et JOANNES Episcopus, *Secretarius Cancellarius Regis* Anno Eodem, & subsequis: fuisse eruatur, ex titulo Vicarij sui Generalis, quem, hunc in pluribus Sententijs Legimus: *Joannes de Senis Decretorum Doctor, JOANNIS de GARA Episcopi Zagrabiensis Decretorum Doctoris, & Secretarij Cancellarij REGIS, in Spiritualibus Vicarius.* Adeoque Sigismundus, duos Cancellarios habuit, *Joannem de Kanisa* Strigoniensem Archi Eppum, Cancellarium, qui in Privilegijs quoque Legitur, Et *JOANNEM nostrum* qui à Secretis, ideo *Secretarius* dictus, SIGISMUNDO fuerat. Habuisse Episcopum nostrum, LADISLAUM Fratrem, & Episcopum VACIENSEM ex duabus videre est Sententijs, in quibus præsens fuisse scribitur judicio. Dum Fratrem inviseret. Reducem Joannem ex Dalmatia ad finem Augusti, Sententia per eum lata 1396 die 17mà Septembris docet.

Summo Capituli & Ecclesiæ hujus Commodo, Joannes datus Antistes. SIGISMUNDUM à suspicionibus contra Capitulum, ob facta PAULI Episcopi removit, clarè edocens, Capitulum in parte non fuisse. Hinc Sigismundus, 1397 in Festo Inventionis S. Stephani Proto Martyris Tyrnavia dat litteras, quibus, Decimas intra Dravum & Muram remittit Capitulo, quas Palatinus, & Fratres sui occupaverant. Item Eodem Annò, *in descensu Campestri*, scribit Comitatui Zagrabiensi, ut Possessiones Capituli *Koznicza* & inferius *Ottok*. Capitulo restituantur. Cùm jam Prius ipse, omnia restituisset.

Binas celebriores causas à Joanne fuisse cognitas, Kovachevich, Marcellevich. Ritterus, imò monumenta ipsa fidem faciunt. Prima fuit. Præposito Majore LADISLAO Actore, contra Capitulum, ratione Possessionis *Blagussa*, quam Præpositus, cum possessione *Vrasylaz* Præposituræ ingremiatam volebat, ex *Statutorum* libro, contendens malitia Capituli Rasam ex libro possessionem *Blagussa* esse. Capitulum contra, Litteris Stephani Dal Croat. & Sclav. Regis, de Anno 1270. *Blagussa* Cap tuli esse urgebat. *Vrasylaz* verò à Nicolao filio

lio Petri de Ludbreg, Capitulo Legatum, & à Rege LAdislao IV. confirmatum probavit, hinc utramque Possessionem, suam esse volebat. Institit libro statutorum Ladislaus, utpote post divisionem confecto. Joannes ergò Eppus 1396. assidentibus Ladislao Fratre suo Eppo Vaciensi, Joannè de Senis Decretorum Doctore, Lectore & Can Zagr suóque Vicario, nec non aliis peritis probisque Viris, Capitulo juramentum adjudicat, *Rasuram* in præmisso libro, non à Capitulo, sed scriptore illius, commissam fuisse. Et sententia feria 5. ante Nativitatem S. Joan. Bapt. executioni mandata, ubi præsentibus Parochis pluribus, Præposito Ladislao, ac Joanne de Senis *peractis Missis, in superpellicio & Stolla, stando in stallo* jurârunt.

Nicolaus *Cantor*	Joannes de Marovcha
Joannes *Cathedralis*	Joannes Lancelloti
Gregorius *Dubicensis*	Dionysius de Crisio
Joannes de *Kemlek*	Benedictus Ivancsc
Simon de *Vasca*	Thomas Pauli
Himchko *Chasmensis*	Petrus Andrioli
Gregorius de *Bexin*	Gregorius de Varasd
Stephanus *Varasdinensis*	Nicolaus de Quinq. Ecclef. Senior.
Joannes de *Urbocz.*	Benedictus Joannis
Blasius *Custos*	Nicolaus alter de Quinq. Eccl. Junior.
Martinus Magnus dictus	Stephanus Farkassij Canonici Zagrab.
Barnabas Mikonis.	

Archidiaconi Camarcensis, Goricensis, Præpositus item Chasmensis abfuerunt, uti & Magistri *Nicolaus* Emerici de Bikzad, *Omodeus* filius Joannis de Turilovcz, *Ladislaus* qui postea fuit Cathedralis, & *Gerardus* postea Lector.

Nemini moveat stomachum hæc relatio. Præterquam enim, quod cum Joannis Eppi actis, referenda videbatur; jure ad Capitulum, possessiones illas pertinere, docere voluimus. Demonstraréque librum illum, tot Virorum Sacramentis firmatum, fidem mereri, prouti & hactenus, in tot judicijs eam obtinuit.

Alia causa, Capitulo fuerat cum Civitate. Veteres jam ab olim, præcipue ob limites, ut intra vicinos esse solet, & tributa, inimicitiæ. 1383. item 1387. fuisse quaspiam, ex Instrumentis eruitur, sed quæ illa fuêre dissidia? nesciremus, Et vix integrè composita fuerint. Legimus quidem 1391. Cives coram Detrico Bubek Bano, causam amisisse, sed Sigismundum de Dato Posegavar, fer. IV. ante Nativ. B.V.M. à Bani judicatu Cives absolvisse, & Tavernico rem judicandam demandavisse. Proinde Dominica ante Festum S. Thomæ, spoliantur & cremantur per Cives Canonicorum & Præbendariorum ædes, aliáque patrata, quæ verbis THOMÆ Kovachevich, refferemus.

„ In Anno nati Emanuelis 1396. Dominica proxima festum D. Thomæ Apostoli an-
„ tecedente, præfati Cives, nescitur unde moti, consilio innito ad sonum campanæ, vexi-
„ llis expansis, manuque armata hostiliter, ad aream capitularem descendentes, in eam
„ tanquam spoliatores & deprædatores (ut Joannes III. Eppus Zagrabiensis, in lata contra
„ eos excommunicationis sententia loquitur) irruerunt, Curiásque Canonicorum, & Præ-
„ bendariorum invadentes, quidquid in eis reperêre, diripuerunt, & asportarunt. Cúm-
„ que veluti Christianæ Religionis detestabiles Apostatæ (ut idem Joannes ait (in diversas
„ Papales litteras sacrilegas manus injecissent, & detractis bullis, easdem pedibus conculca-
„ tas, cum diversis processibus concremari fecissent, demùm & in Canonicorum domos ig-
„ ne injecto, plurimas in cineres redegerunt. Tum ad residentiam Episcopalem (quæ,
„ sicuti Area capitularis, cujusque accessui libera patuit, ita nec ipsa muro circumdata
„ fuit) progressi, eam similiter rapina & Incendio divexare in proposito habuerunt. At ab
„ hominibus Eppalibus (inter quos filium Comitis Curiæ vulnere sauciârunt) repulsi, con-
„ tra Ecclesiam tunc furorem suum converterunt, si quo pacto eam Thesauro & Sacris Reli-
„ quijs spoliare possent; sed & hic obsistente Valvarum validitate, cum penetrare nequi-
„ rent, complures in eam sagittas conjecerunt, Re itaque infecta redire compulsi, in duos
„ Canonicos Archidiaconum velicet Bexin, ac Capellanum Regium, & quendam ex Ma-
„ gistris (nam reliqui omnes formidine mortis, Bonis omnibus relictis, fugæ præsidio, vi-
„ tæ consuluerant) impingentes, compræhensos, non nisi diris verberibus, & vulneribus
„ impositis dimiserunt. In simile infortunium incidens, unus ex Præbendariis, tantas ab
„ ijs plagas reportaverat, ut semivivus relictus, dubium pro eo statu, de vita sua daret.

„ Jam vero nec his contenti, sed mala malis accumulantes, in Ecclesiam D. Francisci irruerunt, unùmque de familiaribus judicis Capituli, inde extractum, ac flagris & vulneribus oppressum, secum ad propria abduxerunt; Alio interempto relicto. Sic & Genitorem Dionisij Canonici, Sexagenarium Civem Crisiensem, bonis omnibus spoliatum, secum abducentes, post plures captivitatis dies, non secus, ac erga cautionem fidejussoriam, sine rebus dimiserunt. Illud autem crudelius, quod Fratrem duorum Canonicorum (quorum unus fuit Archidiaconus Bexin) occidentes, Cadaver exanime per lutum, usque ad Civitatem raptatum traxerint. Tandem pluribus aliis, enormibus facinoribus perpatratis, postremo contra Ecclesiam & Capitulum complures machinas (quas Bombardas vocant) in signum veluti cujusdam Victoriæ, explodi & fulminari curarunt, non sine gravi Ingratitudinis vitio, quod communitas ipsa multa Bona ab Ecclesia, Episcopis, & Capitulo Annis retroactis accepisset, ac de lacte & pinguedine ipsius Ecclesiæ cum magna dilectione, plurimi de eadem educati extitissent Hæc omnia ex litteris memorati Joannis Eppi, desumpta. A quo tantorum facinorum patratores ad Curiam suam, pro exaudienda sententia excommunicationis, quam incurrerant, bis citati, cum neutra vice, nec per se, neque Procuratorem comparuissent, tandem feria VI. proxima post Festum Epiphaniæ Anno 1397 excommunicati, & sacrilegi pronunciati, ac Ecclesiastico interdicto subjecti fuère. Præcipiente Præsule universis &, singulis Abbatibus, Prioribus, Guardianis, Plebanis, & Ecclesiarum Rectoribus. ut in eorum Ecclesijs memoratos Cives, singulis diebus Dominicjs & festivis intra Missarum solemnia excommunicatos publicè denuncient, & ut tales Quisque vitet, neque audeat quis in eorum Civitate, aut suburbijs Divina peragere. Manserunt Infelices homines, è gremio Matris Ecclesiæ ejecti, per tres circiter menses, usque videlicet ad diem 12. Aprilis, quando ab Excommunicatione absoluti, & remoto ab ijsdem Ecclesiastico interdicto, ad Communionem fidelium sunt repositi. „ HACTENUS Thomas Kovachevich.

GEORGIUS verò Marcellevich, Prioribus ennarratis addit, ex ijsdem JOANNIS Episcopi Litteris. *Hinkonem Capellanum Regium, & Archidiaconum Chasmensem vulnerârunt prouti & NICOLAUM Quinque Ecclesien. Antonium dictum CERDA prabendarium Semivivum reliquerunt. Ex Ecclesia Franciscanorum, familiares Canonicorum extraxerunt, vulnerârunt. Patrem Dionysij BONArium dictum nomine Matthaeum, ad Carceres posuerunt, & non nisi sub Cautione dimiserunt.* Præterea Idem Marcellevich, describit Casum, prouti eum Civitas, haberet Notatum. Verbis sequentibus.

„ 1397 Notat Civitas, quod feria 2. post Epiphaniam, Joannes Krispus Kemlek, Gregorius Dubicensis, Joannes Urbocz, Simon Vasca, Joannes Farkassij Cathed, Himczko Chasmen. Stephan. Varasdin. Gregorius Bexin Archidiaconi. Joan. Lancelloti. Benedictus de Monoszlo, Gregorius de Varasd. Nicolai duo Hungari, Martinus Magnus, Barnabas Mikonis, Benedictus Ivancse. Nicolaus de Kassina, Thomas Nepos Custodis, Blasius Custos, Dionysius de Crisio, Stephanus Hungarus, & Petrus Crispi, Canonici Zagrabienses. Congregatis jobagionibus, stabulum Unius Civis, cum duabus domibus, in Civitatis terreno constructis, cum fœno, frugibus &c. noctu combussissent, & duos in stabulo inventos occidissent. Item in Festis Natalitijs ijdem, ancillas Civium aquam haurientium spoliari, ac boves Civium auferri, & per Joannem olim Eppum Zagrabien. interdictum imponi, ac excommunicari, 8va die festi S. Joannis Evangelistæ, de Ss. Locis & Cœmiterijs erui, & ad aquam projici fecerunt. Itaque ob metum Joannis Eppi Zagrabiensis, & Capituli: Cives exire non audebant.

Sane cum Præmissorum neuter, Originem exprimat, & Civitas facta prætensa Canonicorum, die illo accidisse narret quô Sententia in illos lata est, redditur dubia narratio. Sententia Coram gravissimis Viris Lata est, Videlicet JOANNE Strigoniensi, Andrea Spalatensi Archi Eppis. Joanne Bosnensi, Mathia Rosenensi Eppis, Fr. Bartholomeo Guardiano S. Francisci Zagr. Matheo de Vicedominis, de Pacentia. Juris utriusque Doctore. Joanne de Senis Decretorum Doctore, Vicario Joannis Episcopi Zagrabien. Quæ 2. Februarij executa, *Campanis pulsatis, candelis accensis primò, dein extinctis & in terram projectis*, Et per Notarium publicum Confectum instrumentum, ad preces Joannis Krispus, Kemlek. Et Dionysij Mathæi de Crisio CC. Zagrabiensium.

NOBIS videretur, Origo rerum harum, factaque illa atrocia, quæ ex Instrumento publico, narrat Kovachevich, simul cum illis quæ Anno 1387 ad mandatum Ladislai Loszoncz patrata fuêre, in eadem Sententia accepta. Et Cœdes illas, spolia, aliaque Anni esse illius. Cum tamen Capitulum, inimicorum sugestionibus, ex suscepta à Sigismundo infidelitatis Capituli, suspicione; Prouti &, quas cum Joanne II Eppo habuit discordias, procedere nequivisset. Rege Sigismundo per JOANNEM III Episcopum, placato, Civitatem

ob

ob priores injurias in jus coram Episcopo vocâsse. Qua re irritati Cives Die supra declarata irruerint iterum, stragem tamen tantam, secundo hoc impetu, non fecerint. Licet in Sententia, utrumque assumatur. Ratio opinionis nostræ desumitur, primò: ex impertita sine pœna omni, censurarum remissione; facta ad Mandatum Vicarij Generalis, Die 12 Aprilis 1397 in Ecclesia S. Marci, per BARTUCIUM Archi Eppum S. Thadei, & Mathiam Rosenensem Eppum, ac Joannis Eppi Zag. in Pontificalibus suffraganeum. BARTUCcium Roma missum authumaremus. Ubi Cives, se ad mandatum egisse, demonstrârunt. Quod & talismodi habuerunt. Nobis ab amico quodam, ex loco fide digno, communicatum & descriptum, tenoris sequentis.

„ LADISLAUS de Losoncz, Capitaneus Generalis Regnorum Dalmatiæ, Croatiæ „ Sclavoniæque. Banus Zeuriniensis. Prudentibus & discretis Viris Judicibus & Juratis, „ ac Universis habitatoribus Montis Græcensis prope Zagrabiam salutem. Quia nobis con- „ stat ex relatione fidedigna, Quod Joannes pridem Banus Machoviæ, & alter Joannes pri- „ dem Prior de Aurana, cum Horvath, & cum multis alijs rebellibus, eorum complicibus „ & sequacibus, aggregaverunt ingentem & magnum exercitum, contra & adversus omnes „ fideles Reginalis Majestatis, & signanter contra vestram Civitatem, quæ super omnes in „ sua fidelitate lucet, sicut luna super stellas. Cùmque verè cognoscamus, quod Capitu- „ lum Zagrabiense sit omnino destitutum omni custodia, propter absentiam Canonicorum, „ quia adhærerent Ipsis Rebellibus supradictis. Et videamus, & apertè cognoscamus, quod „ si dictum Capitulum, sic forte perveniet ad manus ipsorum æmulorum, totum Regnum „ Sclavoniæ læderetur; Et super omnia Ipsa Civitas montis Græcensis penitus deleretur. Id- „ circo super isto providentes, vobis & vestrum cuilibet, sub pœna Infidelitatis præcipimus „ & mandamus, quatenus mox visis præsentibus, ad Ipsum Capitulum festinanter descen- „ datis, & ipsum murum sive Palingarum scindentes, radicitus evellatis, & evulsum ad „ Domus vestras deportetis. Aliud, si gratiam Reginalem & Marchionalem contra vos non „ cupitis indignari, non facturi. Datum in monte Græcensi prope Zagrabiam, Die I. „ Martij 1387.

Sed malè LOSONCZ ex Canonicorum absentia, adhæsisse Rebellibus eos sensit, taliterque informârat Sigismundum, causa heu quantorum existens malorum. JUSTUS DEUS! temeritatis, & infidelitatis meritas postea luit pœnas, non ille solum, sed & Stephanus filius, à Patre LACZK vocitatus. Vide Thuroczium, & quæ nos supra retulimus. Cœterùm Epistolâ illius, Historia non parum illustratur. Subscriptio SIGISMUNDI superius relata *in Defensu Campestri* videretur nobis, Bellum BULGARICUM denotare. Quare non caret fundamento, eorum Sententia, qui Nicopolitanam Pugnam ad 1397 rejiciunt, licèt Spondanus 1396, eam fuisse sustineat. Profectò visis ijs, quæ 1396 in Dalmatia egisse Sigismundum Paulus de Paulis reffert, Eúmque Tinninij tunc fuisse commemorat, Nicopolitanus Casus, Anno 1396 haud acciderit. JOANNES Zagrabiensis Eppus 1397, *quia Secretarius Regis Cancellarius* abfuit, ut in Civitâtis Sententia. Actis; egerint omnia, Vicarius, & Suffraganeus.

JOANNEM HUNC III credidit Marcellevich, ante festa Nativitatis Domini 1397 mortuum. Sed cum Rege, uti credimus salvatus, Patriæque redditus, NICOLAO BUBEK in Colocensi Archi Eppatu successit. Statuimus istud ex Capituli Zagrabiensis, ad Eberhardum 1402 instantia, ubi: *Quod cum per Cives Zagrabienses*, AREA *Capitularis*, *esset hostiliter combusta*, JOANNES *tunc Episcopus Zagrabiensis* MODO *autem* ARCHIEPISCOPUS *Colocensis* DESIDERATISSIMUS. *Statuit ut quicunque aliqua ædificia in eadem area construeret, de valore Ejusdem ædificij, medietatem disponendi habeat sive in vita, sive in morte.* Quod confirmat Eberhardus. Addiciens: *Prout fuit & hactenus observatum, infra 30 dies familia decedentis Canonici, de Curia, quam vivendo inhabitavit, amoveri non possit. Imo infra dictum spacium dierum 30, obventiones singulas, ex ipsius beneficio percipere possit in integrum, omnino determinamus.* Fors hic, vocati *Dies fatales* initium, vel saltem confirmationem habuerunt.

In libro *NATALES Archi Episcopatus Colocensis*, Joannes de GARA, Andreæ postponitur, cum tamen anteponendus fuisset. Et JOANNES Corpori Juris insertus, alter sit, nam mortuo Joanni de Gara, Andreas successit, Ut in Andrea dicturi. Sed Religiosi viri laudandum studium, qui in defectu instrumentorum, & illud præstitit. *Joannes* Præterea ille, qui in CONCILIO Florentino disputavit cum Græcis, teste *Antonino* apud Spondanum ad Annum 1439. pag. nobis 861, & in Conclusione Decreti SIGISMUNDI *in corpore juris* Anno 1435 continetur *Joanne Colocensis* (Spondanus Colossensis scribit) fuit ex *ordine Prædicatorum*. Proinde nullatenus *Joannes de* GARA.

XXXIV.
EBERHARDUS DE ALBEN.

INstrumenta plura perhibent Eberhardum 1398 Zagrabiensem Antistitem fuisse. Ita enim notat *Marcellevich*. „ *Eberhardus* Eppus de dato Chasmæ 1398 confirmat litteras Joannis Eppi. Quibus Joannes ratum habuit, judicium LADISLAI Eppi VACiensis sui Locumtenen„ tis, quoad Dispositionem ejus negotiorum in Cottu *Szalatnak*. In quo judicio A. erat Ste„ phanus Finthee, Villicus de Szalatnok Eppi Zagrabiensis contra Benedictum & Philippum „ Ponije de *Sziaia* Prædiales ejusdem, conquærens, quod isti illum in quadam terra deserta, „ dumetorum aquaticorum vulgo *Vaesuszka Zemlia* Cottú de *Szalatnak* inter Prædia *lovnik* ipso„ rum *Ponije* ab Una parte & szigeth vocata, claustri Eccl. BSs. V. MARIÆ de Vasca Cano„ nicorum Regularium superpeliceatorum, partibus ex altera, penes fluvium *lnekamlaka* „ vocatum, de dicto *LOVNIK* in lacum Pereth fluentem, habit. & existen. Sibi per D. Jo„ ANNEM Priorem Eppum, nomine Prædij data, more aliorum ipsius Cottus Prædialium; „ quà videlicet per ipsum Stephanum Villicum, partim populata, & vocata *Stephanovecz* ex„ stitit, perturbarent, asserentes ipsam terram ad eorum pertinere Prædium. Celebratum „ autem fuit judicium, Præsentibus Francisco de *Brezeneza* Comite Ejusdem Dñi Eppi, Co„ mitatus supradicti, & Præposito Claustri, & extradatum Zagrabiæ 1396. Quod ratum „ habuit, Joannes Zagrabiensis Eodem Anno.

Hæc descripsimus Verbis Ejusdem *Marcellevich* quod plurium notitiam darent. Sed & in Anno 1349, Eppatum Eberhardi confirmant, binæ Capituli *Contradictoria* ut vocamus litteræ. Alia coram Caplo Varadiensi per Nicolaum ZOLNUK, alia per Joannem Cantorem coram Caplo Albensi factæ, de non abalienando Castro Medwe, per Sigismundum, Eberhardo donatum, & per hunc, Nepotibus suis, Petermanno, Hermano, & Rudolpho, filijs Rudolphi de Alben tradito. Item Ejusdem Eberhardi invenitur de Dato DOMBRO 1399 in Festo Ss. Cosmæ & Damiani ad Nobiles Campi Zagrabiensis scripta Epistola, qua significat, amplius se eos protegere non posse, ne solvant Capitulo Decimas, visis enim Capituli documentis Legitimè ad Capitulum Decimas pertinere cum agnosceret, ea parochis se dedisse mandata, ut ferendas næ fors Censuras, promulgent.

EBERHARDO SOLUBRIensem in Achaja, suffraganeatûs Constantinopolitani Patriarchæ, delatum à Papa fuisse Episcopatum notat Marcellevich, & hunc contra voluntatem Papæ recusâsse Eberhardum, sed Zagrabiensem retinuisse. Utinam adjunxisset, à quo Papa? & qualiter delatus illi fuerit Eppatus. Verosimilius à BENEDICTO Antipapa, cum diversarum hujus Benedicti Constitutionum, faciat mentionem. Sed Eberhardum recusavisse, ne Benedicto obligatus, schisma fovere debeat. Ex Illustri celebríque de Alben Familia fuit Eberhardus, Barbaræ Reginæ si non frater, proximè certùm junctus sanguine. Sigismundo Regi fidelissimus. Cum enim Is per quosdam circumventus, Captus, ac detentus in *soklos* fuisset (Thuroczius, Bonfinius &c. consulendi) EBERHARDUS, BANATUM Sclavoniæ 1402 cum Emerico Bubek gessit. PAULUS autem Bissenus, quem Fratrem suum Eberhardus nominat, Ejúsque, ut videbimus, in testamento suo facit mentionem, Dalmatiæ & Croatiæ. Ut credamus, Familiam hanc, in his partibus saltem, SIGISMUNDO fuisse fidelissimam, Ejus, sustinendo Imperium, Vires. Profectò in litteris ad Zagrabiense Capitulum 1405 Zda Die post Festum S. Francisci datis, ac Decimas Davivocz aliáque remitentibus, exprimit *cum nos alias, ac præsertim tempore quo SIGISMUNDUS REX in captivitatem inciderat, ex necessitate, ac ex eo potissimùm quia armatis militibus, cum quibus tunc fortiter Regnum Sclavoniæ subintrantes, & Proceres Ejusdem gubernantes, in officio ex debita fidelitate continebamus, stipendia solvere ex proventibus Episcopalibus non potentes, ne quod ceperamus intermittere cogeremur. Et error major succedat minori, coacti fuimus Decimas occupare, Prout nempe tempore disturbiorum in Regnis Hungariæ & Sclavoniæ per Joannem Episcopum Zagrabiensem simile, alias Bohemum, prædecessorem nostrum, simili forma factum fuerat* &c. ut supra. In Joanne II. Merito igitur, ob tot Familiæ hujus servitia, Sigismundus Rex adeo Eberhardo Ejúsque, benignus extitit, ut BARBARA in uxorem ducta, Regia & Imperiali affinitate, sibi conjunctos voluerit.

Cronologiam, Sigismundi rerum, ob diversas Authorum Sententias, permolestum est ducere. Ijs combinatis quæ LUCIUS ex collectis monumentis habet, Paulus item de Paulo in memorali suo notat, Coævus, & in publicis Officijs constitutus, ut notitiam rerum habere potuerit, hæc videretur nobis rerum Sigismundi Cronologia.

1387. Mariam Reginam Libertati restituit, & in Regem Hungariæ coronatur. Et post alia gesta. 1397 redit ad Bulgariam. 1399. redivit ad Hungariam, Die 5. Junij: sunt verba Pauli, *audivi novum quod D. N. R. Sigismundus reversus est Ungariam, & locutus fuit hoc, qui proprijs*

oculis

oculis vidit ipsum sanum & incolumem, in loco vocato Bela (Lege Bela) *Sobbota*. Recenset dein statim 6. Junii, item 9. expeditos ad eum Cursores, & alia ibidem legenda. 1400. Iverit ad Bohæmiam, Causa Venceslai Fratris, & ex Imperiali Dignitate depositi, uti eliceretur ex Spondano, & litteris Sigismundi lamentatoriis contra Bonifacium IX. Quod licèt cum Fratre suo, tam Vrbano IV. quam & Bonifacio IX. adhæserit, is tamen nil aliud cogitare videatur, ac privare utrumque Imperio, & Ladislao Regi Neapolitano, Hungariæ Regnum attribuere. Paulus quoque notat: 1400. die 12. Martij, Sigismundum Regem Hung. ex partibus Bohemiæ Budam appulisse. 1401. Sigismundus ad Soklos includitur, 1402. dimittitur. 1403. cum exercitu reddit ad Hungariam, ut Ladislaus Jadræ, per nuncium Papæ coronatus in Hungariæ Regem, ultro progredi ausus non fuerit, at vendita Venetis Jadra (quod ex instrumento apud Lucium clarum est, & Spondano ignotum fuerit) recedere debuit. Reditum Sigismundi confirmat Decretum Ejus, *in corpore juris* contentum. quæ vide sis.

Ex Donatione Prædiorum *Glogonza*, *Thachenicze*, prope & circa Ecclesiam B. Nicolai Leustakovz, Luka, & Jalesz vocata, in Cottu seu Provincia Dombrensi habita, pro fidelibus servitijs LOUrando filio Georgij de Lusaán à Plumberg Teutonico facta, ab Eberhardo 1405. Motus priorum annorum discimus, quia ibi: *Quæ ob notam infidelitatis Martini dicti Wriga filij Joannis de Mlechynz aliàs Prædialis Dombrensis, cujus antea fuerant, in Personam Eppi & Ecclesiarum notoriè & manifestè patratæ, eò quod disturbiorum Regni temporibus, contra Eppum, & Ecclesiam suam, cum nonnullis Regis infidelibus hostiliter insurrexisset, & processisset.*

Placet hic Eberhardi litteras, Collegio Præbendariorum Chasmensium datas, Quas Ritterus haberet, adjungere. Tenoris sequentis.

„ Eberhardus Divinâ & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Zagrabiensis Ecclesiæ, ac totius Sclavoniæ constitutus à Regnicolis Banus. Omnibus Christi fidelibus præsentibus & futuris, harum notitiam habituris salutem in omnium Salvatore. Ad universorum notitiam harũ serie volumus pervenire, quod nos considerata, devotione, & solicitudine indefessa, ac continua, in expletorum Divinorum Officiorũ, paupertatéque & incomoditate Discretorũ Virorum, Dominorum Præbendariorum Ecclesiæ Nostræ S. Spiritus Chasmensis, Quorum Præbendariorum quidam, à facta eorundem per S. Memoriæ Augustinum Eppum Zagrabiensem institutione, Domos & hortos pro necessitate vitæ habent, & ipsas non civiliter tenerent, ut alii Cives nostri Laici Chasmenses, sed Collectis & exactionibus, Pignorúmque receptionibus gravantur contra Privilegium Clericale. Alij vero nec curias, nec hortos habent. Ad amplificationem igitur cultus Divini, sequentes vestigia SS. Patrum, ad sublevationem prædictorum Præbendariorum, Ecclesiæ nostræ, pro tempore constitutorum & constituendorum aliqualem, ut pro temporalibus sempiterna, pro perituris mansura Bona percipere valeamus, ex certa nostra scientia & matura deliberatione præhabita, cum consilio & consensu, imo solicita instantia, honorabilium Fratrum Nostrorum, Dominorum de Capitulis Nostris Zagrabiensi, & Chasmensi, certas curias Præbendariorum prædictorum, videlicet Antonij dicti Sipek, Benedicti, Germani, Thomæ Succentoris, Gregorij Sacerdotis, penes Curiam Aræ S. Nicolai habitam, Joannis Præsbyteri, Thomæ Succentoris prædicti, Brunonis dicti Remetha, cum Paulo Præsbythero Socio suo, & Petri dicti Rigia . . . septem quartas non habitandas, seu ad præsens desertas, inter Præbendam, seu ad domum Aræ S. Nicolai, in dicta Ecclesia Nostra Chasmensi, constructas, & Civile Munyak Civis nostri, Retro *Curias Canonicales Dominorum dicti Capituli Chasmensis*, à parte fluvius Chasmæ existens, usque ad ipsum fluvium Chasmæ construendis habitationibus, Præbendariorum domibus carentium, de manibus Nostris & Nostrorum Successorum, ac communitatis Civium nostrorum Chasmensium, penitus & omnino dementes, segregantes, & sequestrantes, eisdem Præbendarijs pro tempore constitutis, & constituendis; ut ipsi facilius & quietius Ipsam Ecclesiam nostram, Die noctúque frequentare, ac hostias salutares devotius & commodosius valeant offere Salvatori, jure perpetuo & irrevocabili, novæ Donationis nostræ titulo damus, donamus, & conferrimus. Ipsósque & Eorum quoslibet, ab omnibus Dacijs, collectis, taxis, contributionibus victualibus, & quibuscunque exactionibus, tam adinventis, quam adinveniendis: Nobis & Cameræ, ac etiam forsan ad commune dictæ communitatis Civitatis Nostræ Chasmensis, spectantibus & debentribus, eximimus, libertamus, expedimus, absolvimus, & quietamus. Præbendas vero Altarium, SS. Petri & Pauli Apostolorum, Thomæ & Bartholomæi similiter Apostolorum, & Beatæ Helenæ Reginæ, S. Nicolai Eppi & Confessoris Prædicti, Dorotheæ Virginis & Martyris, nec non Omnium Sanctorum in ipsa Ecclesia nostra Chasmensi constructarum, cum ipsarum pertinentijs quibuslibet, partim per Nos, partim nostros Prædecessores exemptas & libertatas, modo quo supra ex certa nostra scientia, & & animo deliberato confirmamus, ratificamus, & si opus est, de novo eximimus & liber-

„ tamus; hac sub conditione: Quod ipsi Præbendarij & Eorum Successores deinceps in an-
„ tea sine intermissione, omni quarta feria, Missam ad honorem S. Nicolai Eppi & Confes-
„ soris, in Ara sua prædicta in Præfata Ecclesia Nostra Chasmensi constructa, cum Quinque
„ Orationibus, *Prima* de Ipso S. Nicolao. *2da* de S. Margaretha. *3tia* de B. Dorothea. *4ta*
„ Pro Defunctis Prædecessoribus nostris videlicet *Deus qui inter Apostolicos Sacerdotes* &c. &
„ *5tam* pro Nobis & Successoribus nostris scilicet *Deus omnium fidelium Pastor & Rector* &c.
„ Cantent. Cœteris autem Diebus hebdomatim legant pro salute animarum Parentum no-
„ strorum, & quovis titulo nobis attinentium, ac bona pace dicti Episcopatus Nostri, & to-
„ tius Regni Hungariæ, per ipsum B. NICOLAUM, & ipsas Beatas Margaritham & Doro-
„ theam impetranda. VOLUMUS etiam, & nihilominus, ut semper in *Memento Vivorum*
„ Universi Attinentes & Benefactores Nostri. *Memento autem Defunctorum* Animæ Parentum,
„ & omnium attinentium & Benefactorum nostrorum habeantur. Et volumus, quod ubi di-
„ cti Præbendarii præmissam Missam cum Orationibus & *Memento* prout supra narratur, fa-
„ cere non curarent, præmissa gratia careant, eo facto. In quarum quidem novæ Dona-
„ tionis, exemptionis, confirmationis, & sanctionis nostrorum, evidentiam firmitatémque
„ perpetuam: Præsentes litteras nostras Privilegiales, propter absentiam Sigilli nostri Ma-
„ joris authentici, Sigilli Nostri Annularis, quod quidem tanti vigoris, roboris, ac firmi-
„ tatis esse volumus, ac si dicto nostro Majori Sigillo fuissent, & essent comunitæ. Quód-
„ que majus Sigillum nostrum, dum nobis apportatum fuerit, penes præsens annulare Si-
„ gillum nostrum, appendi faciemus. Ac Sigillorum Honorabilium Capitulorum nostrorū
„ Zagrabiensis ac Chasmensis Capitulorum Prædictorum appensan. Cum publici Notarij
„ subscriptione, & sui signi soliti signatione fecimus communiri. Datum CHASMÆ Sab-
„ batho proximo ante Dominicam *Invocavit*, Anno Domini 1402. Pontificatus autem SSmi
„ in Christo Patris, & Domini Nostri BONIFACIJ Divina Providentia Papæ noni Anno
„ Tertio Decimo: Præsentibus Honorabilibus & Discretis Viris, Dominis DOMINICO
„ Præposito, STEphano Archidiacono de Warasd. CLEmente Archid. Cathedrali, in
„ Ecclesia Nostra Zagrabiensi. NICOLAO Lectore, & Thoma Custode Ecclesiæ nostræ
„ Chasmensis, aliisque plurimis, fide dignis testibus, ad præmissa vocatis, specialiter &
„ rogatis

Dominica *Reminiscere* Anni Ejusdem, de Dato Chasma iisdem Præbendarijs Chasmensibus, Eberhardus *de omnibus Bonis Ipsorum, quovis nomine vocitatis, liberam, disponendi, O dinandi, testandi, nec non legandi, prout eis salubrius in vita, & in morte videretur, concessit facultatem.* Quas, tanquam nil specialis continentes, missas facimus.

Ex Prioribus multa discimus. *Imò.* Sigismundi Absentiam, *Constitutus à Regnicolis Banus.* *2dò* S. Augustinum Gazottum Institutorem Præbendariorum Chasmensium. *3tiò* Nomina Præbendarum. *4tò* Chasmam Civitatem Episcopalem fuisse. *5tò* Eberhardi Zelum, & Pietatem, dum pro Pace Episcopatus ac *totius Regni Hungariæ* Missam Instituit. *6tò* Chasmense Capitulum, floruisse tunc. *7mò* Hungariam *BONIFACIO* Papæ, & non *BENEDICTO Antipapa* adhæsisse. Pluráque alia ut Consideranti patebit.

SPONDANUS attamen, Anno 1403 Sigismundum à Bonifacio recessisse his verbis scribit: *Sigismundum autem audito quod Bonifacius in se molitus esset, de ipso Ejusque Cardinalibus, per famosas in Universum orbem Epistolas, vehementer conquestum esse. Atque exinde in Regno Hungariæ Gravissimas Clades hominum, locorumque profanorum & Ecclesiasticorum subsecutas esse: SIGISMUNDUM, Cathedrales Ecclesias & Monasteria, cunctaque alia beneficia Ecclesiastica, in Hungaria contulisse, quibus voluit; Hocque Lucratum esse Bonifacium ex LADISLAI ad Regnum Hungaricum exaltatione. Unde & post hæc tam eundem Sigismundum, quam VENCESLAUM Boemiæ Regem, in cujus depressionem aq; BONIFACIUS RUpertum in Regem Romanorum sublimaverat, abdicata Bonifacij obedientia, Benedicto Ejus adversario adhæsisse, etiam Edmundus, utrique Eorum Principi familiaris testatur.* Sigismundi à Bonifacio recessum, confirmant similiter, JOANNIS Archi Eppi Strigoniensis Casus. Qui, ut MSS. nostrum, *dum Sigismundo loquitur, & scribit, ne fieret Schismaticus, facta est suspicio Regi quod LADISLAUM occultè sequatur, & susurronibus inimicis, Bonis confiscatis captivus tentus, & EBERHARDUS Cancellarius factus fuit.* Quod de EBERHARDO Præsule Zagrabiensi, Diplomata perhibent, in quibus summus Cancellarius legitur. Sic in Confirmatione Restitutionis Eberhardi litterarum, super Decimis DAVIDOVCZ, V. Kalen. Novembris, de Anno 1405. legere est: *Per manus Eberhardi Episcopi Zagr. & Cancellarij.* Uti & XII Kal, Maij Anni Ejusdem super Decimis Intra Dravum, & trans. MURAM fluvios. *2do* Breve Benedicti, ne amplius taxarentur occisorum sepulturæ Die 18 Maij 1405, fuisse BUDÆ promulgatum, & inter Regia monumenta repositum, annotatum reperimus. Ex quibus à partibus Bonifacij, recessisse Sigismundum, evadit credibile; non tamen BENEDICTO adhæsisse. Cùm Innocentio, GREGORIO, successoribus BONIFACIJ, adhæserit. Et JOANNI in Concilio Pisano

electo

electo. Quocum Sigismundum plura egisse, apud Spondanum videre est. A nobisve quædam, inferius refferentur. Denique CONstantiense, ac postea BASILEense Concilium, opera Sigismundi celebrata, procurandæ in Ecclesia pacis, veræque Unionis studium, ac Sigismundi ZELUM satis declarant. Ut Bonifacij solum facta, fuerit aversatus.

AD Annum Christi 1404, Idem Spondanus perhibet. SIGISMUNDUM Imperij Romani, Vicarij, & Regni Bohœmiæ Administratoris, sumpsisse titulos. Ac per Nuncios suos, Nicolaum Eppum Vaciensem, Hermanum Comitem Ciliæ, ac NICOLAUM de GARA Regni Hungariæ Palatinum, ad PHILIPPUM Audecem Burgundiæ DUCEM, & Comitem Flandriæ missos, scripsisse inter alia: *Certas quasdam pactiones, inter se & Fratrem suum Venceslaum Romanorum & Bohemiæ Regem esse factas. Se eum Ostoija Rege Bosnæ pacem ac fœdus iisse: STEPHANUM Ducem Rassiæ, ipsi Sigismundo se subjecisse, & contra Turcos magna potentia profectum Victorias aliquod reportâsse. Constantinopolitanum Imperatorem, ac Vaivodam Valachiæ, contra eosdem Turcos, pulchra facinora gerere, séque illis magna misisse auxilia* ita Spondanus ex Mayero *Annal. Fland. lib. 14.* Illa quæ de Titulis Sigismundi commemorat, firmantur DECRETIS Sigismundi, in *corpore Juris* nostri contentis ubi Decreti Anni 1403. & 1404, hoc initium. *NOS SIGISMUNDUS DEI GRATIA REX Ungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Marchióque Brandeburgensis &c. Sacri Romani Imperij Vicarius Generalis, & Regni Bohæmiæ Gubernator.* Sequentis verò Anni 1405 videlicet, SIGISMUNDUS DEI *Gratia, Ungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Serviæ, Galliciæ, Lodomeriæ, Comaniæ, Bulgariæq; Rex. Marchio Brandeburgensis, Sacri Romani Imperij Archi Camerarius, Boemiæ, & Lucemburgensis Hæres.* Quia nempe *Venceslao* Fratri, vel *Ruperto*, quod nostri instituti examinare non foret, cesserit. In Reliquo

Instituisse EBERHARDUM Anno 1402 cum suo in temporalibus Vicario, Thoma filio Stephani Bothunovich, Fratribus Hospitalarijs Domum, & Ecclesiam, Ss. *Cosmæ* & *Damiano*, ac Ss. *Dorotheæ* & *Elizabeth* dicatam, instrumentum fundationis Sabbatho ante Nativit. Domini factum docet. Ex quo discimus, in Libera Civitate Episcopali Chasmâ, ac Platea VUR appellata, *Domum* sumptibus præfati Vicarij, *Ecclesiam* Eberhardi Episcopij, posita. Additis totalibus Decimis de Monoszlo, præter 200 Vini cubulos, pro Episcopo reservatos, ac Capituli Chasmensis Decimis, per STEPHANUM II Eppum, Capitulo applicatis. Et hoc, cum Capitulorum suorum Consensu. Item Prædiali cuidam de Provincia *Zalatnok* suum Prædium *Zlobodabina* appellatum, alteri Prædiali inscribere admittit 1402. Eodem similiter Anno, in Festo B. Valentini, Antecessorum suorum facultates, super Libera testandi facultate, pro Zagrabiensi Capitulo, & Ejusdem Canonicis Confirmat, & Innovat. Et tandem sub finem Anni, videlicet post V. Kal. Novembris, ad VARADIENSEM transfertur Ecclesiam. Quoniam

Imò. Anno 1406 *HERMANUS* cum hoc titulo invenitur: HERMANUS Ciliæ, Ortemburgæ, & Zagoriæ Comes. Dalmatiæ, Croatiæ, & totius Sclavoniæ Banus. *Gubernator Episcopatûs Zagrabiensis.* Sigismundi Regis Socer.

2dò. In diversis instrumentis, & Regijs Litteris, Anno 1406 & 1407 est legere: EBERHARDO Varadiensi. Item *Zagrabiensi*, & *Agriensi sedibus vacantibus.* Vide supra pag. 62. apposita Prælatorum & Baronum nomina. Ubi *Hermannus* ob Affinitatem cum Rege, *PALATINO* antepositum credimus.

XXXV.
ANDREAS.

ANno MCCCCVIII. Andreas Ecclesiæ Zagrabiensis Episcopus, eruitur ex Institutione Honorab. Presbytheri Blasij DECHE, ad Parochiam S. Martini de *Kamarja*, facta Die 8. Cinerum 1408, ad Præsentationem Nobilium de Kamarja, Zent Andras, Kuchan, Magierovcz, Ivanhige, Korbova, & Lipna per Vicarium, Ita incoantem *MATHIAS de Vite. Dominus de Placentia J. U. Doctor ANDREÆ Dei gratia Episcopi Zagrabiensis Vicarius.*

Andreæ Item Episcopi extat memoria in Confirmatione litterarum EBERHARDI, Præbendarijs Chasmensibus datarum, facta Chasmæ 1409, Festo B. MARGARITHÆ. Demùm in Privilegio Miholczensibus dato, *Zagrabiæ feria 5. proxima post festum Visitationis B. M. V. Anno Domini 1409.* In quo: „NOS ANDREAS DEI & Apostolicæ Sedis gratiâ Episcopus Ecclesiæ „ Zagrabiensis. Memoriæ Commendamus tenore præsentium significantes, quibus expe„ dit Universis. Quod Populi & hospites in possessione Zent Mihalij, ac Possessionibus ad „ eandem spectantibus commorantes, ad nostram venientes præsentiam, nobis Lachrijmosè „ significare curârunt, Quomodo ipsi alias per PAULUM BISSENUM, & alterum PAULUM „ de Péech, olim Banos Regni Sclavoniæ nec non per quendam GEORGIUM filium PETRI, „ seu quosvis ipsorum, his proximè retrolapsis Calamitosis temporibus, plurimum essent

„ impediti & damnificati. Per quod Ipsæ possessiones magnum fuissent passæ desolationis „ detrimentum &c. Indulgens ipsis varia, vel potius transigens cum ijsdem pro 50 florenis auri puri, in duobus terminis, deponendis. Cum Decima Vinorum & Bladorum. Et Cùm Successorum nullam faciat mentionem, sed exprimat *nobis provenire debentia* BENEDICTUS Vinkovich, ad tempus purè suum extendisse Privilegium, Andream Censet, dicens: *Notanda sunt verba hæc nobis provenire debentia, per quæ, Successores exclusit. Et sane res difficilima est, respectu Conscientiæ; si Domini Episcopi Labores manuales, aliosque fructus provenientes, Decimas, in perpetuum Condonent, etiam cum aliqua pensione, omni ex parte inæquali. Ex quo, non tam Domini absoluti, quam administratores essent, intuitu abalienationis. Secus sentiendum fortè, de Aquisitis Industria, Parsimonia, licèt & hoc tolleratur. Vel in Casibus, ubi Collationes præmissorum vel abalienationes in Clarum bonum Ecclesiæ vergunt. Et Cæsareo ac Regio Diplomati obeditur.* Confer cum ijs quæ pag. 57 & 58 dicta sunt.

Cœterùm MIHOLCZENSES perpessos multa fuisse, Civilibus illis bellis, ob Viciniam cum Castro Kemlek, tunc Regio, uti infra videbimus, facile creditu. Indubiè enim, SIGISMUNDO fideles, ibi morati fuerint, & Miholzenses tanquam Vicini, & Ecclesiæ Populus tutare Castrum Regium debuerint, ut non sine causa exprimi in Privilegio existimem *Impediti & damnificati.* Per Fideles Sigismundo *impediti* videlicet: per factiosos *damnificati.* Ex quo, evenisse credimus, ut à Sigismundo & Alberto Regibus, Privilegia etiam obtinuerint, quæ Anno 1750 vidimus, sed nullis precibus, ut ibi Contentam describamus historiam, obtinere valuimus.

Reliqua Episcopi hujus, nobis ignota sunt omnia. Nec scimus, an mortuus? vel ad Colocensem Archi Eppatum translatus, cùm ab Anno 1411. *Andreas Colocensis* in Diplomatibus reperiatur, ad Constantiense Concilium, ex parte Cleri Hungariæ missus. Aut fors, Varadinenses Infulas, cum Eberhardo comutaverit: quia post 1411. *Andreas Varadiensis*, similiter legeretur. Quare nil statuimus. Ultra tamen 1410. ANdreas Pontificatum Zagrabiensem non tenuit.

BANORUM Sclavoniæ ista hactenus invenimus nomina. PAULUS BISSENUS 1400. cum PAULO de Peéch. Sed Bissenus ad Dalmatiam & Croatiam abiens, à gentibus Hervojæ Ducis captus, & Jadram ductus, Aloysio Aldemanisco de Neremp Vicario Generali & Capitaneo in partibus Maritimis, Ladislai Neapolitani ad Regnum Hungariæ sese ingerentis 1403. traditur. Hunc Eberhardus Eppus, Fratrem appellat, & defuncti animæ meminit. Cui in Banatu illo successit Paulus de Peech (leguntur: *per Ungaros creatus Banus*) & Joannes de Gara. 1402. Sclavoniæ BANI. EMERICUS BUBEK, & EBERHARDUS Eppus Zagrabiensis, per Regnicolas constituti. 1403. LADISLAUS Ladislai de Gordova, ac Mgr. Stephanus Filius Gregorij Beninch Dal. Croat & Sclav. Bani. 1405. JOANNES & PAULUS Bissenus Item PAULUS de Peéch Prædictorum Regnorum Bani. *1406.* HERMANUS qui supra. *1409.* CAROLUS Comes Corbaviæ Croatiæ & Dalmat. Banus. 1411. PAULUS Chupor de Monoszlo, totius Sclavoniæ Banus, inauspicato cum Bosnensibus pugnans, ab Hervoja Duce captus, culeôque insutus, ac in flumen projectus, miserè periit. LADISLAUS & EMERICUS alibi Ericus filij, condam Bartholomei de Willak, totius Sclavoniæ Bani. *1414* JOANNES de Alben & Medwe Sclavoniæ Banus. *1417* DAVID LACZK de Szantho Scl. Banus 1419 DIONIJSIUS de MARCHALI Sclavoniæ Banus.

JOANNES Archi Episcopus Strigoniensis, Aulæ Regis Romanorum summus Cancellarius, in Regnis Ungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ Vicarius Generalis 1415 invenitur. Et 1419 ALBERTUS de UNGH Prior Auranæ, Dal. & Croat. Banus.

VICE BANORUM hæc nomina. Ad Annum *1401* Paulus Mihalich, successit Tuijrco Patasich. *1404* Mgr. ADAM filius Castellani, & DIONIJSIUS filius Galli, Vice Bani, & Comites Crisienses. *1413* PETRUS ZEKIRA. & post hunc PAULUS KEREZENI, de Kanefelde Vice Banus & Comes Crisiensis 1421 invenitur. IN DALMATIA verò supra scriptus Mihalich, ad Annum 1411 inclusivè, & postea STEPHANUS de Buchavia Dal. & Croat. Vice Banus, Tininij residebat.

CANONICORUM Zagrabiensium præter suprascriptos. DOMINICUS Præpos. major. *PETRUS* Lector, *Clemens* Cathedralis. *Gregorius* de Raven, & Bexin. suprascriptus verò CHASMENSIS Archidia. *HYMCSKO*, etiam Hynko dictus, Eberhardo Charus, 1707, ad Nitriensem Eppatum promotus est.

XXXVI.
EBERHARDUS DE ALBEN.

NON alter, sed idem qui Andream præcessit, ex Varadiensi Ecclesia, restitutus, reversúsque ad Pontificatum Zagrabiensem, 1410, aut indubiè 1311. Cùm Zagrabiensis Episco-

Episcopus, eo Anno, in varijs instrumentis Legatur. Quod autem ad Varadiensem transiverit, ac iterùm reddiverit (quamvis ad 1414 Annum absens, & Bona Episcopatus per sæculares gubernans) clarum est, ex Indictis Generalibus Judicijs, vulgo *Szokoledom* vocatis. *EBERHARDUS Dei gratia Episcopus Zagrabiensis, ac supremus Regiæ Mattis Cancellarius* &c. *Quod cum Nos XV Die, Festi B. Georgij Martyris, Pro revisione jurium totius Episcopatus Nostri Prædialium, de quibus tum propter* NOSTRAM AD EPISCOPATUM VARADIENSEM TRANSLATIONEM, *tum etiam propter diversos Gubernatores Sæculares*, ANTE NOSTRUM DE IPSO EPISCOPATU VARADIENSI AD EPISCOPATUM ZAGRABIENSEM REDDITUM, *ad Regimen dicti Episcopatus Nostri Zagrabiensis deputatos tenentes. Per eos aliqua in præjudicium Ecclesiæ, & Dominij, atque juris alieni fuisse attentata intelleximus, volentes autem clarè informari Congregationem Generalem omnibus Prædialibus, totius Nostri Episcopatus* CHASMÆ *celebrandam &c.* Ita ibi. Proinde de illius translatione ad Varadiensem Sedem, ac inde reddito, nullum dubium. Ex Titulis animadvertendum. JOANNEM Strigoniensem Archi Eppum. AULÆ Regis Romanorum, summum fuisse Cancellarium (SIGISMUNDO nempe 1410. Imperatore juxta quosdam cônstituto) Eberhardum autem REGIÆ Majestatis, sive Regni Hungariæ Cancellarij, munus gessisse.

Causam Reditus Eberhardi ominamur illam esse quod ab Anno 1412 Sigismundus Rex abfuerit, diversas Provincias Lustrans, uti inferius Commemoraturi. Hinc Credita BARBARÆ Reginæ Hungariâ, sub Palatini NICOLAI de GARA, JOANNIS Archi Eppi Strigoniensis *uti ex Titulo colligimus*, Et EBERHARDI Cancellarij Consilijs. Cúm Regina BARBARA in Castro KEMLEK potiorem moram trahere constituisset, EBERHARDUM ideo ad Zagrabiensem Episcopatum reddivisse. Neque hæc conjecturando scribimus. At Donationes planè REGINÆ BARBARÆ de Bonis immobilibus factæ, reperiuntur. Mandata item diversa, Quin 1412 SIGISMUNDUM, antequam ad Italiam progrederetur, de Dato *feria 6 post Festum Omnium Sanctorum ZAGRABIÆ*, Fabiano Aulæ suæ ProthoNotario, dedisse mandata, ut cum testimonio Capituli Chasmensis Metas Toplicenses reambulet, Ejus docet expeditio. Indubiè BARBARAM Reginam, ad Castrum Regium Kemlek ipse deduxerit. Et Zagrabiâ tunc abiverit, cùm, Dominica post Festum S. Martini, JOANNES Canonicus Quinque Fcclesiensis & Vice Cancellarius, ac Joannes filius Petri dicti CHIRE Reginæ dispensator, nomine Ejusdem Reginæ executionem mandati prohibuerint, ut docent Litteræ, *propter arduitatem rei, ut res ad redditum Regis ad Regnum differatur*.

Eodem similiter Anno 1412. VIII. Kalend. Novemb. Regni Hungariæ XXVI. Romanorum III. per manus Ejusdem Eberhardi, SIGISMUNDUS, Ad preces Thomæ Custodis Chasmensis, & Zagrabiensis Ecclesiarum, ac Thomæ filij Stephani de Botinovcz Vicarij D. Eberhardi in temporalibus Generalis, nomine & in Persona Ejusdem Eberhardi Eppi Zagrabiensis, & Aulæ Regiæ Summi Cancellarij, confirmat & approbat, inserit &c. EMERICI ac Stephani Regum, litteras. Ubi hæc conclusio. *Joanne* Strigoniensi. *Doijmo* Spalatensi *Andrea* Ragusiensi Archi Eppis. Colocensi & Jadrensi sedibus vacantibus. *Eberhardo* Zagrabien. *Andrea* Varadien. *Stephano* Transylv. *Styborio* Agrien. *Joanne* Quinque Ecclesien. *Benedicto* Boznensi *Joanne* Jaurien. Fr. *Philippo* Vacien. *Dosa* Chanadien. *Hincone* Nitrien. & *Thoma* Senniensi Episcopis. Vesprimiensi, Syrmien. Tragurien. Sibinicen. Tininien, Nonensi, Scardon. Macarien. Pharen. & Corbavien. Sedibus vacantibus. *Nicolao de Gara* Palatino *Stiborio* de Styborich Vaivoda Transyl. *Simone* de Rozgon Judice Curiæ. *Petrimanno* de Medve Dalmatiæ & Croatiæ, *Ladislao* & *Emerico* filijs condam Bartholomæi de Villak Machovien. *Paulo Chupor* de Monoszlo totius Sclavoniæ Banis, honore Banatus Zeurinien. vacante.

Porro Reginam BARBARAM in suis, & à se factis expeditionibus, his usam titulis observamus. NOS BARBARA DEI GRATIA, ROMANORUM ac HUNGARIÆ &c REGINA memoriæ commendamus &c. Solita in quibusdam saltem, adjungere, quemadmodum in certis: *Ad felicem redditum Ejusdem Domini Regis Consortis Nostri confirmationem, in Regnum suum Hungariæ ac Sclavoniæ post harum emanationem fiendam.* Datum in Crisio, feria 3. post Festum Bricij.

SPONDANO teste, De Sigismundi Regis, in Imperatorem Electione, statuendo Anno, non postrema difficultas. Volunt Equidem ab Anno 1410. Sigismundum Imperatoris Titulum assumpsisse. At in Decreto Ejus, quod Corpus Juris Nostri exhibet, Anno 1411. *Romanorum Rex* Legitur, Et in subsequis Decretis *Imperator*. Barbara quoque 1412. Romanorum Reginam se scribit. Proinde Initium Imperij Ejus, Anno 1413. statuendum. Quô in Imperatorem Electus, de celebrando Constantiensi Concilio dat Litteras penultima Octobris, è loco Viglud, Comanæ Diœcesis, & dein Placentiam, Laudam cum JOANNE XXIII. pergit.

Hac idcirco occasione, EBERHARDUS cum Regina emanens, habito etiam Vice Can-

cellario JOANNE Fratre suo, Res Ecclesiæ suæ, disponit & ordinat. Profectò 1413. *Chasmà, Dominica proxima, post Festum Ascensionis Domini*, facultatem impertitur Vineas implantandi, tam suis, quam & alijs hominibus in Districtu & Provincia IVANICH, sub onere justæ Decimæ, *ac de qualibet Vinea singulis Annis vindemiarum tempore, unam Idriam avenæ, unam Asimam, unum Caponem in signum Dominij & terragii.* Nec aliud specialis continet, præter Titulum, qui sequens est. EBERHARDUS DEI & APOSTOLICÆ *Sedis Gratia ELECTUS, Confirmatus Ecclesiæ Zagrabiensis.* Hic Titulus, quid exprimat? dubium. An *Electus* per Regem, *Confirmatus* per Papam, aut Anno Eodem 1413. Electus, Confirmatúsque. Quod tamen difficile, cum 1411. Episcopus Zagrabiensis Legatur. Aut fors, ut supra ex Spondano retulimus, toto tempore electus, & nunc primo confirmatus. Nos nil possumus definire. Eruditus Lector, & nos erudiat. Binas quoque alias in Subditorum Ivanich favorem, Anno Eodem 1413. *HRASZTOVICZA* in Festo Inventionis S. Steph. Proto Mart. dat Litteras, quarum, exordium. *EBERHARDUS DEI & Apostolicæ Sedis Gratia Episcopus Ecclesiæ Zagrabiensis, Summus Cancellarius Regiæ Majestatis.* Castri *Govvnek* quoque meminit, ut Eberhardum Bona hæc Episcopalia, iterúm à Sigismundo obtinuisse, & Episcopis, post Pauli sententiam restituta fuisse, clarum evadat.

Anno autem 1416. suorum hominum, Officialium Item, excessus coercet. Quibus litteris, cùm de Eberhardi justitia, rebúsque alijs cognosci valeat, eas adjungimus.

„ NOS EBERHARDUS DEI & Apostolicæ Sedis Gratia Episcopus Ecclesiæ Zagrabiensis, Summus Cancellarius Regiæ Majestatis. Notum facimus Universis & singulis, præsentes litteras nostras inspecturis, Præsentibus pariter & futuris. Quod Universitas Civium & Jobagionum nostrorum, Trium Civitatum & Provinciarum nostrarum, scilicet Chasmensis, & de Dombro, & de Ivanich, nostri adeundo conspectum, voce lamentabili, nobis significare curârunt. Quomodo Clavigeri & Procuratores trium Curiarum, Civitatum nostrarum videlicet Chasmensis, & de Dombro, & de Ivanich, Damnosa cupiditate inducti post quemlibet currum fœni mardurinalis de Provinciis, similiter unum currum lignorum, indebitè & injustè, imo contra Deum, & eorum consuetudinem, singulis Annis à modico tempore citra, & noviter super eos recipere, exigere, & extorquere incepissent. Ac ipsos in receptione frumenti ac avenæ ipsorum, Nobis & ad cellaria nostra prædicta provenientium, per falsas & majores, quam statuta sunt Idrias, dictarúmque Idriarum Culmina ac compressionis & cassationis nec non frugum quæ de hujusmodi Idrijs tempore mensurationis cadunt, pro se ipsis reservatione, graviter opprimerent, vexarent & damnificarent, supplicantes humiliter & devotè, ut Ipsis super his remedium revocationis, prohibitionis, depositionis & totalis abolitionis facere dignaremur & adhibere. Nos itaque qui novis abusibus, & nocivis adinventionibus obviare tenemur, & ne pro eis, quæ de facili in perpetuam verti possent, & transire consvetudinem, anima nostra coram summo judice districtam reddere adstringatur rationem, quia dictum unum currum lignorum, post quemlibet currum fœni mardurinalis de Provinciis, à quarto Anno circa per dictos Procuratores & Clavigeros, Curiarum nostrarum prædictarum adinventum fore, aliorumque Epporum, Et per ante etiam Regiminis nostri temporibus, nusquam & nunquam receptum & exactum fuisse, multis veridicis testimonijs, & evidentibus ac justissimis rationibus clare comperimus & manifestè. Ideo supplicationibus eorundem tanquam justis paternaliter inclinati, receptionem dicti unius currus lignorum, tanquam noviter contra salutem nostram, & ad eorum oppressionem adinventam, cassamus, deponimus, & penitus abolimus, receptionem frumenti & avenæ modo subscripto fieri volentes. Disponentes & limitantes videlicet, quod in Prædictis Curijs nostris, Idria Signo Civitatis nostræ Chasmensis, & Nostro, quod littera E capitalem, nomen nostrum scilicet Eberhardus significare volumus & declaramus, caracterata, & desuper de Labia in Labium forrata, habeatur, teneatur, servetur. Cum qua quidem Idria frumentum mensuretur sine cumulo, ipsam Idriam non cassando, vel aliquatenus movendo, seu comprimendo, sed desuper cum aliquo ligno recto cumulum totaliter deponendo. Avena autem cum cumulo, & similiter absque cassatione, seu motione Idriæ, & compressione avenæ mensuretur & recipiatur. Frumentum verò & avena quæ tempore mensurationis de ipsa Idria cadunt, deponentur illis quorum sunt, & qui solutionem faciunt eo tunc, ipsis totaliter, & absque contradictione redantur, nec hujusmodi remanentias Procuratores & Clavigeri, ac quicunque alij quovis colore quæsito, sibi ipsis retinere valeant, vel aliquatenus audeant usurpare. Præterea prout novissimè nobis innotuit, Dapifer, Pincerna, Mgr Agazonum, Dispensator, Coci, & Officiales Curriferi nostri, super villicos & Vaivodas de novo factos, & in dictis tribus Civitatibus & Provincijs nostris prædictis electos, aliquam particulam telæ reciperent, exi-

„ ge-

„ gerent, & extorquerent, cujúsque telæ receptionem nostro tempore, & non diu inceptam, & indebite adinventam, ne in perpetuam & damnabilem transeat, & vertatur consvetudinem tanquam iniquam & injustam, & saluti contrariam, exceptis quatuor ulnis communis telæ, quas per quemlibet villicum & vaivodam de novo factos singulis semel duntaxat cocis nostris, pro tergendis scutellis & alijs coquinæ opportunitatibus exercendis, dari volumus & ordinamus. Annihilamus, irritamus, & removemus & abolemus nullo unquam tempore & per quoscunque habendi recipiendi & exigendi mediôque & occasionibus quibuscunque extorquendi. Et licèt ex quorundam sinistris & damnosis suasionibus, Cives & Jobagiones nostros Civitatis & Provinciæ Ivanich à collectione glandium prohibuerimus, tamen quia veraciter & experimentaliter cognovimus, ex hujusmodi prohibitione collectionis glandium, tam nobis in porcis Decimalibus, quam Jobagionibus nostris in eorum porcis, maximam sentimus evenisse diminutionem. Volentes autem talia damna evitare, & nostrum nostrorúmque Subditorum, & præcipue Jobagionum, quorum impendiis nos cum omnibus nostris, in necessarijs oportunis sustentamur, commodum utilitatem & profectum augmentationis, statuimus disponimus & ordinamus, ut Cives jobagiones, & cujusvis status & conditionis tam Civitatum quam Provinciæ Ivanich homines, amodo & deinceps in antea, à collectione glandium in omnibus sylvis dictæ Insulæ Ivanich per quoscunque aliquatenus prohibeantur. Sed semper easdem glandines liberè & secure ubique colligant absque nostra, & quorumvis aliorum modo qualicunque fienda prohibitione, omnique cessante impedimento. Si quis autem quidquid contra hæc, modis, vijs, & occasionibus quibuscunque attentare præsumpserit, præter nostram indignationem, & excommunicationis sententiam, quam in eum, eo facto incurisse decernimus, Divinæ subjaceat ultioni, in extremo examine sententia justi Judicis æternaliter puniendus. Præsentes autem ad robur majus, & perpetuam firmitatem præmissorum, Privilegialiter emanatas Pontificiali authentico Sigillo nostro jussimus & fecimus communiri. Datum Chasmæ prædicta, in crastino Festi B. Catharinæ Virginis & Mar. Anno Dñi 1416.

Ex qua ejus sententia, & statuto, Confirmatur *1mò*, Eberhardi, ex Varadiensi sede, ad Zagrabiensem translatio, verbis: *Et per antea etiam Regiminis nostri temporibus.* *2dò*. Profectum hinc credimus, in mensuris, his quoque temporibus, litteram E. apponi: uti nos ipsi plures vidimus. *3tiò*. Justitiæ Eberhardi Zelus. aliáque videntur. Facile inter Reservatos Eppo Casus: *Falsificatio ponderum & mensurarum* sub Eberhardo accesserit.

Judicia quoque Octavalia Eo Anno absolvit. Anno Demum 1418. Denuo in favorem suorum subditorum Chasmæ celebratis judicijs, suos convicit officiales, amplissimas dans litteras, quibus *Judicatum* Temporanei Vicarij, obventiones subditorum, aliaque regulavit, quas ob molem relinquimus. Initium duntaxat earum describando, cum Eberhardum à Justitiæ Zelo, & Pauperum protectione, Commendet.

„ EBERHARDUS &c. Providentia Divinæ dispositionis, ad hoc in orbe terrarum Principes, & Præsertim Prælatos, Ecclesiarúmque Rectores instituit, ut ipsi non solum sibi ipsis, sed etiam alijs, signanter eorum subditis prodesse videantur. Utilitatibus aliorum, magis quam suis ipsis invigilent, operam diligentem & studium Continuæ meditationis circa ea diligentissimè apponendo. Proinde Universorum tam præsentium, quam futurorum notitiæ volumus præsentibus fieri manifestum. Quod quia gemebundæ querellæ, & Lachrymosa suspiria Universorum Populorum & jobagionum nostrorum de Provincijs nostris Chasmensi, Dombrensi, ac de Ivanich; nostras aures sæpe & sæpius acriter propulsârunt, & nobis flebiliter detegere curârunt. Qualiter Comites nostri in dictis Provincijs nostris, per nos Deputati eorumque Vice Cómites, Ipsos populos & jobagiones nostros minus justè & indebitè perturbâssent, damnificassent, & molestâssent, de diéque in diem, diversis insidijs & Calumnijs ipsos perturbare, & plurimos ex eis, rebus & bonis eorum privare, ac destituere non cessarent. Et insuper ab eis tanta Victualium, & aliorum exactio fuisset recepta & quotidie reciperetur, Quod ipsi per hæc & multa alia ipsis indebitè illata, ad nimiam egestatis inopiam, & paupertatis miseriam devenissent. Et tectis proprijs dimissis, in ijsdem, quo vitam Conservarent propriam non habentes, per aliena tecta latitando, mendicare compellerentur. Plurésque ex eis, de nostris, & Ecclesiæ nostræ possessionibus, ad Possessiones nobilium, extra nostrum Eppatum ratione prævia, se transtulissent. Nec quipiam hominum, ad ipsius Ecclesiæ nostræ possessiones, Commorandi Causà propter præmissa impedimenta vellet aliunde advenire, sed de ijsdem potius quotidie nostri jobagiones exirent ad possessiones aliorum. PRO eo nos, qui ex suscepti officij nostri debito, Cunctorum subditorum nostrorum egestati & inopiæ subvenire, oppressósque sublevare, & libertatum prærogativis refocillare tenemur.

„ mur. Volentes & ex intimis affectantes præmissis obstaculis, per quæ, ipsæ possessiones „ Ecclesiæ nostræ ad nimiam devenerunt desolationem, in quantum possumus obviare, ut „ per hoc possessiones Ecclesiæ nostræ potius augeantur impleantur, & populorum multitu- „ dine decorentur, quam eisdem desolatis & vacuis, ac desertis existentibus, nos in Pro- „ ventibus nostris diminutionem patiamur. Hujusmodi Leges, Constitutiones, ac Li- „ bertatum prærogativas amodo in perpetuum duraturas, & per nos ac nostros Successores „ inviolabiliter *in* toto, & in qualibet eorum parte, Conservaturas, ipsis nostris Populis & „ Jobagionibus in Prædictis tribus nostris Provincijs residentibus, & permansuris, duxi- „ mus stabiliendas, annuendas, disponendas & gratiosè concedendas, imò stabilimus, „ annuimus, disponimus, & concedimus per præsentes &c. Vide etiam quæ pag. 61 dicta sunt.

ORdinatis ita subditorum suorum rebus. Non minor illi, in procurandis Ecclesiæ suæ Negotijs Cura. Anno 1416. ad Synodum Constantiensem, Ecclesiæ suæ proponit gravamina, Speciatim quod Nicolaus Comes Modrussiæ, super quibusdam Decimis injurias faciat. Committit Synodus, Abbati Monasterij B. V. M. Zagrabiæ, ut appellatione remota Causam judicet, & per Censuras exequatur, ne tamen interdictum in terram Comitis proferat, nisi super hoc Specialem à Concilio acceperit concessionem. Constantia 4. Nonas Junij, *Sede Papali vacante.* Confirmari quoque procurat per idem Concilium, Magistrum hospitalis B. *Cosmæ* & *Damiani* (abs se fundatum) in Chasma. Quem: Concilium una cum Hospitali, in Protectionem S. Petri, & suam suscipit, Omniáque Privilegia & libertates confirmat. *Metas* ut vocamus, terrarum Capituli errigi voluit, Authoritate postea Sigismundi & Mathiæ roboratas. 1417 Statuta Augustini Episcopi Confirmat, & ut *Sancta* servanda præcipit. Et Eodem Anno *Zagrabiâ in Festo S. Valentini.* Mathiæ Præposito, Gerardo Lectori, Joanni Cantori, Ladislao Cathedrali, Gregorio Bexin, Gregorio Custodi totique Capitulo mandat, Ut Præbendariorum Collegium in eorum Consvetudinibus, & Proventuum perceptionibus, præcipuè in oblationibus, & offertoriorum perceptionibus, in Vigilia Epiphaniæ, tempore Processionis cum Cruce: singulis annis ad domos Canonicorum, ut moris est deportandæ, defendat, ut fuit ab Immemoriali observatum, sine *quarta vel alterius portionis* solutione aliquali, cuicunque Plebano etiam de jure solvendæ, præsertim contra quendam MARTINUM Sublectorem, ac Parochum S. Emerici de Zagrabia, qui Præbendarios molestat, Eique silentium imponit. Mandat etiam Capitulo has suas Litteras, inter statuta registrari. Ut hinc profectum credam Parochum ad Canonicorum domus, cum *Benedictionibus* non procedere. Juxta S. Augustini Sententiam, Krapinensem Parochum iterum ab occupatione Decimarum Capituli coercuit. Placet adjungere nomina possessionum Zagoriæ, ex Regestro 1417.

In Pertinentijs CZEZARVARA. Villa Erpenia, aliter Illanchi. Benedikovicha. Dobrethino. Podgrasse. Jazonovetz. Petholozlavcz. Orlovecz. Klokovecz. Montorievethz. Oratje superius. Oratje inferius. Illenczij. Kovachevecz. Dragozlavecz. Zelno. Zabok Portio Joannis, Portio Colomanni. Grubasevo. Portio Vincenti.

Pertinentia Tabor Magni.

Spythijsni
Zophot Superius
Zophot inferius.
Paulovecz.
Bizil
Bratovanthij
Horvatka
Jalsevecz.
Jelleniak.
Turnise.
Tomassevecz.
Bidraschi.
Planetno.
Bozthno.
Dresnevecz.
Dezineche.
Gaber.
Dobrava.
Martimusvacz
Oressie.

Pertinentiæ Kostel.

Villa Goricze.
Kumrovecz.
Kusinazela.
Cigrovecz.
Bosijakovo
Criusno
Erpenia major
Erpenia minor
Verbanchi
Besanchi
Miketichij
Bosin inferior
Bosin Nobilium
Kneginchi
Ihodrasa
Bellsinczi
Prezeka
Varasichi
Ztavavecz
Lazenichi
Zlavonczi.
Kupsinchi.
Putkovecz.
Ozak.
Bellhovo.
Verhovecz
Zavechevecz
Chernakoudol
Hlevnicza,
Zlathijna.
Pertherje
Zhodrasfa
Pochilovecz
Cheziovecz
Rakitovecz
Rakitovecz inferius
Portio condam Andreæ

Dudich,

Dudich, condam D. Philippi Nobilis Erhardi.

I. Judicatus Krapinensis.

Villa Suernanecz.
Benkovecz

II. Judicatus.

Villa Temovecz.
Prozenik.
Kovachevecz.
Putakovecz.
Pretkovecz.
Vidovecz.
Javor.
Chehovecz.
Petrosevecz.
Ludbreg
Dopkovecz
Semikovecz
Popovecz.
Ad S. Laurentium.
Prankovecz
Lourenche
Brezth
Komor
Zekeriche
Koziak
Padoviche
Zlavonchi
Kebel
Breztovecz
Poinche

Judicat. Trebinecz.

Petrovecz
Cordussevecz
Sykad
Scherbinetz
Diethusecz
Bedeskovecz
Borovecz
Oskovecz
Samsinovecz
Radoboja
Othovecz
Goriane
Zovijak
Feunijcza

Pertinen. Hieremitarum.

Villa Kropichkovecz
Kuzminczij
Gregurievecz
Dortz
Brezovecz
Krazeznizij
Velika
Lepoglava
Kamenicza

Pertin. Trakostaijn.

Villa Villentenchi
Cherkovecz.
Pilenczi
Oppidum Kamenicza Superior,
Podgorie
Trakostaijn.
Prebukoie.
Visnicze inferius
Visnicze superius.
Bednicza
Cheztin
Pinkovecz
Tergovise
Gorenczi
Pechno
Chives
Ples.
Benkovecz.

Pertinen Lobor.

Villa Martinchi
Kujanchi
Ochinovecz
Vocanthi
Porsavecz
Juranchi
Delkovecz.
Velika.
Oresje.
Golubovecz
Voinovecz
Chebovecz
Chrilanche
Oppid. Lobor.
Zlataria
Kordussedvecz
Fodrovecz
Busanich

Pertin. Oszterz.

Batina
Ervenik
Turnisa
Veleskovcz
Gernicharie
Lourenchane
Zlataria
Bathijna
Lendiker
Nobilis Pernar.

Pertinen. Belecz.

Villa Zelnicza
Pinko
Juranchij
Kluman.
Nobilis Petri Konszkij
Oppidum Oszterez.
Relictæ condam Stephani Herkovich.
Nobilis quondam Georgij, Joannis condam Gothal. Relictæ condam Gothal.
Nobilium Mirkovecz,
Nobilis Spickonis,
Budindol. Joañis Bedekovich.
Nob. Verich. Nob. Stephani Skerta. Tabor minus
Kurinczi, Lupiniak. &c.

An tamen hæ veræ, & Legales, Prædictorum locorum fuerint appertinentiæ, non statuimus. Cum hæc nomina, Nos ex Regestro apud Georg. Marcellevich notato, desumpserimus. Nec pertinebat ad Eberhardum cognoscere, de Legitimis appertinentijs, sed de Decimis solum. Hinc & prædicta loca, à Districtibus Decimationum, credimus sub Pertinentiarum nomine accepta. Quare nos, non ad juris, sed Historiæ cognitionem, nomina prædicta posuimus. Præjudicare nemini cupientes.

Anno 1414. Die Prima Novembris Constantiense Concilium suum, *Sigismundo* Præsente, accepit initium. Hujus Acta, & Historiam aliunde Petes. Nos ea solùm refferemus, quæ ad nos pervenerunt, *Hungaricam* respicientia *Ecclesiam.* Quæ ad literam non describimus, quod majora forent. Sed compendio contenteris Lector. Si per extensum habere volueris. Parte IV. Historiarum nostrarum, voluntati tuæ morem geremus. Igitur.

1415. Kalen. Julij Constantiâ, Synodus, ad Joannem Archi Eppum Strigoniensem, & omnes Episcopos Hungariæ scribit, Ecclesiæ Schismate laceratæ, & malis coruptæ moribus, ut prospectum foret, conventum esse Constantiæ, ibique deposito (per Resignationem ut Authores, quos vide) Balthasare Cossa, olim Joanne XXIII. pro Reformatione Ecclesiæ, tam

in membris quam capite, expositum fuisse per nonnullos Archi Eppos, Episcopos, aliosque Prælatos Hungariæ. Qualiter idem Balthasar tempore Papatus sui, multa diversis Personis in Hungaria, in Præjudicium Ecclesiarum & Ecclesiasticorum, ab utroque jure aliena concessit, ac *imo.* Licet in Hungaria ex Primæva fundatione Ecclesiarum Cathedralium, & immemorabili consuetudine, Decimæ tam Prædiales, quam Personales fuerint propriæ Archi Epporum, & Episcoporum dicti Regni. Cui etiam consuetudini non obviant jura communia, seu Canones. Et de Decimis Parochi in aliquibus locis participant sextam Decimæ, in aliis interdum quartam partem, Et in aliis aliquando nihil, ac ita semper inviolabiliter fuit observatum. Et super Residuo ipsius quartæ partis, sint plurima, videlicet Dignitates Cathedralium, & Collegiatarum Ecclesiarum Collegia, & Ecclesiastica Beneficia & Officia, in eisdem Regnis fundata. Verumtamen, idem Balthasar tunc Papa, veniens Constantiam, & ante suam depositionem, ad Instantiam quorundam Baronum & Nobilium Regni Hungariæ, in suis litteris mandavit Archi Eppis, & Prælatis reliquis, ut integram Quartam partem Decimarum omnium, deinceps Parochis solvere curarent. *2do.* Licet à tempore, quo, in Regno Hungariæ Catholica fides incepit, Dotum & rerum Paraphernalium, Quartæ Puellarum, Testamentorum, Injuriarum sexus fœminei, ac quædam aliæ causæ miserabilium Personarum, pertineant ad Forum Ecclesiasticum, similiter de consuetudine legitimè præscripta, tamen BALthasar idem concessit, dictas causas per Laicos judices decidendas. *3tiò* Licèt similiter de consuetudine præscripta, aliqui Nobiles etiam rusticos habentes, defacto non solvant Decimas de propriis Curijs: Et Alij, qui ex multiplicatione ad tantum devenerunt, ut Rusticos habere non possint, nec Decimas in toto, sed in parte solverint, BALthasar nihilominus concesserit, ut tales nec in parte solvant, *4tò.* Licèt cuncta Monasteria quoruncunque Ordinum, in Eodem Regno Hungariæ fundatione super perceptione Decimarum Bonorum Immobilium, infra limites proprios, interdum extra illos consistentium privilegiata non essent. Tamen idem per suas litteras, ad Instantiam quorundam Abbatum Priorum, Præpositorum &c. Ejusdem Regni Hungariæ, concessit. Integram perceptionem Decimarum in suis limitibus. *5to.* Per alias suas litteras, quibusdam Prælatis & Ecclesiasticis, Baronibus, Nobilibus, Immunitates à Decimis & Censibus omnibus, ac servitijs cunctis, Ecclesijs ac Monasterijs Hungariæ, Dalmatiæ & Croatiæ debitis, concessit. Quæ omnia in magnum Ecclesiarum detrimentum vergunt. Et si Barones, Nobiles, Parochi, & Conventus, vi prædictarum litterarum apprehendent Decimas, & Jurisdictiones dictas, quasi impossibile erit Ecclesiasticis quibus debentur recuperare; Nobiles enim Parochis favent, quos pro lubitu intrudunt, & amovent, Et sic Decimas sub specie Parochorum sibi usurparent. Deinde Quartis & Decimis ita abalienatis, multæ Prælaturæ, & Dignitates Ecclesiasticæ in ijs fundatæ deficerent. Supplicârunt itaque Synodo ut his provideret.

Synodus cum litteras has Balthasaris non videret, nec notitiam certam de expositis habere poterat, Proinde litterarum earum vigorem, & omnes processus inde secutos suspendit, quoadusque in *Specie* ad idem Concilium delatæ fuerint, ut ulterius providere possit. Quocirca mandat Archi Eppo Strigoniensi & Prælatis Universis Hungariæ, ut Authoritate Concilii, Censuris mediantibus, omnibus inhibeant, ne litteris BALthasaris, & Processibus inde secutis, utantur. Mandent etiam, ut litteras tales omnes, infra duos menses à publicatione hujus mandati præsentent. Quod si quis illas non præsentaverit, tunc Universas tales litteras authoritate Concilij annullent. Hásque suas litteras includit aliis ad SIGISMUNDUM Regem, rogando: ut Ecclesiasticis in executione earum asistat, nec quidquam per Balthasaris litteras innovari permittat.

Litteras has SIGISMUNDO 16. Julij præsentârunt in præsentia NOTARII & testium. ANDREAS de Benzijs de Gualdo Legum Doctor Archi Eppus Colocensis. GEORGIUS B. Adalberti Jauriensis: Vice Cancellarius Regis. JOANNES de ESK Quinque Ecclesiensis & Pleban. Budensis. BENEDICTUS B. V. Albæ Regalis, Sedis Apostolicæ Proto-Notarius, Ecclesiarum Præpositi. Ac JOANNES Mode, in Artibus Magister, Lector Ecclesiæ B. Petri Veteris Budensis, & Canonicus Varadinensis. Procuratores omnium Ecclesiasticorum Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæque.

SIGISMUNDUS. 1415. feria 6. ante festum S. Magdalenæ mittit eas JOANNI Archi Eppo Strigoniensi, mandans ne ullus utatur litteris Balthasaris, ac ut supra, sed Authoritate Regia Brachij Sæcularis, contra Contumaces procedatur. JOANNES eas promulgat, sequenti usus Titulo: JOANNES *miseratione Divina Strigoniensis Archi - Episcopus, & Comes, PRIMAS ac Sedis Apostolicæ Legatus Natus, Aulæq; Regis Romanorum summus Cancellarius, Ejusdémque in Regnis Hungariæ, Dalmatiæ Croatiæ &c. Gubernator ac Vicarius Generalis.* Strigonij, Feria 3. post Festum S. Egidij. Ad Instantiam deinde Capituli Vesprimiensis, exponen-

ponentis: Quod DEMETRIUS Abbas Thykoniensis, ac Parochi & Abbates, Decimas, Parochi 4tas Capitulo cedentes usurpent, Committit Joannes Archi Eppus, ut tales capiantur, & Vicario Vesprimien ad manus dentur. BUDÆ Dominica ante Festum S. Elizabeth.

Interea Sigismundus, sunt verba Spondani, *Romanorum Rex, post satis felicem Ecclesiasticarum rerum in Aragonia, ad unionem Ecclesiæ tractationem, de pace etiam aut inducijs, inter Reges Francorum & Angliæ procurandis solicitus* &c. pervenit Lutetiam Kalen. Martij. Londinum autem Die 7. Maij 1416. magno ubique honore acceptus. Vide Spondanum. & XI Novembris 1417 Martinus V in Romanum Pontificem eligitur. JOANNES Archi Episcopus Strigoniensis 1417 moritur. Quod eruimus, ex Sigismundi 1418 in Octava S. Joannis Evangelistæ Constantiâ datis Litteris *NICOLAO de GARA PALATINO & VICARIO in Regno Hungariæ per nos Constituto:* quibus exponit: Capitulum Zagrabiense graviter conquæri. Séque ægro audire animo, injurias Toplicensium, à Kemlekensibus, ratione Metarum irrogari. Et quod Fabianus metas conscribere prohibitus esset, per Joannem Canonicum Quinque Ecclesiensem, ac Joannem de Almug Dispensatorem Reginæ, sicque jura Ecclesiæ suffocata, de quo cogitur, ut ait, mirari. Nolens itaque Rex juribus Ecclesiæ derogari, & maximè cum Concilium Constantiense laboret jura Ecclesiarum dilacerata resarcire, ab eo nollet Censuram pati. Mandat eidem Palatino, ut Reginam BARBARAM verbo Regis inducat, ne metare impediat Capitulum, sed misso homine aliquo, cum testimonio Chasmensium, metæ ponantur. Ne coram ipso reduce lis aliqua fiat, & præsertim ne à Concilio ipsi quidquam in hoc valeat imputari.

SED nec illorum possumus oblivisci Sigismundi mandatorum, quæ, Anno 1414 *Cremonâ* in Festo Conversionis S. Pauli submiserat, exponendo: Quod jam Vigentibus in Hungaria injustis multorum oppressionibus, per Banos, Comites, & Vice Comites, statuerit: ut horum nullus ullum possessionatum hominem, in jurisdictione ipsius Constitutum, in Præsentiam sui, in Causa propria, usque dum tali honore fungitur, possit in causam attrahere. Et Universa etiam judicia, & mulctas talium judiciorum non aliter nisi tempore Generalis Congregationis, in hujusmodi Regno, aut Comitatu ex Regia Commissione Celebranda, ab ipsis extorquere possit, Nihilominus tamen, ait Rex, se intelligere ex quærellis Zagrabiensis & Crisiensis Comitatuum, Banos, Comites & Vice Comites, hoc decreto non observato, Judices & Actores simul factos, ita ut aggravent in Præsentia sua Varios; & mulctas etam, alio Decreto non observato, quocunque tempore, nec exspectata Congregatione extorqueant. Hoc prohibet, & suum Decretum anterius renovat.

Canonicorum hæc eruimus Nomina.

Mathias *Præposit.* Gerardus *Lector.* Joannes *Cantor.* Gregorius *Custos.* Ladislaus *Dubicen.* Amadeus *Camaracen.* filius Joan. de Turilovcz antea Kemlek. Gregorius de Raven. *Bexin.* alter Gregorius Longini *Bexin*, Stephanus *Varasdinen.* Nicolaus Pattak. Blasius de Ivanich. Nicolaus de Bigzad. *Canonici Zagrabienses.* Item Stephanus Farkassij Can. Zagsis.

Nicolaus Dehedrechwar *Janitorum Reginalium Mgr.* SIGISmundus Castri Regij Kemlek *Castellanus*, Capitulo gravis. MUCHINI Comes Castri de Lipoucz. Nicolaus & Benedictus 1417. Comites Cottus Zagrabiensis. Litteratus Joannes dictus Kasmer de Raven, Judlium Cottus Crisiensis.

Anno tandem 1419. Postquam Eberhardus 2da die Epiphaniarum, Parocho S Emerici in Area Capitulari Zagrabiæ, super Reditibus ipsius, à quibus per Parochianos fraudebatur, litteras dedisse inveniretur, in Domino obijsse creditur. Sed quo Die? Ubi? nos præterit. Zagrabiæ id factum svadet sepultura, & Præmissæ Parochi litteræ. Testamentum Eum condidisse, ex Successoris Eppi, ultima voluntate eruimus. De quo suis locis dicturi. De Eberhardo Eppo. in Historia Castri *Medved* ita scribit Kovachevich.

„ Porrò Quando Familia Bobonig ad occasum venit, in Anno 1399. Rexit Ecclesiam
„ Zagrabiensem EBERhardus Aulæ Regiæ Supremus Cancellarius, cui si Ecclesiæ suæ, pro-
„ movendi Boni, Zelus fuisset, hac sane occasione in obtinendo Castro Medved à Rege
„ Sigismundo, cujus Lateri adhærebat, fructuosam utique operam navare potuisset, At
„ ille carni potius & sanguini deferens, ut Rex dictum Castrum Nepotibus suis Petermano,
„ Hermano, & Rudolpho, filijs Rudolphi de Alben, jure perennali conferret, omne stu-
„ dium impendit. Reclamabat quidem & contradicebat eodem Anno tali Donationi Capi-
„ tulum; Sed ex qua contradictione juris quidem beneficium, sed rei nullum retulit com-
„ modum. Familia quippe de Alben captum semel Castri Dominium, protraxit ad Annos
„ 37. &c. inferius. Uno igitur hoc facto, reprobatur Eberhardus. Alia Magnum Justum, Liberalem, Zelosum ostendunt. Vacabat Sedes, ad Anni 1420. finem. Ut *Zagrabiense vacans.* Legatur Anno Eodem. Constantiense Concilium Die 22. Aprilis 1418. finem habuit. & 1420. Sigismundus in Regem Bohœmiæ coronatus. De quibus Spondanus ac alij videndi.

XXXVII.
JOANNES IV. DE ALBEN.

FRatri suo Eberhardo, Joannes IV. tam in Pastorali Officio, quin & *Cancellariatu* non solum Hungariæ, sed insuper, ut prodit *Titulus*, Imperij, successit, sub finem Anni 1420. cum Kalendis Januarij 1421 confirmasse inveniatur pro Parocho S. *Emerici* in Area Capitulari litteras, ab Eberhardo datas. An ex Episcopo? vel Canonico Quinque Ecclesiensi, ac Reginæ Cancellario, has dignitates Joannes obtinuerit? dubium est. Credibilius translatus ex Episcopatu Quinque Ecclesiensi, cùm *Henricus* Joannis Frater junior, eum Episcopatum, his temporibus, sit consecutus. Ex quo, quam florens sub Sigismundo Familia de *Alben* fuerit, cognoscere est. Et in sacra & profana Republica, Primas tenuit.

Anno 1420. ad Octav. Nativit. B. V M. nescio quo in merito? Capitulum, Civitatem Regiam, coram *Dionysio* Bano ac Ejus Vice Banis *Sebastiano de Hermach*, & *Petro de Erveniche* Comitibus Cottus Zagrab. in jus vocaverat; sed producto Privilegio: Quod nullus Banus, Vicebanus seu Comes, eos simul vel divisim juri suo stare compellere possit: Nec Inquisitionum litteras contra eos, Ecclesiastici vel Nobiles quicunque, dare audeant, *Judicatus* ex præmissorum sententia, cecidit. Secuta postea intra partes gravissima odia, cædes. Quarum historiam non meis, sed Thomæ Kovachevich verbis, sine cujuspiam offensa ita habeas.

„ 1422. Anno, *imo* in Festo SSmæ Trinitatis, turrim Capituli in eorum Civitate habitam (ubi res bona Ecclesiæ, ac Capituli, propter metum Turcarum reposita habebantur) armata manu obsidentes, Magr *Ladislaum de Davoth* pro custodia earundem rerum, ibidem constitutum, dispositis hinc inde insidiis, pluribus diebus, si quandoque exiret, capere & interficere in maligno proposito habuerant. Et ut ipsos Capitulares, absque sonitu campanæ, & strepitu clamoris incautos opprimerent, erecto vexillo in turri Ecclesiæ, omnes ad arma concurrentes, nisi dato per dictum Canonicum ex turri, hujusmodi moliminum certo signo, intellexissent Canonicos, qui domi erant, cùm rebus suis ad Ecclesiam & Curiam Eppalem se recepisse, utique quod moliti fuerant, exequi non intermisissent. Et quia hoc ipsum perversum propositum, pro ea temporum circumstantia perficere nequiverant, habito propterea colloquio, ad territorium quodam Capituli *Krogh* vocitatum nonnullos de suis cum armis & sagitis, ad deturbandos homines Præpositi majoris, qui terreno illi exarando incumbebant, eò fine exmiserant, ut si Capitulares ad insequendos illos excurrerent, alij, qui domi armati hoc ipsum observabant, mox in Capitulum irruere illudque depopulari valuissent. At quod illis his vicibus perficiendi occasio non suppetebat, tandem in Festo D. Margarithæ perpetratum, Capitulares deplorare debuerunt. Hoc quippe die quando ocasione Nundinarum quisque etiam exterus Privilegio *Salvi conductus* gaudet, memorati Cives innito consilio, ad pulsum majoris campanæ, ad Capitulum armata manu descendentes, diversorum Canonicorum, signanter superius nominati Magri *Ladislai Davoth, Cantoris, Archidia: Bexin* & Mgri *Michaelis*, Doctoris Artis Medicinæ, Domos & Curias totaliter spoliarunt. Complures item Personas sive Ecclesiasticas, sive sæculares, partim dirris vulneribus affecerunt, partim occiderunt, & nonnullos exquisitis supplicijs, & enormibus tormentis excruciarunt. Denique contra Ecclesiam etiam Furorem vertentes, plures sagittas in Eam, & in Canonicos, qui actu horis vespertinis assistebant, Emiserunt: Et nisi ijdem ad Sacristiam confugientes, in eadem sese reclusissent, & certorum hominum ac familiarium *Dionysij* Bani, Episcopi *Joannis*, ac nonnullorum aliorum proborum, & nobilium Virorum, qui ad forum annuale concurrerant, furibundo dictorum civium occursui se viriliter opponentium, præsidio & auxilio defensati, omnes in eadem Ecclesia pariter exstitissent jugulati. Porrò ad hæc cruenta facinora pertractanda, dum ijdem Cives sese congregarent, dicuntur clamasse: festinate, festinate, in Presbytheros maledictos, & cleros, Prædam tollite, capite, vulnerate, interficite, detinete, libros, calices, & ornamenta Ecclesiæ S. Stephani, & Canonicorum Ejusdem rapite, tollite, ac vobiscum asportate, Dividamus spolia, eorum rebus, ædes nostras impleamus. Et hæc desumpta sunt, tum ex litteris Joannis IV. Eppi Zagrabien In dictos Cives sententiam excomunicationis ferentis, tùm ex mandato Sigismundi Imperatoris & Regis de Dato Posonij hoc Anno 1422. feria 2. post Festum S. Brictij, In quo præcipit Capitulo Chasmensi ut super præmissis sedulè inquirant, & sibi refferant. Id quod & præstitum hoc Eodem Anno feria 6 post Festum S. Luciæ. Interim quemadmodum Imperator Excessus dictorum civium in foro sæculari jure vindicandos disponebat, ita Joannes

„ IV. Eppus Zagrab. & Cancellarius Regius in foro suo spirituali, contra Eos procedere „ non intermisit. Bis in præsentiam illius fuêre citati, ut si quid pro exculpando facto suo „ haberent, id deducerent, & allegarent, sin minus, parti læsæ satisfactionem impende- „ rent, & sibi de debito Absolutionis ab excommunicatione, ipso jure incursa, providerent. „ Sed cum in nullo termino, nec per se, nec procuratorem judicio sese stitissent, Die 7ma „ Septembris, omnes tam Civitatem, quam Ejusdem suburbia inhabitantes, Excommuni- „ catos pronunciavit, Et Ecclesiæ interdicto supposuit. Insuper filios eorum, usque ad „ 4tam Generationem inhabiles ad susceptionem SS. Ordinum, ad obtinendas Dignitates, „ Beneficia, officia, feuda, aut Prædia Ecclesiastica denunciavit; usquequo videlicet, per „ Eosdem de omnibus Ecclesiæ, Capitulo Præbendarijs, & reliquo Clero satisfactum non „ fuerit. Præcipiebat autem, ut in singulis Ecclesijs singulis diebus Dominicis & festis, ab earũ „ Rectoribus, accensis candelis, & dein extinctis, ac in terram projectis, præmissa Excommu- „ nicatio denuncietur, quousque eadem percussi, de absolutione sibi non providerent.

GEORGIUS autem Marcellevich rem hanc ita describit.

„ 1422. Civitas notatum habet. Quod Canonici, Cives in Festo Annunciat. verbera- „ verint. Item *fer. 3. ante Domin. Rogation.* potiores Canonici cum suis irruentes in terras Ci- „ vitatis aratra secuerint. postridie verò Ladislaus de Davoth C. Zag. in turri in Civitate, „ Machinas & Pyxides sonoras emisit in civitatem, & nisi Vigiles custodissent, Civitatem „ combussissent: Ac idem diebus proximis unum spoliavit, in Cives Sagittas emisit, & accen- „ disset Civitatem nisi vigilassent. Diebus proximis *Gerardus Lector*, Can. Zag. Civissam „ unam in Capitulo, in via ipse verberavit, & vittam à capite abstraxit. In festo S. Marga- „ rethæ capitulares homines, tempore fori annualis, à meridie usque crepusculum noctis „ ad sonum campanæ, cum hominibus etiam Joannis Epis. Zagr. more exercituantium in- „ ceperunt expugnare Civitatem, & sequenti tota die. Ubi in territorio civitatis prope „ fontem *Mandussevecz* & Ecclesiam S Martini, ad domum balnei, ac juxta turrim, prope „ novam portam, aliquos Cives occiderunt, & vulnerârunt, *Gerardus Lector* manu sua oc- „ cidit unum, unum vulneravit, *Nicolaus* etiam *de Cilia* unum manu sua sagitta occidit, & „ multos vulneravit, Quam pugnam ideo fecisse Capitulum scribunt, quia eis Civitas litteras „ Regis exhibuit, ut terras Civitatis occupatas remittant, quas litteras, nec observârunt, nec „ ad eas, quid boni responderunt.

„ Ex Sententia autem contra Civitatem Lata. In Festo Ss. Trinitatis, Turrim Capitu- „ larem in Civitate, Civitatenses oppugnârunt. Et Ladislaum de Davoth C. Z. Custodem „ Ejusdem, & rerum ibi repositarum ob metum Turcarum; extrahere & suspendere, ut publicè „ clamabant, conati sunt, insidijs positis, pluribus diebus eum exspectant. Et ut Cano- „ nicos absque sono Campanæ & sine strepitu in domibus eorum incautos reperirent, ere- „ cto vexillo in turri S. Marci omnes armati fuerunt congregati, ad invadendum Capitulum, „ sed Ladislaus rem advertens, erecto panno lineo in Uno baculo de turri signum dedit. Ad „ quod, Canonici & Clerici ad Ecclesiam & Curiam Eppalem fugerunt. Item circa Festum „ Ascensionis Domini, homines Capli spoliarunt in Campis laborantes, reliquis ex turri „ speculantibus, & paratis, si resistentia à Capitularibus fieret, in auxilium accurrere. Sed „ Canonici, qui pauci tunc aderant, patienter tulerunt, & aufugerunt, per eundem La- „ dislaum certo signo admoniti. Absente inter hæc in Regijs servitijs Joanne Eppo. Et de „ his nulla fuit satisfactio. Tandem in Festo S. Margarethæ tempore nundinarum ad pulsum „ Campanæ domos Canonicorum deprædarunt, homicidijs factis, In Curiam Eppalem & Ec- „ clesiam irruerunt &c. Idem refferens ut supra in Kovachevichij descriptione. Hoc solum addito, quod notet per *Benedictum* S. Joannis, *Martinum* S. Emerici, *Gregorium* S. Antonij de vico latinorum, Parochos *Zagrabiæ* in Vigil. Assumpt. fuisse citatos.

An? & quando? ab his censuris fuerint absoluti, nemo scripsit. Credimus hoc factum: cùm ut infra dicturi, Eppus Joannes Ipse, ex mandato Regio, causas intra Cives & Capitulum audiverat, & judex fuerat. Hinc profectum illud vulgi credimus, *è Civium filijs neminem in Canonicorum Collegium assumi posse.* Contrarijs licèt exemplis. Cœterùm rem ut scriptam comperimus, sincerè retulimus. Condemnare nos, alter vix poterit, nisi ille, qui libros condemnet omnes, Pontificum, Regum, Principum, Regnorum Excommunicationes, & facta scribentes, & continentes. Adeoque talis, qui orbem historia, cupit spoliatum.

Hoc Eodem Anno 1422 *Sabbatho Sancto* Fr. JACOBUM de Placentia, à Joanne Eppo in Subdiaconum & Diaconum fuisse Ordinatum, se reperisse *Marcellevich* notat. Qui cum S. JOANNE Capistrano Socius & Commilito, Hungariæ postea Apostolus, testimoniô litterarum, Strigoniensis, Colocensis *Archi*, Item Varadiensis & Transylvaniæ *Epporum* ad

Papam EUGENIUM datarum. Tandem Beatorum Insertus agminibus. Zagrabiense S. Francisci Monasterium, tanto alumno, jure potest gloriari.

Contentio intra Scriptores *Strigoniensis Ecclesiæ* est, Quis Joanni Kanisajo successerit; Nec eam dirimimus, communicamus tamen, Quod in Confirmatione Privilegiorum Ecclesiæ Zagrabiensis, super exemptione, & libertatibus subditorum Ejusdem, in Anno 1423, 6 Kal. Augusti facta, Legamus: de Consilio *Barbaræ* Reginæ, Prælatorum & Baronum *Georgio Eppo* Pataviensi & *Administratore* Archi Eppatus Strigoniensis. Item in alia: Stephani Regis, Literarum. Ad Instantiam *Gregorij* dicti *Teureuk* de familia Tetachich & de Gregorianz. Anno 1426 IV Nonas Augusti hæc Conclusio:

„ Per manus *Joannis* Episc. Zagr. Regis & Reginæ summi Cancellarij. *HERMANO* CI-
„ LIÆ, Sclavoniæ totius, *NICOLAO* Vegliæ & Modrussiæ Comite, Dalmat. & Croat. Banis.
„ *GEORGIO* Strigoniensi, *JOANNE* Colocensi, *DOIJMA* Spalatensi. *Andrea* Ragusien.
„ Jadrensi Vacante, Archi Eppis. *Rozgon* Agriensi. *Henrico* Quinque Ecclesi. *Clemente*
„ Jaurinensi. *Joanne* Vesprim. *Ladislao* de Marczal, Chanad. *Nicolao* Vacien. *Hincone*
„ Nitrien. *Petro* Corbavien. *Jacobo* . . . . *Thoma* Segnien. Bosnensi; Tragurien. Scar-
„ donen. Sibinicen. Nonen. Tinninien. Macarien. Pharensi sedibus vacantibus. Nicolao
„ de GARA *Palatino*. Vaivoda Transyl. Vacant. Comite Matheo de Palocz *Judice Curiæ*
„ Banis ut supra. De seu de Gara prædicta *Machovien Bano*. Banatu Zeurien. Vacante. Pe-
„ tro filio de Brezevicze, *Tavernicorum*. Ladislao filio condam Joan. Vaivodæ *Janitorum*.
„ Stephano de Bathor *Dapiferorum*. Ladislao Kompolt, de NANA *Pincernarum*. Nicolao
„ de Peren. *Agazonum*. Stephano Jurin, de prædicta Rozgon, Comite Posoniensi.

Sub Joanne hoc Episcopo, à diversis impetebatur Capitulum, & nisi tanti, támque magni Eppi fuisset Vigilantia, facilè extinctum fuisset. Nos has causas notatas comperimus. Cum Civitate Regia, non solum quæ relata sunt, sed 1423 pro terra *Bobichan* juxta savam prope Jarun, Item fluvij *Czirkvenschak* per novum fossatum deducti, juxta domum *Mathiæ Præbendarij*. 1425 Ratione limitum, inter terras Capli & Civitatis. 1426 Ratione turris Capitularis habitæ à Bela IV Rege, in Civitate. Qua occasione, homicidià, aliæque violentiæ ab utrinque scribuntur. Sigismundus tamen Viennâ XII Kalen. April. stabilit, suis litteris Caplum. 1427 prò *OTTOK* Altariæ B. V. M. per BUSAM olim relictæ cum Regia Confirmatione, & hucusque pacificè per Caplum possessæ. 1428 Ratione Metarum *Rodes*, *Rabotz*, & *Gremlije* in quibus, magnæ violentiæ. Ac tandem occasione prædictæ turris collapsæ & ruinatæ, dum eam Capitulum reparare voluisset. 1430, Turcarum & cujusdam Rotthar metu, qui Tyrannicè invasurus Capitulum ferebatur. Miserat suos, Romam ad Sigismundum Civitas Nuncios, accusans Capitulum, separationem intendere, ac moliri. At is, alijs occupatus, respondit, separationem se nolle, Reparationem autem admittendam esse. Dein Basileâ, mandat Civitati, uti juxta antiquam formam reparetur turris, demptis solum altis, &notabilibus mœnijs ac propugnaculis *Erkel* vocatis, quæ ob Civitatis præjudicium in turri fieri non deberent.

2do. Cum PP. Paulinis, ratione Metarum, in terris olim 1340, ijsdem Donatis, signanter ex parte Possessionis *Pristanchina*, sed Rege mandante, fit compositio. *LUCA* Generali Paulinorum existente, *Paulo* Priore Remethensi, præsente etiam Vicario B. V. M. de Garich, ejusdem Religionis professo.

3tiò. Cum Stephano Chupor de Monozlo, qui Bóna Capli *Ziteeh* sive fisciam occupaverat, sed in Causam attractus, in omni foro perdidit. *4tò.* Cum Comite figniæ ac Vegliæ item Joanne Thot de Zomzedvara, alijsque speciatim de Kamarcha, & Bexin, nec non Parocho Krapinensi *Joanne* ratione occupatarum Decimarum, in toto ferè Episcopatu. Ut in tanta necessitate Legatur fuisse Capitulum, ut sumptus vix habere potuerit. Jam quid egerit, in tanta persecutióne refferendum.

Juris via, vindicabat omnia. Contra Decimarum usurpatores ad Martinum V Pontificem, suos 1429 destinat Nuncios *Joannem* Cantorem, *Ladislaum* Camarcensem, *Franciscum* Succentorem, *Georgium* de Marovcsa, & *Fabianum* de Sztreza Canonicos Zagrabienses. Ad SIGISMUNDUM similiter *Mathiam* Præpositum, aliósque, ut in tantis necessitatibus, una Ecclesiæ videbatur felicitas, Canonicorum Virtus, ac Unio. Insignes habuisse tunc Capitulum Viros, facta eorum testantur. Sigismundus, ut erat Ecclesijs addictissimus, in Specialem Protectionem & tutellam, per bina rescripta Ecclesiam Zagrabiensem suscipit. Metas omnes Bonorum Ecclesiæ erigit, juxta CAROLI ac LUDOVICI Regum litteras, illásque confirmat. Quarum Sigismundi litterarum, sequens initium. „ SIGISMUNDUS
„ &c. Omnibus Christi fidelibus, Præsentibus pariter & futuris, Præsentium Notitiam ha-
„ bituris, salutem in omnium Salvatore. REGNI Cœlestis ad instar, Sacrosancta DEI Ec-
„ clesia, per quam Regnant mundi Reges, Divinitus Instituta, ob indeficientem spem æ-
„ terni bravij obtinendi fovenda est totis visceribus Charitatis. Proinde ad Universorum &c.

Stylus

„ *Stylus transsumendo* CAROLI, *Ludovici aliorumque litteras, tandem.* Nos igitur humillimis & de-
„ votis supplicationibus annotatorum Dominorum Joannis Cantoris & Ladislai Archidiaconi,
„ suis & Capituli Ecclesiæ Zagrabiensis nominibus, & in personis, per eosdem nostræ oblatis
„ Majestati, Regia benignitate exauditis &c. Quoad omnes earum Continentias, clau-
„ sulas & articulos acceptamus, approbamus, & ratificamus, EAS nihilominus ob spem &
„ devotionem, quam ad Gloriosissimum Christi Confessorem Sanctissimum Regem Stepha-
„ num Apostolum Hungaricæ Gentis, Ejusdémque, Divinæ Religionis Doctorem, No-
„ strum videlicet prædecessorem Inclytum, in Cujus nomine ipsa Zagrabiensis Ecclesia fun-
„ data extitit Continuè gessimus & gerimus, Ipsiúsque precibus nedum in terris, verum
„ etiam in supernis Cœlorum habitaculis indubié speramus Confoveri, simul cum præmissis
„ reambulatione ac metarum erectione, & renovatione terrarum, & possessionum dicti Ca-
„ pituli Ecclesiæ Zagrabiensis, superius in tenore ipsarum litterarum nominatim Conscrip-
„ tarum, Confirmationeque Earundem, nec non Clausula in inferiori margine dictarum
„ litterarum Privilegialium conscripta (*ratione nempe Sigilli uti supra perditi*) aliisque omnibus
„ & singulis, superius in tenoribus earundem limpidius contentis, & expræssis, mera Au-
„ thoritate Regia, & potestatisplenitudine, ac certa scientia, Nostræ Majestatis, de Con-
„ sensu & beneplacita voluntate Serenissimæ Principis Dominæ Barbaræ Reginæ Conthoralis
„ Nostræ Charissimæ, Prælatorumque & Baronum Nostrorum Consilio, præmaturo ac Uni-
„ formi Decreto eorundem pro Præfato Capitulo Ecclesiæ Zagrabiensis innovantes per-
„ petuo valituras confirmamus, præsentis scripti Nostri patrocinio mediante. Salvis juri-
„ bus alienis. In cujus rei memoriam, firmitatémque perpetuam, præsentes concessimus
„ litteras Nostras Privilegiales, pendentis & authentici Sigilli nostri, NOVI DUPLICIS quo
„ videlicet, ut Rex Hungariæ utimur, munimine roboratas. Datum per manus Reveren-
„ di in Christo Patris Domini JOANNIS Eppi Zagrabiensis Aulæ nostræ Mattis summi Can-
„ cellarij, fidelis nostri dilecti Anno Dñi 1427. III Idus Novemb. Regnorum autem nostro-
„ rum *HUNGARIÆ* Anno 41. *Romanorum* 18. *Bohemiæ* 8. Venerabilibus in Christo Patri-
„ bus Dominis *GEORGIO* Strigoniensi. *Doijmo* Spalatensi. *Andrea* Ragusien. & *Joanne* Colo-
„ censi Archi Eppis. Jadrensi sede Vacante. Eodem Dño *Joanne* Zagrab. *Dionysio* Vara-
„ dien. *Petro* Agriensi. *Henrico* Quinque Ecclesien. *Joanne* Vesprimien. *Clemente* Jaurien.
„ *Ladislao* de Marchali Chanadien. *Nicolao* Vacien. *Hincone* Nitrien. *Petro* Corbavien. *Ja-*
„ *cobo* Syrmien. *Joanne* Tininien. & *Thoma* Sennienfi Ecclesiarum Eppis, Ecclesias DEI feli-
„ citer gubernantibus. Transyl. Bosnen. Tragurien. Scardon. Sibinicen. Nonensi. Ma-
„ karien. & Pharen. Sedibus Vacantibus. Necnon Magnificis Viris Nicolao de Gara, Re-
„ gni nostri Hungariæ Prædicti *Palatino*. Ladislao de Cháák, *Vaivoda* nostro *Transyl.* Co-
„ mite Matheus de Paloch *Judice Curiæ nostræ* HERMANO Comite Ciliæ & Zagoriæ, socero
„ nostro charissimo, totius *Regni Sclavoniæ*, Nicolao Groff, *Dalmatiæ* & *Croatiæ* Regnorum
„ Nostrorum Prædictorum, Joanne de Maroch & Petro Cheh *Machovien.* BANIS, honore Zevri-
„ nien. Vacante. Petro filio de Werzenicze *Tavernicorum.* Ladislao, filio Joannis Vai-
„ vodæ de Tharnafi *Janitorum.* Stephano de Bathor *Dapiferorum.* Ladislao Kompolth de
„ Nana, *Pincernarum.* Nicolao de Peren *Agazonum* nostrorum Magistris, ac Stephano de
„ Rozgon Comite nostro Posonien. Alijsque quam plurimis Regni nostri Comitatus tenen-
„ tibus & honores.

Prædicta posuimus ideo, ut Sigismundi Regis videas pietatem. *2dò* Eum universa Ec-
clesiæ Zagrabiensi, post Casum PAULI Eppi, næ fors ablata, restituisse, Confirmâsse, du-
bium ut nullus habeat. *3tiò* Ob alia quæ continent, ut consideranti patebit. Nempe *Si-*
illi NOVI Duplicis, Nomina Prælatorum, Baronum. &c.

JUVIT quoque, ad componendas res cum Civitate, Capitulum, quod Eandem Sigis-
mundus JOANNI Eppo in pignus dedisset. Ut Joannis testamentum loquitur: una cum
aliis, & signanter Castro Regio Kemlek, in cujus Castri Litteris, in Festo Philippi & Jacobi
Apost. 1427. datarum Joanni, Sigismundus exprimit: *Quod ob* „ servitia multa EBERhardi
„ quondam & JOANNIS Successoris Episcoporum Zagrabiensium, in varijs expeditioni-
„ bus & negotiis exhibita, cum expensis & periculo suarum Personarum, & pro AURI pu-
„ ri 14000. in arduis Regni necessitatibus & expeditionibus, ob insultum Turcarum necessa-
„ riis, à Joanne Eppo Zagrabiensi datis, Eidem Sigismundo; in Persona cum Regnicolis
„ in Turcas eunti, & errogatis, Regium Castrum Nagij Kemlek, cum Consensu Barbaræ
„ Consortis, & Procerum Eidem Joanni Eppo vendit, dando ei facultatem disponendi,
„ hac conditione: Ut si omnino esset necessarium Castrum pro Regni defensione, Rex ut il-
„ lo carere nequiret, Hic illud depositis 14000. redimere possit. JUS autem redimendi
„ nullus alter habeat, Idque ob singularem causam, conservationis Cellarij Regij in Scla-
„ vónia. His litteris Apposita Sigilla Nicolai de GARA *Palatini*, & Matthæi Paloch *Judicis*

„ *Curia Regia.* Plura alia titulo Pignoris, possidebat Joannes, ut ex Testamento Ejus, infra
„ visuri.

MARTINUS autem V. Romanus Pontifex, ad quem Oratores Capituli missos supra retulimus, ad EMERICUM Abbatem Monasterii Fontis S. MARIÆ prope Lantstras Ordinis Cisterciensium, hujus tenoris dedit Litteras.

„ MARTINUS Episcopus servus servorum DEI. Dilecto filio Abbati Monasterij B.
„ MARIÆ de Lantstras, Aquilejensis Diœcesis, salutem & Apostolicam Benedictionem.
„ Conquestus est nobis Venerabilis Frater noster JOANNES Episcopus Zagrabiensis, quod
„ Nicolaus Ordung, Sigismundus de Achyna, Stephanus Roh, Ladislaus Roh, & Quidam
„ alij Laici Zagrabiensis Diœcesis, super Quibusdam decimis, ac rebus alijs ad mensam
„ Episcopalem Zagrabiensem spectantibus injuriantur eidem, & Ecclesiæ suæ, ac Capitulo.
„ Idémque discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenùs vocatis, qui fue-
„ rint evocandi, & auditis hinc inde propositis, quod justum fuerit, appellatione remota,
„ decernas. Faciens quod decreveris ab Episcopo Authoritate Nostra, alijs verò prædictis
„ per Censuram Ecclesiasticam firmiter observare. Testes autem qui fuerint nominati, si se
„ gratia, odio vel timore, subtraxerint, Censura simili appellatione cessante Compellas
„ veritati testimonium perhibere. Datum Romæ apud Sanctos Apostolos II. Nonas Aprilis
„ Pontificatus nostri Anno XII.

VIGORE harum litterarum *Emericus* ut sedis Apostolicæ Delegatus, Præmissos, nec non Stephanum de Bochka, Sigismundum Hanchijhar de Simigijovcz. Joannem Osth, de Herberthija, Michaëlem de Szeech Armigeros, Zagrabiensis Diœcesis, ex parte etiam hominum, & Jobagionum ipsorum ad certum Terminum evocat. Quarum evocatoriarum Copiam habemus, cum testimonio assignationis, de Sententia, nil Constatnobis.

Sed & ad Basileense Concilium suos misit Capitulum Oratores, videlicet *Joannem* Bachenstaijn Archidia. *Camarcens.* & *Joannem* Archid. *Urbovz.* Quod 1432, contra Ciliæ Comites Decimas Bexinatus occupantes, in favorem Capituli tulit Sententiam. De quo Concilio, Spondanus Legendus. Nósque inferius quædam commemoraturi.

Petes: Unde profluxerunt tot Inimici Capitulo. Fecit ut credimus, Regis, & Episcopi absentia, qui cum Rege abfuit, ob Cancellariatûs officium. Regina quoque BARBARA, absente Sigismundo, ut fœmina ab omnibus petulantior descripta (Bonfinius, Dubravius &c videndi) non multum Ecclesijs favens, his solatium habuit. Hæc de BARBARA Spondanus. *Neque Christianæ, neque alteri cuipiam Religioni adstrictam; quæ superos, inferósque ullos esse, negaret. Et ancillas suas jejunijs aut Orationi vacantes graviter increpare consuesceret, quod corpus suum frustra macerarent, fictúmque Cœli numen placari verbis crederent; somniaréque eos, qui alteram vitam intruderent* &c. Æneas Sylvius, alibi *Cordatam* vocat mulierem, & se à nonnullis audisse, Eam, ut decuit Christianam, supremum Spiritum emisisse. Hanc Joannes persæpe, & ex jure Sanguinis liberius, monuerat. At illa, & suo eum Cancellariatu privaverat, & molestare non cessabat.

JOANNIS autem, ex litteris obtinuimus, memoriam sequentem. Anno 1423 In sua Generali Congregatione, Universitatis Prædialium totius Eppâtus Zagrabiensis judicia in Dombro celebrat. Ubi hoc usus titulo: JOANNES DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS ZAGRABIENSIS, NEC NON REGIÆ ET REGINALIS MAJESTATUM SUMMUS CANCELLARIUS. 1428 Confirmat Litteras Eberhardi, Præbendarijs Chasmensibus datas, idque Chasmæ feria VI proxima, ante Festum Purificationis B, V. M. 1429. approbat, & ratificat Litteras Joannis litterati officialis sui, reambulantis possessionem quorundam Nobilium possessionis Wlkomerich, circa Rakonok, ubi meminit, fluvij *Radkovpotok*, fluvij *Zeklijn*, qui confluit cum fluvio *Zernovonik* majore, fluvij *Lipnicza* & *Zubalipnicza* fluviorum *Mozoebaijna* & *Hrecbijn.* Ubi hunc Joannis Titulum *officialis* exprimit: JOANNIS DEI & APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPI ALMÆ ECCLESIÆ ZAGRABIENSIS, ac S. R. IMPERII, & REGNI HUNGARIÆ SUMMI CANCELLARIJ. Existimat hinc *Levakovich*, Joannem Eppum primùm, voce *ALMA* usum in Titulo, cum antea non legatur. Anno 1425, uti superius pag 55 innuimus, jus Zagrabiensis Eppi, quoad Archidiaconatum *MURAcensem* conservare studuit, & Poseganum Capitulum, quod à PAULI Eppi Casu, sese eximere studuit, avitæ Episcoporum Zagrabiensium subjecit Jurisdictioni, ut pag 40 insinuatum. JUS PATRONATUS Beneficiorum omnium in Diœcesi sua habuit, ut Præposituram Majorem, *Mathia* Præposito, ad Quinque Ecclesiensem Præposituram transeunte, Nobili *Vito* Thomæ de Deseu clerico Diœcesis Vesprimiensis Die 9 Januarij 1428 contulisse, ex SIGISmundi Speciali indulto, inveniatur. Litteras *Ludovici* Regis super *Kulpatev* & *Chernatev* III Idus Novemb. à Sigismundo confirmari procuravit. Pluráque alia præstitit. Nobis ignota hactenus.

Statuerat SIGISMUNDUS, ut Moneta Regalis in omnibus tam Regijs quam Ecclesiarum Exactionibus ita currat; ut 100 majores Denar. noviter cusi, valeant Unum fl. Auri.

De

De alia verò minori moneta *Quartinum* vocata, eo tempore currente 400. Denar. valeant similiter. Interim quousque major & minor moneta multiplicaretur, pro uno Denar. majori vel 4. minoribus, decem Denarij Monetæ *Ducatt* appellatæ, solvi debere. In Comitatu itaque Zagrabien. & Crisien. Decimas non aliter, quam ea monetta Ducatt, alias abolita, & ad tempus tantum admissa, solvebant. Detegit Eppus Sigismundo. Is mandat omnibus in ijs Comitatibus Bona habentibus, ut statuto se accomodent, alioquin ijsdem litteris mandat, Hermano totius Sclavoniæ Bano, ut eos compellat. Datum Tyrnaviæ Dominicâ *Judica* 1430.

Joannem cum Sigismundo Italiam petijsse, & suæ Mediolani Coronationi in Imperatorem (de quibus vide Scriptores alios) interfuisse, inde credimus, quod ab Anno 1430. nullam Joannis, in domesticis, subscriptionem invenerimus. Et quod 1432 Basileâ, de restauratione turris Capitularis in civitate, mandatū ad *Matkonem* sive Mathiam directum sit, cum Inscriptione: *Matkoni Episcopatus Zagrabiensis, & Civitatis Montis Gracensis Gubernatori*. Sub finem tamen Ejusdem Anni, vel sequentis initium *Joannes* rediverit, cùm *testamentum* Die 14. Martij 1433. Quinque Ecclesijs ægrotans, apud Fratrem suum Henricum loci Eppum, *in Stubella parva, in Palatio Chori*, Castri Quinque Ecclesiensis condiderit. Ex quo, cùm de plerisque informari possimus, quæ, vel dicta sunt, vel dici deberent, placet illud summatim referre.

Testamentum Joannis IV. Eppi Zagrab.

EGo Joannes Eppus Zagrabiæ, S. R. Imperij & totius Regni Hungariæ Summus CANCELLARIUS. Credo &c. Sepeliri volo Zagrabiæ in Cathedrali ante Summum Altare in choro. Postea Argenti medietatem legat, Ecclesiæ Zagrab. in Ornatum *S. Reliquiarum*, Calices, Apparatus, juxta Capituli dispositionem. Alterius medietatis, partem unam; Rudolpho de Alben & de Medve Fratri suo Carnali, ut preces fieri curet, pro ejus, & Eberhardi Fratris sui quondam E. Z anima. Partem aliam, Ecclesiæ Cathedr: S. Petri de Quinque Ecclesijs, ad emendas Cappas, & Ornamenta Ecclesiæ. Libros, Casulas, Vestes Pontificales Ecclesiæ Zagrabiensi. *Breviarium* vero Ecclesiæ Dombrensi, ut ejus Rectores pro Ipso orent, *Vestitum* suum totum. tres item currus, & quartū pendentem una cum Equis curriferis legat Præbendarijs Zagrabiensibus & Chasmensibus. *Pannos* magnos imaginibus & picturis contextos, dudum jam Ecclesiæ Zagrabiensi destinatos, Eidem legat Ecclesiæ. appendendos temporibus suis *Civitatem* de Monte Grecz juxta Zagrabiam sitam, quam titulo Pignoris possiderem, Legat Regi; Sigismundo, pecuniam relaxando. Ratione Castri *Kuvar*, & Civitatis *Capronza* cum pertinentijs: Item *Szentpeter* prope Dravum, & tributum quod ab Eodem Sigismundo, titulo Pignoris pro 10000. floren. possiderem, Et 300. jobagionibus, quos Sigismundus ratione Castrorum *Tadika* & *Pelske* pro Curis servitijsque meis mihi dare promiserat sic dispono: Considerando magnam in me Sigismundi benignitatem, 3000. florenorum ei remittantur, de Summa 10000 in tributo & Possessione Szent-Peter hærentium. Reliquos 7166. floren. cum Civitate & 300. jobagionibus Fratri Lego. Medietas autem Castri Kuvar, & Civitatis per executores, ad tempus redemptionis possideatur *pro Fabrica Ecclesiæ Zagrabiensis*. fl. Auri 315. à Thoma, Vicario suo in temporalibus, receptos: *pro MISSA S. Regis Stephani in Cathedrali Zagrabiensi perpetuò celebranda*, Legat. Comitens Executoribus, ut hoc acurate solvant, Pro qua pecunia, & ordinationibus Ejusdem jam factis circa Castrum Kemlek, vult eam MISSAM perpetuò celebrari & singulis diebus. Insuper *ad continuandam Ecclesiæ Cathed Zagrab Fabricam* fl. 1500 Legat. Annulos suos omnes, filiabus Antonii Comitis de Blagai ex Magdalena Sorore sua prognatis. *Pulvinar* majus in Castro *Gomptnez* habitum, Successori Eppo Zagrabiensi. Unum Pulvinar magnum in Castro Medve, Fratri Rudolpho, Duas Magnas Coopertas in Castro Ecclesiæ, pro ornamento Altarium. Omnia reliqua Pulvinaria ubilibet habita vendantur. *Henrico de Plomberg* Capitaneo Castri Kemlek flor. 174. Et Servis omnibus eorum conventiones. Non salariatis autem qui nempe ex gratia servierunt Legat fl. 600 secundum qualitatem servitij intra eos dividendos. CASTRUM SUUM NAGY KEMLEK, secundum dispositionem per alias litteras, coram Capitulo Quinque Ecclesiensi factam Legat Ecclesiæ Zagrabiensi *Ad Fabricam* Ecclesiæ S. Margaritæ de Dombro, Legat equos duos meliores sub Sella. *Pro Altari* SS. COSMÆ & DAMIANI, quod in parte Lectoris ante Chorum construi fecerat, ita disponit: ut Casu quo ea, ex Nagy Kemlek, juxta factam dispositionem stare nequiret, dent pro Eo Executores fl. 500. *LADISLAO Sororio suo* floren. 1000. Præbendariorum Quinque Ecclesiensium Confraternitati, singulis feriis quintis in Novilunio celebrari solitæ Legat flor. 26. Alijs extra Confraternitatem Præbendariorum fl. 24. ut orent pro ipso. *Omnes domus*, Palatia sua *Budæ* habita, ea sub obligatione Legat Successoribus suis Eppis Zagrab. ut quolibet

Anno pro censu pendant Capitulo fl. 20. incorporandos pro conservatione *Trium Missarum* in Dispositione Kemlek fundatarum prout melius ipsis videbitur. Committit fieri unam domum cum necessarijs, in Oppido *Dombro*, locô ubi commodius videbitur, pro hospitio Viatorum. *Pro Exequiis*, Missis ad diem trigesimum fieri solitis fl. 500. *Pauperibus* Sacerdotibus in Eleemosynam pro Missis distribuendos fl. 500. pro anima Ejus, Fratrum, & Sororum ipsius, ac Parentum, pro singulis Missis Dener. 20. *Ad Missam* Eberhardi melius continuandam fl. 80. per Executores disponendo, ut cum ijsdem, cum dispositione de Kemlek melius peragi possit. *CLAUSTRO* Zagrab. S. Francisci fl. 50. S. Nicolai *Prædicatorum* 50. *Paulinorum* prope Zagrabiam 50. *Dominicanorum* Chasmensium 50. *Hospitalibus* S. Antonii & S. Elizabeth *Zagrabiæ* fl. 25. *pauperibus Leprosis* in hospitali S. Petri in Suburbio, & in hospitali Chasmensi, ubilibet fl. 27. Monasterio de *Toplica* pro fabrica ejusdem, fl. 100. Monasterio *de Bela* pro fabrica ejusdem fl. 100. *Claustro Paulinorum* ad Castrum Garich fl. 50. Ad *Fabricam Ecclesiæ Vesprimiensis*. fl. 100. Capitulo Zagrabiensi fl. 150. ut orent pro nobis. Pro fabrica *Collegiatæ* S. Spiritus *Chasmæ* fl. 100, Quidquid superfuerit, in Eleemosynam deputatur. Omnia testamenta hactenus facta (excepta dispositione de Kemlek) quorum unum repositum in Ecclesia Zagrabiensi, revocat. Canonico Zagr. de Ztreza fl. 100. Portionem tributi in *Thersycz* per quendam Comitem Nicolaum, Ei & Fratri ejus impignoratam remittit. *Executores* nominat: Fratrem suum HENRICUM Eppum Quinque Ecclesiensem *Joannem* Cantorem Vicarium suum, *Erhardum* Lectorem & Can. Zagrab. *HENRICUM* de *Plomberg* Capitaneum de Kemlek, Testes testamenti fuere, præter Canonicos Quinque Ecclesienses aliquod, *Thomas* Pleban. de Dombro, & Can. Zagr. *Joannes de Rakonok* Can. Zagr.

Hoc Eodem Anno. Ante Festum Assumptionis B. V. M, JOANNEM obijsse credimus, Quod Capitulum Zagrabiense feria III post Assumptionem *Statutum* fuisse in medietate Castri *Kemlek* nemine contradicente, monumenta testentur. Et quod RUDOLPHUS Protestatus fuerit, contra testamentum Joannis, ab *executione* Executores inhibens, ad judiciariam usque revisionem. Sed Ubi? quo Die? JOANNES vivere desierit: nos Latet omnino,

Tres *suffraganeos* Ejus notat *Levakovich* videlicet *Constantinum* Episcopum Rosonensem, *Michaëlem* Episcopum Oroscienfem *Georgium* Rosonensem. Addit & *Andream* æquè Epis. Rosonensem. Sed hunc Eberhardi fuisse suffraganeum, & dein Successorem existimat. vide supra

Sub JOANNE Episcopo IV Canonicorum Zagrabiensis Ecclesiæ, Memoria.

Præpositus Major MATHIAS, & ab Anno 1428 VITUS de Desew. *Lector*. GERARDUS. post hunc, *OSVALDUS*, tùm *JOANNES*, demum ERHARDUS.

Cantor. JOANNES vir magnus & indefessus, *Columna* nec Immerito Ecclesiæ, & Vicarius Generalis Annis pluribus. *Custos* Gregorius.

Præpos. Chasmen. Petrus *Cathedralis* Ladislaus. Ejus etiam frequens memoria. *Dubicensis* Petrus. *Camaracensis* Joannes de Bachenstaijn, orator ad Concil. Basileen. *Goricensis* JOANNES & Comes Toplicensis. *Kemlek* Blasius, Decret. Doctor & Suffraganeus Eppi Joannis aliquo tempore. *Vasca* Andreas *Georgius* Chasmensis *Bexin* Stephanus Farkassij, *Varaldin*. Thomas. *Urbecz* Joannes Orator Basileam. CANONICI MAGISTRI VOCATI. *Nicolaus* de Cilia. *Michael* Doctor Medicinæ. *Ladislaus* de Davoth. *Jacobus* de Zerdahel. *Fabianus* de Sztreza. *Petrus* de Vizoka. *Georgius* de Chusa. *Georgius* de Marovcza. *Nicolaus* Alemanni. *Franciscus* Succentor. *Joannes* Mgr. *Stephanus* dictus hospitalis. *Georgius* de Bexinatu. *Thomas* Paroch. in Dombro & C. Z. *Joannes* de Rakonok.

PETRUM autem, quem Episcopum CORBAVIENSEM, & Comitem Comitatus Zagrabiensis, ac Suffraganeum Joannis Ep. Zag. ab Anno 1428 invenimus, credimus, eundem esse, qui supra *Præpositus* Chasmen. Legitur.

BANI SCLAVONIÆ post Dionysium de Marchali, HERMANUS Ciliæ & Zagoriæ Comes, totius Sclavoniæ Banus, annis his omnibus. *Dalmatiæ* autem & *Croatiæ*. ALBERTUS de UNGH, Prior Auranæ, & postea. NICOLAUS Groff. Quem de Frangepani *Ritterus* esse putat.

VICE BANI SEBASTIANUS de Hermach & *PETRUS* de Erveniche Vice Bani & Comites Crisienses 1420 & PAULUS KERETCSENI 1422. & post. *Keretshenius* SIGISMUNDUS HANCHIHAR, Qui etiam LANCHIHAR alicubi scribitur, cum LADISLAO de ZENCZE, simul & *Comites Crisienses* inveniuntur.

FAMILIARUM aliarum, hæc nomina, his temporibus Legimus. *Nicolaus* de Chernkocz, *Stephanus* & Thomas Chupor de Monoszlo. *Paulus* de Ablanch, & *Paulus* Litteratus de Jaurinia *Judlium* Cottus Crisien. *Georgius* dictus Teureuck, qui 1430 possessionem Regalem *Mutnicza* cum villis alijs à Rege Collatam accepit, *Ladislaus* Toth de Zomzedvara. *Petrus*

Adæ

Adæ, Vicarius in temporalibus Eppatus Zagrab. *Georgius* de Bigzad. *Joannes* Werneburg Capitaneus Zagoriensis *Hermani* Bani Sclavoniæ. *Michaël* de Raven. *BODO* de Gyurgij Mgr. Janitorum Reginæ, & Comes Tolnensis. *Joannes* de *Korotna* Comes Simeghien. Protho Notarius Palatinalis, & in Regnis Dal. Croat. Sclav. *Judices* Deputati 1426 post Festum S. Egidij. *Catharina* relicta Georgij Bradach de Ladimorecz &c. Joannis Eppi voluntate, *Nagykemlek* Capitulo obtigisse vidimus. Hujus totalem Historiam, Verbis Thomæ *Kovachevich*, adjungimus.

Notitia Abalienationis Magni Kemlek ab Ecclesia Zagrabiensi.

„ JOANNES IV de Alben Episcopus Zagrabiensis, ac S. R. Imperij, & Regni Ungariæ „ Cancellarius, opibus & authoritate præpollens. fuit Possessor Castrorum *Medved*, *Gomprez* Magni *Kemlek*, & Castri *Eussapronoza*, ac ipsius *Civitatis Capronczensis*, nec non Civitatis *Montis Græcensis* Zagrabien. Priora duo *jure familiæ* possedit: Pro Reliquis SIGISMUNDO Romanorum, & UNGARIÆ REGI summas pecuniarias numeravit, Civitates titulo pignoris, Castrum vero Kemlek jure perennali obtinendo. De singulis in testamento die 14 Martij 1433 condito, disposuit. Et quidem ut Ipsi Regi pro beneficijs, in vita acceptis gratitudinis quopiam officio moriens responderet, Eidem Legavit Civitatem Zagrabiensem, & pecuniam pro eadem numeratam relaxavit, quemadmodum, & florenos auri ter mile, quos, illi pro certa possessione & tributo prope Dravum dederat. Dein legabat Castrum & Civitatem Capronczensem sub summa floren. auri 7166 oppignorata ab eodem Rege, Fratri suo Rudolpho, & Ecclesiæ Cathedrali pro sua fabrica, ratam cuique medietatem. Resistente verò tali dispositioni Rudolpho & Universa pro se usurpante, lite erat impetendus tam in Concilio Basileensi, quàm in tribunalibus Regijs. Fractúsque demùm, fatigijs & expensis, saniori utendum Consilio ratus, cum principali Executore testamenti JOANNE CANTORE, & Vicario in spiritualibus Generali, nec non Capitulo Zagrabiensi, veluti Coadjutoribus, ad Interpositionem *JOANNIS* Eppi Tinniniensis & Gubernatoris Præposituræ de Bieniko, ac nonnullorum aliorum per partes electorum, rem composuit, ratámque & æqualem medietatem, Præmissorum Bonorum, pro *Fabrica Ecclesiæ Zagrabiensis* coram fidedignitate Capituli Chasmensis, spontè cessit & resignavit Anno 1434.

„ At non ità res successit, circa Castrum *Kemlek*, de quo superest, ut reliqua expendamus. In Anno 1427 cum Turca irruptionem in Hungariam pararet, & jamjam partes transalpinas, cum grandi potentia ingressurus metueretur. SIGISMUNDUS Romanorum & Ungariæ Rex, ærario exhausto, satis superque de pecunia conquirenda, quam militi cogendo, distribueret, solicitus fuit. Habuit ille in Sclavonia, in Comitatu Crisiensi, certum Castrum Magnum *Kemlek*. Vulgo KALNIK vocitatum, quod tam Ipse quàm sui Antecessores, singulariter ob causam conservandi Cellarij Regalis, in Regno *Sclavoniæ* pro se conservari curârunt. Hoc ergò Castrum in gravissima illa necessitate, constituto Regi vendendum erat, & à potestate Regia alienandum. Acceptis proinde à suo præfato CANCELLARIO suo *JOANNE* Auri puri florenis Decem & quatuor mile, Eidem Castrum cum Universis pertinentijs, dato publico instrumento fassus est, jure perpetuo & irrevocabiliter, cum omni juris plenitudine, quà per ipsum, & suos Antecessores Reges Hungariæ possessum fuit: Accedente Reginæ BARBARÆ consortis, & Prælatorum & Baronum Consilio, dando Joanni de Eodem Castro in vita & in morte disponendi, sive in favorem Ecclesiæ Zagrabiensis, sive aliquarum Personarum Ecclesiasticarum, aut Sæcularium, plenam, & ab omni exceptione semotam, libertatem. Ea duntaxat conditione interposita, Quod si Rex, ob solam & singularem causam conservandi *Cellarij Regalis* in Regno Sclavoniæ, carere eô nequiret, licitum esset Ei, vita Comite, & nulli alteri suo Successori, dictum Castrum recipere, depositis prius. 14 milibus florenorum Auri, puri & justi ponderis, Ipsi *JOANNI* vel alijs, quibus ipse illud in Vita, vel in morte dedisset, aut Legâsset. Et ut hæc Conditio majus robur haberet, REX in se, & suos Successores, tam pro parte JOANNIS, quam suorum Legatariorum, *Evictionem* assumpsit: ipsum emptionis instrumentum, *Nicolao de GARA* Palatino, & *Mathia de PALOCZ* Judice Curiæ Regiæ subscribentibus.

„ JOANNES ergò Legitima ut ajunt *Statutione*, in Castri possessione firmatus, illud Eodem Anno quo mortuus est, cum Universis pertinentijs & territorio, Confecto ad id instrumento, quod Pontificali, suo, & Capituli Quinque Ecclesiensis Sigillis muniebatur, Fassus est Eppo & Capitulo Zagrabiensi æqualiter inter eos dispertiendum, imposito onere perpetuarum *Missarum*, pro Refrigerio Animæ suæ, Fratris Eberhardi, & parentum suorum, celebrandarum. Quam fassionem moriens quoque testamentaliter voluit

 esse

„ esse firmam & ratam: & ita quidem, Ut licèt Dispositioni illius Frater Rudolphus, quo „ ad alia nunnulla Legata, contradixerit, huic tamen Legato locum dedit. Et Capitulum „ ad mandatum *HERMANI Bani*, possessionem dicti Castri pacificè subintrare, & in Eo *statui* „ admisit. Cùm verò *sede* Episcopatus *vacante* MATKO de Tallovcz Ejusdem Episcopatus à „ Rege Constitutus Gubernator, quemadmodum & alia Episcopi Bona, sic & Castrum „ Kemlek occupâsset, Dum ad servitia Regalia in BOSNIAM proficisceretur, in eo Con„ thoralem suam, sequestratis Capituli hominibus, moderatricem reliquit. Ægrè sanè tu„ lit Capitulum, quod cum portione Episcopi, sua quoque ad jus Fiscale tracta fuerit, nec „ de manibus *Matkonis* illam eximere valuit, usque ad Annum 1435. Quando ille, datis „ POSONIO in mense Martio litteris, ad CASTELLANUM, serio & sub indignatione præ„ cipit, ut homines Capituli Zagrabiensis in Palatium, & totam portionem, ipsum Capi„ tulum in Eodem Castro concernentem, intromittere debeat, & teneatur.

„ Retenta porrò sub potestate Fisci, portione Episcopi, Sigismundus licèt de consen„ su suo, Castrum Episcopo & Capitulo Zagrabiensi legatum fuerit, ipse tamen contra pa„ cta venditionis suæ, & nulla prævie numerata pecunia, illud in toto pro se, non multo „ post occupari curavit, ejecto de portione sua Capitulo, Constat autem ex certis contradi„ ctionibus, & inhibitionibus Capituli, quod Idem Castrum Sigismundus, Illustri Regi „ Bosniæ dare, *ALBERTUS* verò Sigismundi Successor, vel eidem Regi Bosniæ, vel *Rasciæ* „ Despoti, in perpetuum tradere connisi sunt. An autem alter horum aliquando in Domi„ nio fuerit, ejusdem Castri, fundamentum asserendi nostrum Archivum non suppeditat. „ Illud interim indubium est, quod viventibus Sigismundo & Alberto, Capitulum restitu„ tionem sui in integrum obtinere haud valuit: Ijs tamen extinctis, sub *LADISLAO Posthu„ mo*, ad mandatum Prælatorum & Baronum Regni Hungariæ, tam Eppus *BENEDICTUS I.* „ quam Capitulum Statutione mediante, dominium subintraverant in Anno 1450. Et in „ eodem illos perstitisse plane in Anno 1498. Annis videlicet 48. notat *NICOlaus Dianeſevich* „ Præpositus Zagrabien. Interea intermedio hoc tempore non defuerunt plures, qui ve„ hementi pruritu agitati, omnes quæsierunt modos, qualiter ex Castro hoc Capitulum „ exturbarent. Primus in id conatum exeruerat JOANNES HUNIADES, Regni Hunga„ riæ Gubernator, in Anno 1451. Sed resistente Capitulo per *juridicas* reclamationes & inhi„ bitiones, saniori consilio desistendum à proposito judicavit. Superveniens dein ad Co„ ronam Ejus filius *MATHIAS* nihil non egit, & Ipse, ut Castro potiretur in Anno 1462. „ Verùm opponente Capitulo eadem juris remedia, Ipse quoque conamini ad tempus, mo„ dum ponere voluit. Ubi verò filius Ejus, ex alieno throno natus, JOANNES ad viri„ lem ætatem pervenisset, & Rex eum Bonis, & honoribus cumulare cepisset; ut occasio„ ne Castri Kemlek pinguiores illi redderet proventus, Idem Castrum illi data Donatione, „ contulit Anno 1487. At & hunc conatum irritum fecit Capitulum, non admittendo Jo„ annem ad Dominium: nec propterea *Mathias* uti olim in propria causa, ita & modo in „ filij, violento quopiam modo contra Capitulum uti voluit. Tandem quod *JOANNI* „ Regnante genitore succedere non potuit, successit sub Regimine *Vladislai* Regis, *Mathiæ* „ Successoris. A quo accepta nova Donatione, licèt bis repulsam passus sit, in Anno ni„ mirum 1496. & 1498. non destitit tamen, usquequo intento suo potiretur. Idque cre„ dibile est, post mortem *Osvaldi* Eppi, quæ incidit in Annum 1499.

„ JOANNES ergo obtento Castro, ne fors incommoda aliqua, & lites sibi causaret, „ illud, non obstante Capituli reclamatione, vendidit & inscripsit BALTHASARI de „ ALAP Vice Bano, & alteri BALTHASARI de BATTHYAN, accepta ab ijs pecunia, „ fl: octies mile. Comperiuntur porrò isti in Dominio Castri fuisse in Anno 1514 Quo An„ no Capitulum obtento mandato in eodem statuere sese nitebatur. Sed nec tunc, nec de„ inceps ad tempora usque Nostra, ad reale Dominium reddire valuit. Remanente in eo „ imperturbatè Familia *Alapiana* (in quam subinde Batthianius jus suum transtulerat) us„ quequo in semine defecisset. Tùm verò in medium prodeunte Fisco Regio, causa fuit „ mota, adversus *fæmineum sexum* Barbaram videlicet Joannis Alapi gnatam, COMITIS „ THOMÆ BANI, & Petri Erdœdi Genitricem, MARGAritam item, filiam Ejusdem. „ JOANNIS, consortem Francisci OREHOCZIJ, ac Marianam filiam Nicolai Fratris „ dicti Joannis, alias Conthoralem Magnifici Petri DRASKOVICH. Cúmque memora„ tus Thomas BANUS adverteret, quod jus Fisci disputari non possit pactare potius cum eo, „ quam Bonis cedere judicavit. offerendo RUDOLPHO II. Cæsari & Regi Decem & tria „ milia, ac centum Floren. Quæ idem Cœsar Thomæ ratione officiorum BANI Croatiæ, „ & Consiliarij Regij, velut Emerita Stipendia persolvere neglexerat. Atque ita, non „ solum annuente, sed & Evictionem in se assumente Rege, Fœmineus Sexus perpetuo sta„ bilitus est in Castro Kemlek Anno 1609. cum extensione ad universos hæredes. Recla-

mave-

„ maverat quidem contradicendo Capitulum, tempore statutionis, & insuper ex Fœmi-
„ neo Sexu descendentes bis jure convenit, in Anno videlicet 1631. coram Bano SIGIS-
„ MUNDO Erdeödio: Et in Anno 1651. coram *NICOLAO ZRINIO* similiter BANO. Sed
„ prioris judicij acta, Authoritate Regia, *ut Evictoris*, cassata fuêre. In 2*do* verò sequens
„ sententia lata fuit: *Decimo die, Dies proclamationis præmissæ, præsens non venientia, & preti-*
„ *um sententiæ, & ipsa sententia est distructa per J. solito cum onere. Mgr. Joan Zakmardi protonotarius*
„ *M. P.* Et hæc de Abalienatione Castri Kemlek, pro notitia Lectoris sufficiant dicta.

HACTENUS Kovachevich. Qui ut *Custos* Ecclesiæ hujus, ex testamento JOANNIS Eppi, in Zagrabiensi Ecclesia reposito (Quod, in altero *Quinque Ecclesijs* condito, quoad Castri *KEMLEK dispositionem* confirmaverat) desumpserit. Alijsque monumentis. Illa autem quæ de *Sexus fæminei* cum Fisco *transactione* recenset: an ita sint? dubitamus. Cum illa vix aliter, ac relatione cujuspiam acceperit. Familiarum enim monumenta haud lustraverit. Quare cum nil commemoret, unde illa sibi notitia? nemini præjudicare potest. *Judicis est cognoscere Causas. Historici narrare.* Neque nos, jura cujuspiam, sed Historiam tractamus.

SEDE VACANTE.

MATKO sive MATHIAS de TALLOVCZ. Comes Kanisiensis, Judex CUMANORUM, postea etiam Dalm. Croatiæ & Sclavoniæ BANUS, totius Episcopatus Zagrabiensis GUBERNATOR, I.

JOANNES

DEI & Apostolicæ Sedis Gratia Episcopus Tinniniensis, Præpositus de Bieniko, sive CHASMENSIS, Episcopatus Zagrabiensis in spiritualibus Administrator. I. etiam.

VAcâsse Zagrabiensem sedem, à Joannis IV Pontificis Ecclesiæ hujus, morte: monumenta omnia perhibent. Conclusiones quoque Regiorum Diplomatum, quæ, ab Anno 1433 Leguntur. Résque certa omnibus. DUBIUM autem, post cujus Eppi mortem hoc acciderit, cùm ex *P. Szent Ivanij* Cathalogo, viduatam Pastore Ecclesiam, post mortem primùm, DEMETRIJ II credant plerique. Sed Vir Religiosus ac benemeritus, monumentis carens, nec scribens in Patria, facile lapsus est. Sufficiat cuivis, potuisse & illum Cathalogum ab illo compilari, ac notâsse, *quod sedes vacaverit.* Quare à Joannis IV morte, vacabat sedes. Quamdiu autem? Nostram, illámque veram, metuimus quasi, efferre sententiam; cùm fixum firmúmque sciamus esse plerísque, Annis 40 Zagrabiensem Vacâsse sedem, ut Sententia hæc, jam *Canonizata* esse observetur. Nec solùm SZENT Ivanij Authoritate, sed traditione longa, quam alter accepit ab altero. Quin si argumenta petas: inveniuntur, nec ultima. In litteris Plane Annorum 40 nos ipsi legimus mentionem. Sed his recentioribus, & *Petri Petretich* temporibus. Quin OSVALDUS, LUCAS immediati Successores, recenti memoria, ac de *scitu* perfacile, annis pluribus vacâsse sedem commemorant. OSVALDUS Annorum 40 plane meminit, dum in litteris 1468 *Chasmâ* Prædialibus Ivanichensibus datis, sic scriberet: *OSVALDUS DEI & Apostolicæ sedis gratia, Episcopus Ecclesiæ Zagrabiensis* „ OMNIBUS Christi Fidelibus, Præsentibus & futuris, præsentium noti-
„ tiam habituris æternam in Domino Salutem. POSTquam NOS Divina favente Clementia,
„ ad curam & solicitudinem Ecclesiæ nostræ Zagrabiensis præfatæ vocati sumus, inter alia, quæ
„ *utilitati & reformationi Ipsius Ecclesiæ*, Nobiliúmque Prædialium & Populorum Ejusdem con-
„ ducere videbantur. Id potissimum accedebat, ut jura eorundem Nobilium & populo-
„ rum, quæ post *mortem condam Domini Joannis Episcopi* Prædecessoris nostri Felicis recorda-
„ tionis, per diversas sæculares Personas Bona Ejusdem Ecclesiæ nostræ, *Quadraginta ferè*
„ *Annis* detenta, partim in aliam Consvetudinem incitata fuerant; partim verò in toto pe-
„ rierant, in statum pristinum reduceremus. LUCAS. In instrumento de restituta Missa, *OS Justi* in honorem S. Stephani Regis. *Ob temporalem tamen varietatem, sedisque Eppalis, à manu laica diuturnam detentionem, Alimoniæ sustentationisque ministrorum defectum* &c. Item *Maximè temporibus disturbiorum cum præfata Ecclesia nostra, per manus laicales pluribus Annis potentialiter tenta & possessa fuit, dictam Missam didicimus certitudinaliter abrogatam* &c. Aliorum testimoniorum, non est, ut reminiscamur. Cùm hæc, potissima sint, tanquam Virorum Coævorum.

VERUM Zagrabiensis sedes, à Joannis IV morte non vacabat, nisi ad summum Annis *Decem.* Ut hoc omnium est Sententia, Quibus rerum Ecclesiæ est cognitio. Ita *Kovachevich, Ritter, Marcellovich* aliique. Nec immeritò, nam Episcoporum Successio, monu-

mentaque litteraria, hoc plane evincunt. Ut infra ex Episcoporum serie, quivis cognoscet. Et cum à Sacrorum Cura, Episcopatus metiendus esset, præcipuè dum ad tale munus, titulúmque Ecclesiæ, quis ordinatur, Ecclesia vacare non dicitur, neque vacat; quamvis Pastoribus, temporalium cura adimatur. Neque enim Episcopi, *Pastores* à temporalibus profanísque, sed sacris & spiritualibus nuncupantur. QUARE.

Tametsi, Bonorum Ecclesiæ Zagrabiensis, administrationem & Curam, jam ab Anno 1432, usque ad 1466 inclusivè, imò sub ipso JOANNE IV, ob illius, cum Rege absentiam, sæculares habuerint, Ut BENEDICTUS I. BALTHASAR & DEMETRIUS II veri alias Legitimíque Episcopi, aut nullam, aut exiguorum Ecclesiæ Bonorum, curam obtinuerint. Sedes tamen vacasse *ideo* dici nequit. NEC OSVALDUS testis optimus, quia sine exceptione, Vacâsse 40 Annis sedem, narrat. At *post mortem JOANNIS, . . per diversas sæculares Personas, Bona Ejusdem Ecclesiæ nostræ quadraginta ferè Annis detenta.* LUCAS similiter. Hinc tamen profectum est, ut 40 Annis, Vacâsse sedes credatur. Quam opinionem, si à *temporalibus* Episcopatum metiris Lector, sustine, & cum Osvaldo dicas 40 *ferè Annis.* Si autem, ex Divinis, Canonúmque Legibus, *Episcopatum* consideras, tot Annis vacâsse Zagrabiensem sedem, sentire non poteris. Sed de his hactenus.

NOS Ordine proposito, Acta horum temporum, quæ ad nos pervenerunt, narrabimus. *Gubernatores* Primò, dein & rerum spiritualium Administros, suo ordine posituri. *EPISCOPOS* veros, cúm ad eos pervenerimus, *Gubernatoribus temporalium* præposituri. Quæ causa fuerit? Joanni, Successorem negatum, nullibi legimus. Conjecturas diversas habet *Ritterus. Imò.* Rudolphi *Contradictionem* in Legata JOANNIS. *2dò.* SIGISMUNDI necessitates omnino publicas, hinc credit Concilij Basileensis annuţu, Bona Episcopatus hujus, possidenda *interim* Sigismundo fuisse. *3tiò.* JOANNIS IV facultates majores, *4tò.* Ecclesiæ, quàm Sigismundus cupiebat, restaurationem, morte tamen præventus, neglexit. *5tò.* Ecclesiæ Jurium, cum tot, ut supra memoravimus, hac ratione, illustrationem. Postremam hanc, *ex effectibus sequtis*, eruimus, ut infra dicturi de alijs causis nil constat. Et *Ritterus* unde acceperit? tacet.

Igitur MATKO 1434. jura Ecclesiæ vindicare incoat, mandato SIGISMUNDI Cives in Curiam Regiam, ad dandam rationem super occupationibus, & detentionibus, diversarum possessionum, terrarum, sylvarum &c. intra metas Capituli existentium, nec non aliorum damnorum, & vulnerationis hominum Capitularium. Sed tanquam comparere renuentes, in *Contumacia* convincuntur. Prouti &, a MATKONE constituto per Regem judice, in amissione occupati per ipsos horti, olim *Parochi S. Emerici*, nunc: *Seminarii* Clericorum Cathed. Eccl. Zagr. gravantur, sententia sequenti: *Pro eo Nos authoritate Imperialis Majestatis, & Regni Hungariæ Regis, nobis in hac parte attributa, nolentésque dictorum Judicis, juratorum, ac Cœterorum Civium dictæ Civitatis MONTIS Graecensis hujusmodi actus potentiarios simpliciter & impunè transire, ne alij ab ipsis exemplati, ad similia facta potentiaria, se apponere præsumant, sed potius ipsorum pœnalis contritio alijs transeat in exemplum, Eosdem judicem, ac juratos & Cœteros Cives, pro præmissis eorum actibus potentiarijs, per ipsos modo quo supra Commissis, in factis potentia, ex eoq; in Centum marcu Auri, in duabus partibus nobis, & in tertia parte, parti adversæ persolvendis convictos fore committimus, atque aggravatos, authoritate nostra judiciaria mediante. Datum Zagrabiæ, secundo die termini prænotati, feria nempe III post Festum Visitationis B. V. M. Anno Domini 1434.*

At Civitas interpellat Sigismundum, *Imò ob contumaciam*, in Cujus excusationem, Datum sibi à Sigismundo 1405. VII Kalen. Maij *Decretum* objicit, jam per plures, etiam HERMANI BANI, judiciarias sententias usuroboratum, in quo Rex: *DECREVIMUS quod nullus publicus Notarius, in Causis, quæ intra duos laicos utuntur, sive coram judice Ecclesiastico, sive sæculari procurare audeat, vel ullatenus advocari. Sed nec extraneum testimonium inter Cives locum habeat, nec nobiles seu Viri Ecclesiastici inquisitiones possint facere contra eos.* Capituli autem Publicus Notarius, advocâsset, Et Inquisitiones per *Chasmense*, & *Quinque Ecclesiense* Capitulum factæ fuissent, contra Sigismundi Decretum, Propterea Causa etiam sumptuum, Civitatem ad Curiam Regiam nec ivisse. Accusat dein Capitulum, & Canonicos graviter, quin Matkonem ipsum. Rex in sui Præsentiam, Partes, ad Primas octavas, post sui reditum, citandas, de Dato *Iglaviæ* Moraviæ Dominica ante Assumptionem, præcipit. *MATKO* dein rem ut erat, Regi significat, ambas partes, se inhibuisse scribens ab usu earum terrarum.

Pro REVINDICANDIS quoque DECIMIS, strenue actum. NICOLAUS PAPIUS Præpositus de Glogovnicza ante septem Annos Decimas de *Planina* occupaverat. Causa in Basileensi discussa Concilio. *Marcus de Franchis* Præpositus *Januensis* Capitulo Decimas adjudicat, & Nicolaus pro Annis singulis in fl. Hun. 160 convincitur. Probatur Basileæ à Concilij Patribus, EUGENIJ Anno IV, *Christi* vero 1434 die 29 Novembris, Sententia, & MATKONI Episcopatûs Gubernatori pro *executione* relegatur. 1435 ab Eodem Concilio, deputantur in Causis Capituli Zagrabiensis, Judices, Abbas B. V. M. de *Zagrabia*, & Abbas Scotorum

Viennæ

Viennæ Diœcesis Pataviensis. In Causa Decimarum Archidiaconatus *Bexin*. Quorum Sententia Basileeam remissa, ibidemque examinata fuit sæpius, Hermano Comite Cilliæ, ipso præsente, ac ex alijs alia postulante, 1437 Die 18 Martij determinata fuit. Et sequenti Anno 26 Martij, ab Antonio *Proebetti* in Decretis Licentiatio, Quaternario Viennensi, Auditore, in transitu Cardinalis Legati ANGELI promulgata. *JUDICES causæ* leguntur GUILIELMUS Archidiaconos *Metensis*. EMANUEL de GUALBIS. JOANNES QUINTINUS Auditor & Commissarius Concilij.

JAM sub JOANNE I. Zagrabiæ Eppo diximus: Possessiones *Kobilia*, *Kralievecz*, *Narth*. &c. Civitati cessas fuisse, ac ob id, omnium intra Capitulum & Civitatem, enatum litium ac inimicitiarum Seminarium. Has proinde possessiones CAROLI Regis Privilegio, *EBERHARDUS* ab ijs vindicaverat, sed Capituli consensu, tam Ipse, quam Frater JOANNES IV tenuit. Cujus morte, RUDOLPHUS utriusque Frater eas occupaverat. Sed *pro uberiori fundatione, & firmiori* ut Loquitur *stabilitate duarum Missarum, Unius Cantatæ, alterius lectæ in Ara Crucis per EBERhardum pro se quotidie celebrari Commissarum*, *Eas* Capitulo restituit. Possessionem *BATTINA* pro anima sua fassione coram Chasmensibus facta, adjiciens. Hæc omnia XII Kal. Octobris 1345 confirmat Sigismundus per manus *Mathiæ de Gottalovcz* Præpositi Quinque Ecclesiensis, & summi *Cancellarij*, STEPHANO Vigliæ, Signiæ, & Modrussiæ Comite, Dalmatiæ & Croatiæ: MATKONE de Tallovcz Sclavoniæ Banis. Et dum postea iterum pro possessionibus præmissis impeteretur, ALBERTUS Rex Polonij, in Festo S. MARCI *JUS Regium* si quodpiam in Præfatis possessionibus haberet Capitulo donat. Idémque Rege mandante, in Præmissis possessionibus per Chasmenses, in Vigilia Pentecosten, *Statutum* nemine Contradicente est. Hácve ratione ad Capitulum tandem reddiverunt.

Anno similiter 1435. Cum Teuto quidam Rottar, *Petrovinam* sive Volavje Capituli invasisset. incolas villæ spoliando, SIGISMUNDUs mandat *MATKONI*, ac Ejus Fratri PERKO, ut tanquam sub speciali tutella Regis existentem Ecclesiam Zagrabiensem contra omnes, peculialiter contra *ROTTAR* defendant: & Satisfactionem dent. *Szakolczâ* feria V. post Assumptionem. Matko Capitaneus *Nandoralbensis* dicitur. Terras & fœnilia in *Krog* Capitulo Sigismundus restituit: Civibus imponens silentium *Brunæ Partium Moraviæ* in Festo S. Laurentij. Demùm 1437 JOANNI Gubernatori Præposituræ de Glogoncza mandat, ut pro Decimis Planinensibus, Capitulo satisfaciat, aliàs se committere *MATKONI* Dal. Croat. & Sclav. Bano, & Eppatus Zagrabiensis Gubernatori, ut eum compellat. Pragæ festo S. Laurentij:

Quo Eodem Anno 1437. SIGISMUNDUS REX Die Dominico, in Festo Conceptionis B. V. M, in Urbe *Znoyma* Moraviæ, ex paralisi Anno ætatis suæ 70, Regni Hungariæ 51. Romanorum 27. Bohœmiæ 17. Imperij 5tô. obijt. Ex suprema Ejus voluntate. Corpus delatum in Hungariam, sepulturæ in Ecclesia Varadiensi traditum est. Ejus virtutes, præclarè pro fide Catholica & pace Ecclesiæ gesta, Corporis habitum. *BONFINIUS* egregiè descripsit. plurésque alij. Trithemius ait: *fuisse Amatorem DEI: Defensorem cleri: pauperum Advocatum*. Et cum de instituto, Sigismundi acta non scribamus. Vide de Eodem Scriptores. Ac inter alios etiam Lucium, de rebus *Dalmaticis*.

ABEL.

Sacræ Sedis Apostolicæ Magister Proto - Notarius Episcopus Olmensis & Episcopatus Zagrabiensis in Spiritualibus Administrator II.

JOannes Tinniniensis Episcopus, qui *Abelem* antecessit, spontè resignaverit, cum *Thuroczio* teste ALBERTI REGIS Coronationi interfuerit, & mortuo ALBERTO ad VLADISLAUM evocandum iverit, cum MATKO Dal. Croat. & Sclav. BANO, alíisque apud *Thuroczium*. Illi autem Successisse *Abelem*, notat *Ritterus* ex litteris Communitatis VUGRENSIS, *habent Wgrenses*, ita ille, *litteras certas*, *Imprimis Matkonis Bani de Tallovcz Eppatus Gubernatoris Confirmatorias*, *Joannis Eppi Zagrabien. de dato Ivanich per Banum Traditum*, 1437. Item - - - *Rssimi ABEL*, *Protho-Notarij sedis Apostolicæ, & Administratoris Ecclesiæ Zagrabiensis Anno Christi 1439 super quibusdam metis & etiam*, *ab illo emanatas* &c. Intellexi etiam, ex *P. Josepho Bedekovich* Ord. S. PAULI Eremithæ, Provinciæ ut vocant *Definitore*, Viro alias Lecto, in Eorum Remethensi conventu, instrumentum esse, in quo ABEL *Episcopus Zagrabiensis* inscribitur Sed cum illud non viderimus, Administratorem vocavimus, uti nos reperimus. Si Episcopus fuit, sedes exiguo vacavit tempore. Nos Eum nusquam sub titulo Zagrabiensis Episcopi Legimus. Mortuus Zagrabiæ? vel translatus alio? ignoramus, prout & Quis? ac Unde fuerit?

Temporibus Ejus ALBERTUS AUSTRIACUS Sigismundo Socer 1348 est Coronatus.

De quo ita Spondanus. *Init autem Albertus multis virtutibus præditus, adeoque à Sigismundo Laudatus & eis populis commendatus, ut beatum diceret imperium, quod ejus ductu & auspicijs gereretur: quippe cui Religio, pietas, magnificentia, æquitas, & prudentia singularis esset insita; quique rerum experientia ac morum excellentia, usque adeo præstaret, ut si etiam infensus ipsi Sigismundo extitisset, res tamen ipse suas in tanta bonorum Principum orbitate, ei committere coactus fuisset.* Annus iste Alberto felix. Kal. Januar. *Albæ Regalis* Coronam accepit Hungariæ. *Pragæ* III Kal. Julij Bohœmiæ. Et *Francofurti* XII Kal. Aprilis Romanorum Rex & Imperator salutatur & eligitur. Comitia Publica 1439, quæ *Dietam* vocamus, instituit, legésque, in Corpore juris videndas, sanxit. Ubi, in Conclusione: observatione non carent verba illa: *de Consensu & bene placito præfatæ Dominæ Elizabeth Reginæ, Consortis nostræ prædilectæ.* Item *Nostro ac prædictæ Dominæ Reginæ Consortis nostræ nominibus Spondemus.* Eodem Anno sub finem Octobris vitam terminavit. Ex æsu vix peponum, ut quidam putant. *Thuroczius* contra *Amuratem* Turcarum, eum processisse scribit, *Sui Regni Procerum, celebrata Congregatione*, inquiens, *unà cum ijsdem conclusit hostem non debere spectare Regni ad penetralia; sed esse illi in forti brachio obviandum. Commota igitur totius Regni Hungariæ militari virtute, magnum congregavit exercitum; & in loco vulgari appellatione Tydenrew vocato, sua tentoria locavit.* Decretum Alberti, necessitatis hujus & in Turcas insurrectionis, nullam facit mentionem. Alberti Regis memoriam, Capitulum hoc, in Donatione *Kralievez Czerje*, *Kobilie*. Narth &c. veneratur. Sunt etiam ad eundem, Basilea 15 Aprilis datæ, de Decimis dandis Ecclesiæ.

Anno 1440 Parochi sequentes, cum suis Parochianis, usurpaverant Decimas, nempe: B. V. M. in *Lubor* S. Marci in *Vinieza*. S. Petri, *de S. Petro*. Ssimæ CRUCIS in *Superiori Vinicza*. B. V. M. *de Bednia*. Omnium Sanctorum in in *Kamenicza*. S. Martini de *Osztercz*. S. Georgij sub *Weltz*. S. Michaëlis de *Gomor*. S. Crucis *de Insula*. Ssimæ Trinitatis in *Toplica*. S. Georgij de *Vestari*. B. M. V. in *Tubl*. S. Catharinæ de *S. Catharina*. B. V. M. in *Pregrada*. S. Emerici de *Kostell*. S. Viti de *Novo Castro*. S. Petri de *Canaba*. S. Nicolai de *Krapina*. Ss. Trinitatis de *Radiboja*. S. Viti de *Varasdino*. S. Martini de *Plitonicz*. S. Bartholomei in *Teilbetz*. Causa mota coram Eugenio IV. Is, Laurentium de *Aretio* Decretorum Doctori, Capellano suo, eandem committit. Iste, Abbati B. V. M. de *Zagrabia* Ordinis Cisterciensis. Præsentante decreta *Joanne de Bosna* Decretorum Doctore, & *Can. Zagr.* Sententia fertur pro Capitulo, & Parochi, invocato brachio sæculari compescuntur.

JOANNES

DEI & Apostolicæ sedis gratia, Episcopus Lydensis, Diœcesium Zagrabiensis vacantis, & Aquilejensis in Pontificalibus Suffraganeus, hinc Administrator III.

ADministratorem hunc, cum *Ejusdem titulo*, debemus *compromisso*, Capitulum inter, ac HERMANUM Patrem, & FRIDERICUM, ac ULRICUM filios, Comites Ciliæ, causâ Decimarum *CSAKtornensium*. Anno 1441 Die 8. Septembris innito. *Pro parte* Comitum, præmissus JOANNES, Ludovicus GASSL, de Austria, Licent. in Decretis, EUGENIJ IV Pœnit. & Capell. ac JOANNES de BLAGAI Comes. *Pars Capituli*, VITUS *Præpos.* Petrus *Dubicen.* Jacobus *Goricensis*. Stephanus *Cathed.* Petrus *Kemlek* Archidiaconi. *Jacobus* de Placentia, *Joannes* Decret. Doctor, *Andreas* Petrizkonis *Fabianus* de Roijcha, *Joannes* de Marovcha *Michail* de Moravcha *Andreas* de Burgfeldth *Canonici Zagrabienses* fuerunt. lites extinctæ. sumptus remissi. Decimæ Comitibus superstitibus relictæ, dein ad Capitulum devolvendæ. EUGENIO IV scribitur, ut defectus sua Authoritate, si qui adessent in Contractu partium suppleat.

Mortuo, & *Albæ Regali* sepulto, Alberto, scissa Procerum, Prælatorúmque suffragia. Pars VLADISLAUM Lithuaniæ Ducem poscit, eúntque pro eo Nuncij, pars infanti Ladislao, recens nato, & *Posthumo* dicto, adhæret. *Elizabeth* ante Adventum in Hungariam ULADISLAI, cum parte suorum Baronum infantem filium Albæ Regali Coronari, & inungi in Regem facit, atque imminente VLADISLAO, surrepta Sacra CORONA ad FRIDERICI Cæsaris, unà cum filio tutelam in Austriam abit. Adest VLADISLAUS, crescunt diffidia, de quibus Scriptores videndi.

VLADISLAI hujus, plura ad Sclavoniam data mandata invenimus. Nec mirum, cùm MATKONEM Ei, fuisse fidelem certum sit. 1442 ad Lamenta Ecclesiæ, quod partem sextam decimam, usurpâssent Cives, Decimarum, *Budæ*, Festo S. Petri ad Vincula, scribit Civitati: *Mirari* se, quod Contra DEUM, & honorem Regis, Bona Ecclesiarum, manu Sacrilega, audeant usurpare. Velle fortassis eos, exemplum sequi nonnullorum Magnatum, qui Eandem Ecclesiam infestant, sed magnam stoliditatem esse, velle se ijs æquare, Interim manus Regias suas, necdum esse ita aggravatas, ut eos, etiam Magnates, compescere non possit, mandat denique ut usurpata restituant alioquin libertates Ecclesiæ impugnantes, liber-

tates

tates eis à Regibus concessas amissuros. Similiter *Stephano* & *Martino* de *Frangepanibus*, Vegliæ, Signiæ & Modrussiæ Comitibus, qui Decimas Capituli de *Podgoria* occupatas tenebant, postquam amicius, iterum atque etiam scripsisset: tandem severiores dat litteras, cum titulo: VLADISLAUS REX HUNGARIÆ, POLONIÆ, DALMATIÆ, CROATIÆ, PRINCEPS LITHUANIÆ, SUPREMUS HÆRES RUSSIÆ. In quibus: *occupata*, Regis intuitu, ad tot affectuosas litteras, eos remittere debuisse, imò etiam de suo, si necessum fuisset, ipsos superaddituros credidisset, præsertim quod Bonis alienis ditati, Ecclesiarum Præcipuè, re aliena non egerent. Mandat proinde ut restituant, & pro acceptis satisfaciant, cum aliunde Bona Ecclesiæ, *ita per Turcas impedita sint*, ut Canonici nequeant sustentari. Quod si facere detractârint, se, tanquam *Ecclesiarum Tutorem* de alio remedio cogitaturum. *Buda. Festo S. Petri ad vincula 1442.*

Sed MARTINUS de Frangepanibus, ultra Decimas, Eodem hoc Anno, Possessionem Capituli *Volavja*, sive *Petrovina*: ejecto, spoliatoque FABIANO de Sztreza Canonico Zagrab. rebúsque Ejusablatis, quas ad D. PETRI templum reconderat, Ecclesiæ foribus confractis, in favillas redigit. ULADISLAUS scribit eatenus MARTHÆ de Frangepanibus, *BUDA octava Assensionis Domini, Die.* Se adinstar Clari Principis, Genitoris sui Ecclesias defendere, ab ingressûs sui tempore, ac deinceps idem facturum, *modo bellum in Regno accensum* quod brevi sperat extinguere, sopiatur. Mandat dein occupata ut restituant, cum satis aliunde Bonorum haberent, & plura ab eo, possint exspectare. Alias dicit se mandâsse MATKONI de TALLOVCZ, Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclavoniæ BANO, *Et Eppatus Gubernatori*, Ejúsque Vice Bano, ut Eos compellat. MATKO quoque, scribit *JOANNI* de *Tallovcz* Comiti CZETTINÆ, & AURANÆ Priori, Fratri suo, ut *Decimatores* Episcopatûs, molestare *Capitulum* non sinat, *Nostri enim officij est augere non minuere proventus Capitulorum.* BUDA Festo Omnium Sanctorum.

EX VLADISLAI prioribus literis duo discimus, *Imò.* Domestica bella, *modo bellum in Regno accensum sopiatur.* De quo ita *Thuroczius: Nulla spiritualis sæcularisque dignitas supersedit ab armis: omnis ætas, nocere prompta, ætati non parcebat: at discordia ductrice, cuncti divisi Regnicolæ, pro incerto Regis nomine pugnabant. Hi Regem sequebantur VLADISLAUM; illi, Reginam Elisabet, illiúsque filium præferre conabantur. Et quibus in hostem frui, domestica non sufficiebat manus, hostem extraneo de populo conducebant. Quæ postmodum res, in Regno flammas non modicas succendit.* De quibus, in Banorum historia, fusius. Vide interim Lector *Thurocz. Bonfin. Ranzan. Calimach. &c.*

Adò. Turcarum ad has quoque partes excursiones ex verbis *Cum Bona Ecclesiæ ita per Turcas Impedita sint, ut Canonici nequeant sustentari* De quibus vide iterum *Thuroczium* cap. 35. Aliósque. Partes tamen has, Turcas occupâsse non legimus, sed impedivisse, *per Turcas Impedita sunt.* At de his alias. Ad Episcopos reddeamus.

XXXVIII.
BENEDICTUS I.
MATKO qui supra GUBERNATOR.

QUomodo Benedictus Episcopatum consecutus sit? instrumentum nullum vidimus: Nec *Marcellevich* annotavit. conjecturæ diversæ sunt. Volunt, Civilibus bellis adeo vigentibus, ab EUGENIO IV institutum, cum Capitulum Eidem, ac toti Florentino Concilio, Ecclesiæ *statum* proposuisset, miseriásque, quas orbata Pastore Ecclesia, experiretur. *Gubernatore*, ob servitia Regis absente. *Administratoribus* cùm videtur, Ecclesiã deserentibus. Alij ab ELISABETH, Benedictum, ad Episcopatum submissum, ac ab Eugenio confirmatum credunt, hac ut ratione Sclavonia à MATKONE, & VLADISLAO recederet. SUNT: Qui Frangepani, favoribus, ac rogatu, hoc accidisse authument, quod BENEDICTUS, Frangepani violentias, ac *notoriam* hostilitatem vindicare neglexerit Quæ causa? potior, non definimus. EUGENIJ tamen Authoritate, Benedictum Pontificem factum, illud Argumento est: Quod Anno 1443 dum sub *pœna* Capitis, exilij, & Privationis omnium beneficiorum, VLADISLAUS mandâsset, ne Canonicorum ullus, Benedicto obediat, neque pro *Episcopo* recognoscat, vel habeat, CAPITULúmque, Vladislai mandatis obtemperâsset, omnibus, singulisque Canonicorum sese subscribentibus (qua de causa. Episcopum à Capitulo petitum fuisse, opinari non valeremus) ad Instantiam BENEDICTI, suspensi fuêre Canonici, & *Interdicti* censurâ, mulctati. Appellaverant quidem, ob aliquorum absentiam; in Capitulum *Censuram*, ut lata erat, ferri nequivisse. Sed Festis appropinquantibus, CARDINALI S. Sabinæ, communiter *S. ANGELI* appellato, sedis alias Apostolicæ *Legato*, pro Absolutione supplicatum, ne à Sacris abstinere per festa cogerentur, præcipuè

cipuè cùm ex Regis mandato, non sua spontè ab obedientia Benedicti retraherentur. LEGATUS *Budâ Die 10 Aprilis* Eugenij IV Anno 13. Christi 1443, Joanni Abbati B. V. M de Zagrabia, mandat, ut eos à suspensione, ac etiam *irregularitate*, si quam celebrando incurissent, absolvat, ea tamen Lege, ut intra 40 Dies, cum Benedicto *concordent*, secus in easdem pœnas ipso facto incidant.

Ex *Processu* SIMONIS I Eppi Zagrab Anno 1519 discimus: Simonem à Capitulo, inter reliqua instrumenta prætendisse: *Litteras NICOLAI V cum litteris Abbatis de Lanjztrosi, super absolutione Capituli & Eppi, ratione dissidij inter Benedictum & Demetrium Episcopos.* Quamvis autem litteras has nunquam viderimus, neque ullus earum meminit, quos tenemus Scriptorum. Credimus attamen DEMETRIUM à VLADISLAO datum, & BENEDICTO oppositum fuisse Episcopum. Quod priora suadent, perpensa bene. Post Priorem à *Joanne Abbate* impertitam absolutionem; Capitulum censuris correptum fuisse, notat ex quodam uti dicit Archivo (illud non nominans) Ritterus. Et Biennio integro suspensum mansisse. Causam, uti ait, præbuit mors *Joannis de Bachensteijn* Archidiaconi Camarcensis, cui per *Demetrium*, quidam *Stephanus* Comitis Cilliæ *Ulrici*, Cancellarius, suffectus fuerat, & à Capitulo susceptus, & pro more *institutus.* BENEDICTUS se opposuit, *Jurisdictionem Archidiacono*, dari à Demetrio nequivisse probans. Et cùm ob ULRICI potentiam, & VLADISLAI Regis jussa, Capitulum, pro Archidiacono esset. Mulctatur Censuris. MORTUO autem ad VARNAM VLADISLAO, Capitulum & Demetrius Episcopus, ab abbate de Lansztrosi absolvuntur. Pax inter Episcopos statuitur. Et cùm Ladislai Posthumi temporibus, Benedicto adhæret Capitulum, DEMETRIJ Fratres, injuriantur Ecclesiæ, atque ita conflatum DEMETRIO, tantum odium, ut nunquam cleri affectum fuerit promeritus. Ita ista. Ac ferè ijsdem verbis notat Ritterus. *Stephanum* Archid Budæ Pleban. 1465 mortuum, reperimus. Quibus titulis? Vide infra in *DEMETRIO Eppo*

Sane Matkone & Vladislao viventibus, damna non postrema, Ecclesiæ illata sunt, à Benedicti exordio. Et Capitulo res durissima accidit. Prohibebat Rex ne Benedictus pro Episcopo agnoscatur, mandabat Papæ Legatus. Atque ut rerum status miser fuerat, impunè prædata, occupata Bona Ecclesiæ, injuriæ pleræque factæ, quas nominatim recensere opus non est, tanquam nil singularis continentes. Anno sequente 1444 ad *Varnam* ocumbit, cum tot Baronum, Prælatorúmque numero. De quo, uti & alijs VLADISLAI gestis, vide Calimacum, res Vladislai accuratè tractantem. Æneam Sylvium, aliósque. Si hi desunt, Spondanus utriusque historiam, compendio exhibet.

A VLADISLAI Principis optimi decessu (*Multis insignibus virtutibus magnisque animi & corporis dotibus præditus* fuisse à Spondano scribitur, *Justitiæ ac Religionis cultor eximius abstemiúsque, longiori vita, & immortalitatis gloria dignissimus*) LADISLAUS POSTHUMUS jam in cunis coronatus Rex eligitur, Gubernatore pro interim Regni JOANNE HANYADE constituto 1445. Quem Hunijadem Bona in Sclavonia habuisse, ex Ejus instrumento 1446 dato, in *BAK fer. II post Fest. S. Thomæ* apparet. Mandat isto: JOANNI ZEKELY de ZENTHGEURG Dal Croat & Sclav, BANO, Ejúsque Comitibus in *Gara* constitutis, ut possessionem Simonis Zadar, in pertinentijs *Gradecz*. & *Goricza* vocatam, quam Gubernator ipsé, tenuisset, Viduæ JOANNIS BLAGAI remittat, & Ejus authoritate resignet.

BENEDICTUM his temporibus, ac sub JOANNE HUNIJADIO, pacificè Ecclesiam suam gubernâsse, innuit confirmatio, Litterarum, & facultatum (ut liberam Canonici habeant, de rebus omnibus ex beneficio aquisitis, testandi facultatem) antecessorum Episcoporum. Ubi ait: *Quam consvetudinem tanquam antiquam, præscriptam, & ab Episcopis confirmatam, ex certa scientia & animo deliberato approbamus & confirmamus, & si necesse esset, novæ donationis titulo, testandi liberam facultatem damus ex gratia speciali. Zagrabiæ Prima die Anni* 1446, *in Palatio Eppali, solitæ habitationis.* Bona Ecclesiæ an obtinuerit? ignoramus. Aliqua eum tenuisse credimus, ex LADISLAI *Plebani de Athyna*, & *Georgij* Comitis de *Zalatnok* ad BENEDICTUM Epis. Zag litteris de Anno 1453. Quibus apperiunt: judicium *ex Commissione Ejusdem Eppi*, per ipsos factum in ZALATNOK, ratione Prædij *Boynikfalva*, adjudicati *DOMINICO* Prædiali, contra Nobiles *Nicolaum* de *Boynikfalva*, PRISCAM vocatam de Chabrovz, & *SEBAM* uxorem JOANNIS DILICZ, Prædialis de *Tersztenik*. Eò quod Dominicus Privilegium JOANNIS Eppi Zagrabien super emptione Prædij produxisset, *NICOLAUS* vero quasdam litteras corruptas, quorundam Vice Comitum, in ipsa Zalatnok alias confectas, quarum sensus propter earum corruptionem intelligi non potuit. *PRISCA* quasdam litteras MATKONIS BANI, continentes novam donationem. *SEBA* vero simpliciter aliqua asserendo, probare nil poterat. Et quod appellâssent ad Episcopum. Omnia tamen vix tenuerit, cùm Idem Gubernator *Joannes*, ratione Prædialis cujusdam in villa *Goricza*, committat Joanni Zekely BANO, ut rebelles Prædiales compescat.

Anno

Anno autem 1448 in Festo Visitat. B. V. M: *Chasmæ* Benedictus Eppus, ad preces Decani, & aliorum Præbendariorum Ecclesiæ Chasmensis, CONFRAternitatem quandam, & Societatem Confraternitatis per modum *Kalandini*, ut loquitur, ad amplificandum cultum Divinum, disponit & ordinat. Ac ex pietate paterna, omne & totale terragium, seu proventus Promonthoriorum suorum, de omnibus & singulis vineis *Præbendalibus*, in quarum tunc dominio, tanquam Præbendarij extitissent, relaxat. Insuper certas concedit Indulgentias. Demùm quod in dicta Chasmensi Ecclesia S. Spiritus, eundem BENEDICTUM ad Confraternitatem à se ordinatam adscripsissent, & certas Missas, singulis Vigiliis Festivitatum B. V. MARIÆ, celebrandas promisissent, ex Curia & *Episcopali Cellario*, Eleemosynam quandam ipsis assignat. Alia BENEDICTI caremus memoria. Ad Annum 1454. Pastorale munus obivisse, credimus ex Litteris superioribus 1453. ad Eum datis. *Marcellevich* existimat 1451. mortuum, quod in quopiam Instrumento Anni Ejus, legerit. *JOANNES Cantor, & Vicarius Ecclesiæ Zagrabiensis*, concludens *fors* Sede vacante.

Ex diversis monumentis eruimus, ab Anno 1446. pacata fuisse intra Cives omnia. Sic enim in quodam instrumento legimus: *His disturbiorum temporibus jam dante Domino Sedatis.* Sed Anno 1450. in alio, continetur. *Disturbiorum temporibus, proximè nempè circa Nativitatem Domini præteritis*, proinde 1449. hæc disturbia fuerint. Verùm quæ illa? durum statuere. Æneæ Sylvio, in historia *Ladislai* Regis plurimum deferimus, tanquam *Friderico* Imperatori à Secretis, ac Legationibus functo, ut scripta perhibent, rerúmque notitiam peroptimam habenti. At is, Chronologiam non texuit. Profectò si *Joannes Zekely* Banus, Dñi Gubernatoris Consanguineus, uti Thurozius narrat, in Campo *Merulæ*, sive *Cosovæ*, vel *Rigomezovia* in magna illa Nobilitatis Clade occubuit, infausta pugna, Anno 1448. accidit, mense Octobri, cum eodem Anno Joannes Zekely Dal. Croat. & Sclav. Banus inveniatur. Præterea, ut *Corpus Juris Nostri* perhibet, *Ioannes* in Gubernatorem suffragijs Procerum Anno 1446. electus, & *Decretum* eo Anno conditum. Verosimilius ante Annum 1448 de vindicanda Varnensi Clade, nil cogitatum. Tum consilia inita, & in Turcas itum.

GUBERNATORIS JOANNIS Hunyad, experta est Zagrabiensis Ecclesia, complures favores. 1. Ne tributum Capituli in *Czerje*, impediatur, Officialibus de *Bussjako* mandat. *Datum in Veteri Buda Festo S. Cathedræ S. Petri* 1447. Ac eodem Budâ, Dominica Palmarum nobilibus districtus *Klokoch* mandat, *ut quia ex Regum, & Reginarum indultis, ac sententionalibus litteris Episcoporum Zagrabiensium, ac Principum Friderici ac Ulrici Ciliæ Comitum*, Tunc *vel* Nunc *Sclavoniæ Banorum in Dieta præsenti in specie productis*, cognovisset Decimas inde deberi Capitulo, ideo eas persolvant, & per alios solvi faciant, comittere se inquiens Banis, & Vice-Banis ac Comitibus Zagrabiensibus ut eos compellant. *Andreas* de *Bisztricza* ratione negatarum Decimarum, per sententiam aggravatus, & excommunicatus 1448. festo S. Ægidij *à Joanne Decret. Doctore*, & Vicario Benedicti Eppi Zagrab. invenitur. Prouti & Paulus Episcopus Argensis, & Gubernator Præpositura Glogoczensis, à MATHIA Abbate Cistercien. B. V. M. de Zagrab. Judice & *Subexecutore* (ita se nominat) quia nempe *Quinque Ecclesiarum* Episcopo fuerat, commissum negotium, de Dato Zagr. fer. 6. ante festum S. Jacobi. Sed Paulo ista contemnente.

Capitulum NICOLAO Papæ supplicat, ùt cum ólim contra Nicolaum Papus Perceptorem domus B. V. M. de Glogoncza Ordinis S. Sepulchri Jerosolymitani definitum fuisset, ut Decimæ de *Planina* Capitulo solvantur, & sententia in rem judicatam transivisset, ut Paulum Præpositura Gubernatorem compellat. Pontifex Nonis Septemb. Pontificatus Anno IV. sententiam servari mandat, comittens id, Strigoniensi Archi Eppo, Quinque Ecclesiarum Eppo, & Abbati B. V. M. de Zagrabia. Hinc 1451. Die 10. Maij Paulus iterùm excommunicatur. Quem deinde, 1454. ALBERTUS de Hangach Præpositus Quinque Ecclesiensis, cum per sententiam, à Censuris, & decimis absolvisset, Capitulum ad NICOLAUM Papam appellat. Is *Guilermo* de *Pondera* J. U. Doctori, & Episcopo *Olacensi* causam cognoscendam commitit, à quo Paulus aggravatur Die Lunæ 8. Julij, Pontificatus Nicolai Anno VIII.

Andream de Bisztricza, nescimus Eccur, miserè mortuum ex litteris Ulrici Sclavoniæ Bani 1452. ad Nicolaum de Vizakna Vice Gubernatorem Transylvaniæ datis, discimus. Ubi *Andreæ de eadem Bisztricza, qui propter demerita & excessus suos, ac mala opera patibulo suspensus extitit, sicque ejus possessiones ad Coronam Regni, consequenter ad manus Nostras Banales, juxta antiquam ipsius Regni Consuetudinem devolutæ dignoscuntur.*

Nullorum Comitiorum Corpus Juris Nostri, pro Anno 1450. meminit. Fuisse illa tamen, instrumenta innuunt. Sic in quodam: *Ad mandatum Comitiorum Regni Hungariæ Anni 1450. Capitulum & Eppus. sine contradictione in Kemlek statui debebant.* Et si Æneam Sylvium aliosque consuluerimus, suadent istud, quæ narrant illi. Neque credere possemus repetitum

à Friderico LADISLAUM posthumum, cum Corona fuisse, sine Comitijs prævijs, tum bello quæsitas fuisse postulationes Hungariæ. Ut mens hæc omnium fuerit. At quid in Comitijs illis actum sit? Scripsit nemo. De Ladislai redditu infra dicturi. Floruit his temporibus SCANDERBECUS adeo in Historijs celebratus. Et Constantinopolis 1453. Die 29. Maij expugnata, CONSTANTINO interfecto, Stirpe Ejus universa deleta, & nobilibus omnibus, inter convivia per ludibrium trucidatis.

XXXIX.
BALTHASAR
FRIDERICUS & ULRICUS Comites Cilliæ Gubernatores.

DElituit in tenebris adhuc, Episcopus iste, Nemo enim quod sciremus BALTHAsaris meminit. Ut summi Laboris est, à SIGISMUNDI morte, ad Mathiæ tempora Ecclesiarum Hungariæ Pontifices eruere. Ob rerum quæ agebantur faciem. Multi dignitates, honores usurpabant, inuente *Art. III.* Decreti 1456. *Quod omnes Domini Barones, honores & officialatus eorum quos habent, in præsenti Conventione deponant, manibúsque & dispositioni, ac distributioni aliorum Dominorum, Prælatorum, Baronum & Regnicolarum liberè, & sine contradictione committent & assignabunt.* Est citatus Articulus. Multi diversarum fuère partium præcipue Vladislao vivente, qui jura Regia omnia exercebat. Hinc ut superius dictum, intra Benedictum & Demetrium lites magnæ, non sine jactura Ecclesiæ. Benedicto igitur mortuo, in Anno 1543 Demetrius egit omnia, ut eidem succedat. Sed ob violata Ecclesiæ jura, occupatum spoliatúmque miserè Siscium, Capituli Bonum, per Casparum *Demetrii* fratrem in Anno 1449. Bona item Ecclesiæ alia, ut jam Benedictus cum Capitulo Fridericum ac Ulricum Cilliæ Comites, ac Regni Sclavoniæ Banos in *Tutores*, *Advocatos*, & *Protectores* Zagrabiensis Ecclesiæ rogaverant: Qui Casparum Chupor de Monoszlo, in Anno 1450. sententia primùm sua, dein potentiâ, coercuerunt, Bona Capitulo per Eos occupata restituentes. In totius Hungariæ Comitijs, probata (ut firmemur in sententia celebratæ 1450. Dietæ), Friderici sententia. Monumentis, & confectis superinde instrumentis, hoc attestantibus. Ejus potentia factum, ut à *Ladislao*, Successor Benedicto, daretur Balthasar} (Quem Ritterus, Timotheum III. posuit & scripsit, nec scimus unde? nisi fors utròque hoc nomine vocatus fuisset) & à Nicolao Pontifice confirmaretur 1554. Agebant Cilliæ Comites omnia, Bonorumque Ecclesiæ fuère Gubernatores. Ut Episcopi BALTHAsaris nomen, non nisi in duabus notatum viderimus litteris, de Annis 1554 & 1557. An in Episcopatu mortuus, vel translatus alio, nil scimus. Ejus tamen factum consiliis credimus ut Anno 1553. fetia 6. post Festum S. Georgij Viennâ. *LADISLAUS Hungariæ, Dalmatiæ & Croatiæ Rex, Austriæ & Stiriæ Dux* (Iste Titulus) Regni Anno XIII. universas quorumlibet Beneficiorum in Zagrabiensi & Chasmensi, per principes Fridericum & Ulricum Sclavoniæ Banos, factas collationes, quibuscunque hactenus Personis, vigore *Juris Patronatus sui Regij* ratas firmásque habuerit, ac ut dicit *iterum* constituerit. Ex his colligimus LADISLAUM 1553. Regni Curas assumpsisse. Qui 1556. super Decimis *Ozaly* & *Ribnik* Anno Regni 16. dat litteras, ubi priori titulo additum *Marchióque Moraviæ*, & feria 2da, post Festum S. Georgii, jus *Nundinarum* & fori, pro *Toplica* in utroque S. Michaelis festo, Zagrabiensi Capitulo concedit. Annos Regni, numeravit Ladislaus, à Coronatione sua, & 1440 Anno, ut ex his videre est.

FRIDERICUS & ULRICUS Cilliæ Comites ab Anno 1448. hoc uti leguntur titulo: Fridericus *Regni Sclavoniæ Banus, Tutor, Gubernator, & Advocatus Ecclesiæ Zagrabiensis* (credibilius intrusus & spontaneus) similiter ULRIcus se inscribebat. Sub Principio inveniuntur fecisse utilia. Sic *Caspari* & *Martini Chupor* de Monoszlo coercuerunt audacias. Dorotheam similiter Henning, filiam Joannis condam Toth de Zomzedvar, in Capituli Possessionibus *Kralevcz*, & *Ottok* violentam, jure, & sententia convicerunt. Anno autem 1452. feria 6. ante Festum S. Oswaldi, de dato Crapina, constituit, *Cum plures Nobiles in Regno Sclavoniæ, & Comitatibus Zagrabiensi & Crisiensi pro animabus suis possessiones legare Capitulo velint, Authoritate nostra Banali, consensum damus, declaramúsque id fieri posse, & possessiones Capitulis, Monasteriis, Ecclesiis inperpetuari.* Hinc, JOANNIS Gubernatoris authoritatem, respexerit Fridericus parùm, judicare est, prouti & ijs, quas de *Andrea* de *Bisztricza*, supra relatis, ad Nicolaum de Vizakna scripserat. Anno similiter eodem, ad Comitatum Zagrabiensem, suósque Capitaneos Castrorum *Medve*, & *Sztupnik* mandata dat, de solvendis Ecclesiæ Decimis, quæ ULRIcus, *Eodem* quô Fridericus *usus titulo*, Viennæ festo S. Bartholomæi confirmat.

Anno attamen 1455. Fridericus & Ulricus, consilio æmulorum Ecclesiæ, turrim Capituli Lapideam in Civitate Regia, dirui faciunt. Sed Ladislaus Rex, visis Capituli juribus, &

& antiqua possessione, eam cum domibus ac ædificijs Capitulo restituit *Budâ fer. 3. ante Ascens. Domini Regnorum Hung. 17. Bohemiæ 4.* Viennâ demùm *feria 5. post festum S. Jacobi*, JOANNI Bithovecz de Gereben Sclavoniæ BANO, Vice Banis, Comitibus mandat, ut compellant Nobiles de *Klokocb & Ladiboycb*, secundum compositionem, olim tempore *Mikcs* Bani, factam, jam per triennium neglectas, Decimas persolvere Ut omnino, post hæc, Pragam iverit, ibidémque Anno hoc mortuus & sepultus fuerit. Vide de morte Ejus Spondan ad Annum 1457. Michov. Æneam Syl. Bonfin. Creditur Principum optimus, Veneno extinctus. Corpus incorruptum servari scribitur. Vide Spond.

LADISLAO Rege existente. 1454. Calixtus Pontifex nuper electus, classem conscribit in Turcas. Qui, 1455. Bosnam cœdibus & incendijs replent Anno autem 1456. *Mahometes* Belgradum, quod Alba Græca, & Taurinum vocatur, copioso exercitu expugnaturus adit. Convocatis autem Christianis, Joanne Capistrano adhortante, HUNIADES Joannes Dux, ultra 40. milia hostium occidit, alijs in fugem turpissimam versis, & ipso Mahomete sagitta percusso. Prælium hoc commissum Festo S. Magdalenæ. Redijt Victor, gloriosúsque Joannes, *Comes Bisztriciensis*, At eodem Anno, vitam posuit in recommendatione *S. Joannis Capistrani*, & in Alba Tran-Sylvaniæ tumulatus. Joannes quoque Capistranus, post dies aliquod, humanis relictis, petit cœlestia, corpus in suorum Fratrum Minorum de observantia, claustro oppidi *Vylak* reconditum, miraculus claruit. Eodem similiter Anno 1456. Festo S. Martini Pont. & Mart. in Castro *Nandor Albensi* trucidatur misere *à Ladislao*, majore *Joannis* Ducis filio, Ulricus Cilliæ, ob injurias, tam Patri quam & sibi illatas. Ac licèt Veniam Supplex à Rege Ladislao accepisset, Eum tamen Budam cum comitaretur, evocato Mathia Fratre, & cum multis alijs dato carceri, de Ladislao sumptum Budæ supplicium. Illoque mortuo, cum alij dilapsi ex carceribus fuissent, & Ladislaus Rex, securus non foret, ducto secum *Mathia*, Viennam petijt, ubi firma sub custodia, relicto Mathia, Pragam abijt, ibi uti dictum, vitam mortalem, cum immortali commutavit. Acta sunt hæc 1457. De quibus vide Thuroczium, copiosius ista referentem. Qui in Anno lapsus est, dum 1458. præmissa, accidisse narrat. Cum ex ipsis monumentis, ad Annum 1457. sint collocanda. Uti in successore Eppo dicetur.

Neglectam hactenus, virorum aliorum memoriam, pro suscepta in parte hac provincia, breviter continuemus.

Ab Anno 1435. MATKO de Tallovcz, ad Annum 1444. quô, cum Vladislao ad Varnam occubuit, Sclavoniæ, quin Dal. & Croat. Banus fuerat. Erant MATKONI Fratres *Joannes* Prior Auranæ. *FRANCO*, sive Franciscus, & *PERKO* vulgo dictus, id est Petrus, Viri insignes. Qui omnes sub Banorum nominibus inveniuntur. At in Sclavonia nostra, *Matko* ipse, moderabatur omnia. Sententiæ, mandata, non ab alio. at Matkone inveniuntur. subinde JOANNI Fratri delegâsse authoritatem Legimus, cum is nempe abesset. PETRUS Dalmatiæ & Croatiæ Banus, ac Comes Cettinæ & Clissiæ Legitur, sub Rege Vladislao. *Franko* autem Severinensis Banus. Quare pro Banis Sclavoniæ, quatuor hi Fratres non habendi. Ut in Banorum Historia diffusius. JOANNES Zekely de Szent-Gieourgii Dal. Croat. & Sclavoniæ Banus. Et post hunc.

FRIDERICUS & ULRICUS Ciliæ, Ortenburgæ, & Zagoriæ Comites, Regni Sclavoniæ Bani, ac ut supra Tutores Zagrabiensis Ecclesiæ, LADISLAI Regis Avunculi, inveniuntur. De ULRICO vide Æneam Syl. & nos quædam retulimus. FRIDERICI Spondanus ita meminit:

„ Petijt item Romam Jubilei causâ, *nempe 1450.* ut Æneas refert, Princeps, seu principis „ potius monstrum, Fridericus Comes Ciliæ in Stiria, Valeria olim dicta: qui cum esset in „ libidinem pronissimus, & occisâ propria manu uxore, greges puellarum raperet, uxo- „ res maritis aufferet, Ecclesiarum bona diriperet, perditissimósque quosquæ ad se ad- „ sciscerct, Romam indulgentiarum causâ, jam nonagenarius petens, adeo nil profecit, „ ut cum reversus nihilo melior appareret, interrogatus quid sibi Roma profuisset, in pri- „ stinos mores relapso, *& calceator meus* inquit, *ad consuendas Ocreas, post Romam visam redijt.* Quem cum aliquis ex amicissimis monuisset, scire se moriturum, ac de sepulchro co- „ gitaret: *Istud* inquit *ago, nam sepulchrali marmori hoc Epigramma insculpendum statui; hae mihi porta est ad inferos, quid illic reperiam nescio. Scio qua reliqui: abundavi bonis omnibus, ex* „ *quibus nil fero meum, nec quod bibi, atque edi, quodque inexhausta voluptas exhausit.* Heu miseram Friderici conditionem! Desperatio merces voluptatis. Præmissos Comites, Banalis Dignitatis, fuisse usurpatores credimus.

Anno demum 1455. JOANNES Bithovecz de Gereben Sclavoniæ Banus. ULRICUS (Princeps legitur) Anno 1455. Eum *Vice-Banum & Comitem Nostrum Crisiensem* appellat.

Anno 1450. Pribil, *Crescentius* latinè de Belai Croatiæ Banus. THOMAS Prior Auranæ, 1457. Banatu Dalm. & Croat. investitur.

VICE-BANI. *Nicolaus* de Barbonog & *Dominicus* de Malatinczi, Comites etiam Cottus Zagrab. 1444. *Ladislaus* de Szent-Jekel, & *Benedictus* de Thurocz Vice-Bani & Comites Crisien. 1449. *Stephanus* Farkassij de Obreesʃs Vice-Ban. & Comes Cottus Zagrab. Michaël *Protonotarius* Bani 1456.

Mathias Chyrek Comes de Gara. *Mathias* Paloch Judex Curiæ Regiæ sub Sigismundo. Stephanus BATHOR Jud. Cur. Reg. sub ALBERTO Rege. *Joannes* de Peren J. C. Regiæ 1455. *Erhardus* Hohenwarth Capit. Medve. *Andreas* Boglau Secretarius Cancellariæ Principis Friderici Comitis Ciliæ. *Joannes Zmolik.* Castell. Castri Ztupnik nostri, & Comes Campi nostri Zagrab. (Ulricus ita eum appellat, prouti &) *Seboldus Maur.* Capit. Civitatis nostræ Zagrab. *Andreas Ribterez* de Zamabor Proto-Notarius Cancellariæ nostræ. *Petrus Kasnar* Castellan. noster in Rakonok. *Ulricus Piplik* Notarius Egregij Joan Bitkovecz in Gereben, Vice-Bani Nostri & Comitis Crisiensis. Qui, attamen Banum se nominat in expeditionibus. Ex his Ulrici authoritas conijcienda, ut non mirum, quod & Joannem Gubernatorem despexerit. Uti *Turocz. Æneas Syl.* &c.

NOBILIUM hæc eruimus nomina: Ladomerius *de Adamovecz.* Petrus *Horvath* Castell. in Kemlek *Matkonis* Bani. Geor. de *Bikzaad.* Andreas *Vitez* de Kamarcha. Stephanus *Bikchele* de Zelnavar. Stephanus Farkassij, anno 1436. *utriusque* Castri *Hrastovicza* Castellan. postea Vice-Banus. Notandum *Utriusque.* Duo ergò ibi erant Castra, uti & nunc perhibent rudera. Unum penes & supra Ecclesiam S. Spiritus, quod *Castrum novum* dictum est. aliud intra villam, dictam nunc *Varoʃs* & Monasterium *PP. Francisean.* Sed de his alibi *pag. 81.* dicta.

Valentinus litteratus de *Zlath.* Emericus de *Boreb* benemeritus de Capitulo. Simon *Zad* de Olnud. Clemens parvus, filius Antonij de Mikchovcz. Ladislaus de *Pezeryo.* Joannes de Gepeu. Jacobus Thosaytz. Quos ex diversis eruimus instrumentis.

MEMORIA CANONICORUM Cath. Eccl. Zagr. *Præpositi Majores.* VITUS. Michaël *Voigthes* 1447. mort. vide infra Cap. 18. tum Mathias. Iterum Vitus alter Alemanus, per Fridericum Comitem positus. Ratione *Castelli* Zagoriæ cum Capitulo litigans, Parochis Zagoriæ concitatis, sed per Nicolaum Papam prohibitus, & causa cadens. *LECTORES* Petrus *Ecclesiarum* Vesprimien. & Zagrab. Canonicus, post quem Michael de Steyn, Frater Cantoris Bartholomæi. *Cantores. Joannes* Vicarius Generalis, & jurium Ecclesiæ magnus defensor, *felicissima vita & digna recordationis*, ita quodam Vetus MSS. Capitulo sua reliquit, obijt 29. Januarii 1448. Successit alter *Joannes* fuit etiam Vicarius. demum Bartholomeus de Steyn. *Custodes* Gregorius. Postea *Elias* de Soploncza, post hunc Ladislaus. *Præpositi Chasmenses.* Joannes Eppus Tininiensis & Administrator qui supra. *Mathias.* Notandum: Præpositos hos, à multis annis prioribus, legi de *Bienico*, nec putes alios esse à Chasmensibus. Stephanus enim II. uti supra *pag. 81.* dotaverat Præposituram Prædio *Bienik*, & cùm Chasmenses Canonici, recipere Præpositos noluissent, Ipsi se, à Prædio appellabant. Quidam addebant. *Præpositus de Bienico sive Chasmensis.* Quidam: *Præpositus de Bienico & Locumtenens Chasmensis.* Hinc non putanda, *Præpositura* de Bienico, distincta à Præpositura Chasmensi. Leguntur etiam: *Præpositus Chasmensis, & Gubernator de Bienico.*

Archidiaconi *Cathed.* Stephanus. *Dubicen.* Petrus. Martinus. Andreas. *Goricensis* Jacobus & Comes Toplicensis. *Kemlek* Petrus. *Chasmensis* Martinus. *Bexin.* Stephanus. 1440. 24. *Januarii* mortuus. S. Catharinæ devotus. Aram Ejus in Cathed. erexit. dotavit illam duabus vineis & terris arabilibus, Calice, Missali, alijsque ornamentis & Brevibus. Successit huic JOANNES. *Varasdinensis* Nicolaus. Thomas simul Altarista S. Crucis. Sigismundus. *Urbocz.* Joannes de *Grecz.* Doctor Decretorum. Ad Curiam Romanam, causâ Jubilei consequendi 1450. pergens, in itinere obijt. Conscripsit: Librum *expositio Evangeliorum, quem â se compositum* legat Ecclesiæ Cathedrali. Succedit Marquardus Doctor Medicinæ.

Canonici Alij.

Thomas de Dombro 1461. 1ma Junij mort. *Georgius* de Marovsca *Joannes* de Marovsca, *Michael* de Marovsca. *Jacobus* de Zerdahely. *Fabianus* de Ztreza Quinque Eccleʃi. & Zagrab. Can. *Petrus. Stephanus* Sublector C. Z *Joannes* Decretor. Doctor. *Thomas* Pleban. de Ivanich & C. Z *Jacobus* de Placentia C. Z. *Andreas* Petriskonis, *Fabianus*, item *Sebastianus*, ac *Georgius* de Roycsa Fratres Carnales. *Stephanus* Chertvecz 1461. mort. 14. Maij. *Andreas* Burgfeld. *Thomas* de Ivancz. *Gerardus* de Patak. *Martinus* de Martinovcz. *Blasius* Nemesʃs. *Michael* Thosaitz, *Clemens* de Soklos. *Michael* de Thersacz *Georgius* Litteratus. *Ivanus* Mgr. & C Z. *Clemens* de Gara. *Thomas* Tompa de *Horzova. Jacobus* de Thmer. Decret. Doctor. *Nicolaus* Toldner. Horum ex variis diversisque instrumentis, nomina eruimus.

Præterea. *Joannes* Abbas B. V. M. de Zagrabia. post hunc Mathias. ac demum Winandus

dus, post hunc Mathias, ac demum Winandus, qui fuit ex Cisterciensibus ultimus. Invenimus memoriam *Capellæ S. Leonardi*, pertinentis ad Abbates præfatos, in area Capitulari situatæ. Fassionis cujusdam in Anno 1447. coram *Capitulo Budensi* celebratæ continentias. Item LADISLAUS Thytheus *Abbas de Bakmonostra* cujus Subditorum, de KAKASVAR mentio. *Nicol. Papus* Præpositus Glogoncen. Post Quem *Joannes*, & *Paulus* qui, & Eppus Argensis, *Gubernatores* dictæ Præpositur&æ Leguntur.

Demum in Quodam Sigismundi mandato. Fridericus Albertus *Senior*, Fridericus Albertus *Junior* DUCES Austriæ. *Rampertus* de Galse. *Fridericus* de Petav.

XL.
DEMETRIUS II.
CHUPOR de MONOSLO.

JOANNES Vitezius Eppus Varadiensis & postea Metropolita Strigoniensis Gubernator.

TAndem sub Mathia Rege Demetrius Episcopatum Zagrabiensem consecutus est. Circa Annum 1459. Anno enim 1460. *Chasmæ* in Festo S. Benedicti Abbatis, Collegio Præbendariorum Chasmensium, datas per Eberhardum, ac Joannem IV. Eppos, confirmat litteras (nec Benedicti, nec Balthasaris facit mentionem) adijciens: *Insuper omnes vineas, terras, sylvas, fœnilia post emanationem prædictarum Litterarum, annotati Domini Joannis Episcopi, dictis Præbendarijs, per quoscunque datas collatas, & contributa, eisdem libertatibus subjicimus.* Cum Capitulo tamen Zagrabiensi, an Demetrius convenerit? ignoramus. Scimus ob Fratrum ipsius facta, tantàque in Bonis Ecclesiæ illata damna, ad 15000. milia floren æstimata. *Georgium* Bexin, & C. Zagr ad Mathiam Regem, Oratorem fuisse ne Demetrius, curam Ecclesiæ haberet, cum naturalis in Fratres propensio, spem adferret exiguam, ut damna vindicet, quæ junctis sanguine Csuporijs Martinus, Frangepanius causare non cessaret. Similes Capituli preces ad PIUM II. Romanum Pontificem fuêre. Hinc profectum credimus, ut *Wimandus* Ord Cistercien. Abbas B. V. M. de Zagrabia, constitutus fuerit Conservator Ecclesiæ Zagrabien. Titulum enim Wimandi 1462, & subsequentibus hunc Legimus. *Wimandus Ord Cisterciensis DEI gratia Abbas B. V. M. de Zagrabia Conservator Ecclesiæ Zagrabiensis.* Archi Episcopum etiam Strigoniensem *Joannem Vitezium* Anno 1465 sub nomine *Gubernatoris & Protectoris Ecclesiæ Zagrabiensis* invenimus. Quâ ex inscriptione Ritterus credebat, multique authumant, Joannem Vetezium Episcopum Zagrabiensem fuisse. At istud non eruimus, licèt & Litteras per eum datas invenire sit, & Beneficia contulerit Regis Mathiæ indulgentia, Ipsæ tamen *Vitezij* litteræ, testantur Episcopum Varadiensem, vel Strigoniensem Archi Eppum, ac tantum *Ecclesiæ Zagrabiensis Gubernatorem* fuisse. Proinde Catalogum & Seriem Episcoporum Zagrabiensium, augere non potest. Lapsusque Ritterus est.

MATHIAS igitur, cum affectum Cleri in Demetrium exiguum esse cognosceret, Demetrium ad Ecclesiam Jaurinensem promovet, Qui tamen à PAULO II Anno primum, 1466. ut infra ex Bula Pauli dicturi, à Vinculo Zagrabiensis Ecclesiæ absolvitur, & ad Jaurinensem Apostolica Authoritate transfertur. Sane ab Anno 1463. in Diplomatibus Regijs *Zagrabiensi Sede vacante* Legitur. In litteris autem alijs *Joannes Vitezius* Gubernator. Quamvis autem Demetrius à vinculo Zagrabiensis Ecclesiæ ante Annum 1466. absolutus non sit, *Vacante Sede* attamen scribitur.

Videnda *conclusio* Decreti Mathiæ, Anno 1464. Ut omnino mirum, & nobis arcanum atque incognitum, quid *Demetrio* acciderit. Legitur namque in Conclusione citata: *Augustino Jauriensi.* Item *Zagrabiensi Sede vacante.* Cùm Demetrius vixerit, Et à vinculo Zagrabiensis Ecclesiæ absolutus primùm sit 1466.

LADISLAO Posthumo Rege nostro, e vivis sublato. Anno 1458. ad Kalend. Januarij indictis Comitijs, IX. Kalend. Februarij Mathias in Regem Hungariæ, omnium consensu acclamatur, uti ista notat Æneas Sylvius. Cui in his deferendum præ reliquis censeremus. *Singulare prorsus*, inquit Æneas, apud Spondanum, *humanæ inconstantiæ documentum, ex duobus adolescentibus ætate moribùsque penè paribus, Alterum ex Regio Solio, dum nova nupta thalamum exornat, deferri ad tumulum; Alterum dum Capitale judicium trepidus manet, ex carcere vocari ad Regnum.* Viennâ autem in Bohæmiam, ductus fuerat captivus Mathias.

Decretum MICHAELIS SZILAGIJ de HOROSZEG Anno 1458. in *Corpore juris* insertum, docet, Virum hunc, Procerum suffragiis *Gubernatorem* electum, & Mathiæ datum fuis-

fuisse, Innuit quoque Articulis suis: 1456. Civiles discordias, ortum sumpsisse, post nempe suprascriptorum Virorum mortem, aliáque inde petenda (cum ex instituto historiam illorum temporum non tractemus.) Verùm an Michaël officio functus sit, post *Mathiam* Hungariæ redditum, dubium est. De Anno enim 1458. festo Nativ. B. V. M. Tributum antea in *Czerje*, transfert ad possessionem *Mindszent*. Pluráque alia. Nulla alicubi mentione facta Michaelis. Crevit his Annis Turcarum Imperium. Bosnia accepta. *Jaicza* Item, sed à Mathia recepta. Sacra Regni CORONA à Friderico Imperatore recuperata, & Mathias Anno 1464. Coronatus. De quibus videndi Scriptores

JOANNES Gereben Sclavoniæ Banus, Ecclesiæ Zagrabiensis Populum ad servitia, suáque judicia vi trahebat, ut & Toplicam Capituli occupâsset. Prohibuit hæc Mathias 1463. Martinus quoque de Frangepanibus, non solum Decimas omnes in Archidiaconatu de Gvercse occupat, sed Capituli Bona *Szifzeg* invadit, spoliat, igne vastat, & Romam in jus vocatus, per *SANCIUM* Romerum Auditorem citatur, & contumax excomunicatur. ROMÆ IX. Decembris 1463. Lis quoque hoc eodem Anno inter Capitulum, & PP. S. Pauli Eremitæ de *Kamensa* sive Kamenszko. Coram *Ladislao Præposito Collegiatæ Ecclesiæ S. Thomæ de Monte Strigoniensi* & Wimando Abbate de Zagrabia. Mandat iterum Mathias, Budâ *Emerico* de *Zopolya* Gubernatori Bosniæ, ac Nicolao de Vilak, Sclavoniæ Banis, Anno Regni VII. Coronationis I. Christi 1476. ne Capitulum & Ecclesiam Zagrabiensem in immunitatibus ipsorum molestent, *uti Bani his disturbiorum temporibus molestabant*. Nempe prioribus duobus Annis. Ita enim ex *Comment. Pij II. lib.* 10 Spondan. *1462. In Hungaria sæpè hoc anno cum Turcis levia comissa sunt prælia, & raro Hungaros victoria secuta est. In Valachia res Turcorum superiores fuère, qui Transilvanam ingressi Provinciam non parvam inde prædam asportavère. Circa Savum quoque populati sunt agros, & multa intulère Dalmatis incommoda. Nunquam verò totis viribus tentare fortunam præsumpsère, quamvis Mathias Rex Hungariæ pugnandi copiam facere præsto esset.* Vide Eundem & Bonfin. de *Blado* Principe, ab alijs *Dracula* dicto. Anno 1463 Scanderbegus à Turcis premitur, Bosna vastatur, *Jaicza* recipitur, quam Turca secundo obsidens, audito Christianorum adventu, 4. Bombardis ingentibus, in *Drinam* fluvium demersis, in fuga spe posita, reliquit. Ut hæc disturbia, videatur nobis Mathiæ mandatum innuere.

MARTINUS Frangepanius, cum *Dorothea* Blagay Consorte sua, per sententias aggravatus, Archi-Eppo Strigoniensi intermediatore, ita transigit: pro injuriis & damnis, Villas *Budrovczi*, *Goricza*, & S. Crucis in Bernovcz Capitulo tradit, Castellum verò *Gradecz* vita durante, feudi titulo possidebit, annuè ab eo censum in 20. Hungaricalibus Capitulo soluturus. Post mortem ad Capitulum devolvendum. Rex consentit. Statuitur ad Castellum, & villas Capitulum, nemine contradicente, feria 5. ante festum S. Helenæ. Vicissim Capitulum Martino adjudicata remittit, imò quod in Altari B. V. M. Viventibus illis, *pro remissione peccatorum* Missam unam hebdomadatim, post mortem verò, *pro defunctis* in perpetuum faciet celebrari. Quod fit hodiedum. Regi autem Mathiæ Castrum *Krupa* tradidit, ac post mortem suam, Castra *Kostanicza* & *Lipovecz* ac *Sztenichniak* ad Regem devolvenda inscripsit. Ob quod, ad Castra *Serad*, *Busin*, *Oszirebicza*, *Cladussa*, *Komogovina* cum potestate Legandi, donationem obtinuit.

Notandum quoque reperimus, Anno 1465. Expeditio contra Turcas, hac lege decreta est. Ut omnes Nobiles, & Possessionati Sclavoniæ, singuli exercituare, & de singulis 20. Possessionibus unum armatum secum ducere ad exercitum teneantur. Considerata tamen paupertate Ecclesiæ Zagrabiensis. Rex Mathias Capitulum, ab hoc onere libertat. Budá in Vigilia S. Laurentij. Exigens solum, ut secundùm ordinationem FRIDERICI Lambergh Capitanei *Castri Regij Chaktornya*, dent, certos equos onerarios à Bonis suis.

Memoriam his Annis reperimus *PETRI* Rectoris Capellæ B. M. V. ad Latus Ecclesiæ Strigoniensis, & Can. Strigon. Item *1465. 20. Decembris*, *obijt Stephanus Archidiaconus Camarcensis. Canonicus & Plebanus Budensis*, *Cancellarius Regis Ladislai*, *ac Ulrici Comitis Ciliæ. Budæ sepultus.* Item *Blasius de Marovcsa* Can. Zagr. Juris Canonici Doctor, *Patavij* die 3. Aprilis *finit. Lecturam*, *super lib. 5. Decretal.* Christophorus *Hobburger* Capitaneus Civitatis Zagrab.

Post *Joannem Gereben*. EMERICUS da Zapolya Bosnæ Gubernator Dalm. Croat. & Sclavoniæ Banus. *Nicolaus* de *Vylak* Machoviensis Banus, *Conclusione* Decreti *Mathiæ* 1464. ponitur. In instrumentis Nostris, utrique scribitur, nomine *Sclavoniæ Banis*. Ut & Banatus *Machoviensis* in Sclavonia constitui videatur.

XLI.

XLI.
OSVALDUS THUZ
De Szentlaszlo.

MAximi Pontificis OSVALDI, jamjam collapsuræ Ecclesiæ Zagrabiensi, à DEO missi, pro ejusdem Ecclesiæ, Conservatione, restauratione Pastoris: tempora attigimus. Magnum fuisse, ostendunt omnia. Præcipuè si illorum temporum metiaris circumstantias, ac historiam, nedum *Magnus*, sed *Admirandus* evadit. Itaque.

Anno 1466. Antistes Zagrabiensis Ecclesiæ factus, & ex *Laico* quidem, Ambrosij instar. Hæc, Pauli II. Pontificis Bula docet, quâ: OSVALDO de Szentlaszlo, Electo Zagrabiensi Eppo, indulget: ut à Quocunque Episcopo, Dominicis vel Festis diebus, sacros, minorésque Ordines Suscipiat, & postea ipsam Episcopalem Consecrationem, & istud XV. Kal. May. Sequenti autem statim die, XVI. nempe Kalen. Maij. scribit idem Pontifex MATHIÆ Regi, quod translato nuper DEMETRIO ad Jaurinensem Ecclesiam, ad preces & Præsentationem Regis, Osvaldum pro Zagrabiensi Sede confirmet. Quis antea Oswaldus fuerit? & quibus in dignitatibus vel officijs? ignotum omnino. Gubernatorem *Abbatiæ de Pecsvvarad* constitutum fuisse, clarum est; IV. enim Kalend. Maij scribit PAULUS Pontifex, Conventui Monasterii B. V. M. Pecswaradiensi, Ordinis S. Benedicti, Diœcesis Quinque Ecclesiensis, se, post PETRI Eorum Abbatis obitum, præfecisse ijs Osvaldum Electum Episc. Zagrab. Gubernaturum vita comite, utramqueEcclesiam: Jubetque præstandam Osvaldo obedientiam. Jurium Legúmque fuisse gnarum, docent Osvaldi facta, omnia enim uti videbimus, per Judiciarias egit sententias. Nec secus quidquam, quam *jure mediante*. An JOANNIS de Thuz Sclavoniæ Bani, Osvaldus frater fuerit? non statuimus. Joannem equidem Legimus: *Joannes Thuz de Lak* Osvaldo autem *Paulus Pontifex* prædicatum dat: de *Szentlaszlo*. Dispensat idem Paulus, cum Osvaldo ad biennium, ne Romam eat.

Primæ Osvaldo curæ, statim ab Ejus nominatione, Jurium Ecclesiæ defensio fuêre. Instrumenta fidem perhibent, V. Idus Augusti Anni 1466 *Mathiam* ad preces Osvaldi, Privilegia Ludovici Regis de 1460. & Sigismundi 1427. Annis, firmasse. *Joanne de Thuz de Lak Dal. Croat. Bosnæ & Sclavoniæ Bano.* Impetravit quoque à Mathia Rege ad Capitulum litteras, quibus: *Budæ, Sabbatho post Festum S Georgij,* profitetur: se deponere ad nonullorum supplicationem indignationem omnem, quam contra Capitulum & Canonicos conceperat, eò quod ipsi Archidiaconatum Goricensem, cuidam *Demetrio* Doctori contulissent, contra Collationem Regiam, in favorem Mgri Martini factam. Capitulúmque in gratiam suam recipere. Bona Episcopatus Zagsabiensis omnia, fuêre Osvaldo data, & sublati *Gubernatores*.

Annis his ex monumentis litterarijs, varijsque instrumentis, & *disturbiorum* mentionem invenimus, & *Turcarum* excursiones. In quodam instrumento: contra JOANNEM Zentgirolth, violentum Bonorum invasorem: *His proximè elapsis disturbiorum temporibus* Item in *relatoriis* Capituli de Posega, ad Mgr. Michaelem Orszag de Guth, Regni Hung. Palatinum, *His proximè præteritis disturbiorum temporibus.* Utrumque instrumentum est de Anno 1467. *De Turcarum* autem excursionibus, fidem præbent Primò Mathiæ Regis, *Budæ fer 6. ante Fest S. Elisabeth*, litteræ, 1469. Quibus ad supplicationem Capituli concedit, ut cum prope Turcarum incursiones fierent, Capitulum sepibus munire, & fossatis cingere ac propugnaculis, se possit. *adò Contractus* intra Civitatem Regiam, *Montis Græcensis* Zagrabien. atque Capitulum, *Anno 1469. Feria 3. proxima post Festum S. Hieronymi Doctoris eximij* innitus, in hæc verba.

„ Nos tota Communitas Civium Montis Græcensis de juxta Zagrabiam, omnibus
„ Christi fidelibus &c. salutem in salutis Largitore &c. Quoniam his diebus, videlicet post
„ Festum B. Michaelis Archangeli proximè præteritum, sævissimi Turci inimici Christi, Fideique & Religionis Christianæ persecutores atque devastatores, usque vadum seu portũ
„ fluvij Savæ applicuissent, & advenissent: Cujus fluvij Zavæ aqua eo tum multum decreverat, & imminuta extiterat. Ubi multitudo Christianorum utriusque sexus hominum,
„ ex illa parte ipsius fluvij Zavæ fugientium, omnibus bonis, nec non domibus & rebus
„ concrematis, & derelictis aufugissent, ipsumque fluvium Zavæ vix transvadâssent Visis etiam, eo tunc, validissimis ac impetuosis multiplicatisque & accensis ignium flammis,
„ quod flammæ usque ad aera cœlestia se sublevabant, ex quorum Turcorum sic multiplicatis insultibus & invasionibus, nec non devastationibus, Nobis & toti Communitati dictæ Civitatis, tam propter paucitatem hominum, quam & carentiam victualium, ter-

" ror maximus incumbebat, & nisi nutu Omnipotentis, misericordisque DEI inopinatè " his in proximè sequentibus & effluxis diebus, ipse torrens fluvius Zavæ innundâsset, & " accrevisset, nedum nobis & huic Civitati, sed & etiam toti Regno periculum & exitium " finale, ingruebat & imminebat. Et quia VVbles Dñi Canonici, cœterique Viri Ecclesia- " stici de Capitulo Ecclesiæ Zagrabiensis, videntes & persentientes ipsorum Turcarum im- " manissimas Christianorum invasiones, & periclitationes, hominúmque utriusque sexus " abductiones, & domorum combustiones, propiis eorum in Personis, una cum familia, " armísque, rebus & bonis, nec non victualibus ipsorum in auxilium & defensionem no- " stram & ipsius Civitatis, apportatis & adductis, contra eosdem Paganos pugnaturi, & ip- " sam civitatem, auxiliante omnium Creatore, toto ipsorum conamine, una nobiscum " defensuri advenerant. Quos nos favorabiliter, hilaritérque & benignè assumentes, & " in ipsam Civitatem ac in medium nostri intromittentes, hospitia & domos nostras eisdem " præstantes: Licèt enim intra nos, & ipsam Communitatem nostram ab una: & ipsos Do- " minos Canonicos de dicto Capitulo Zagrabiensi parte ab altera, ab olim & dudum, tam " prætextu injuriarum, damnorum, nocumentorum, rixarum, controversionum, disten- " sionum, nec non differentiarum, Zizaniarúmque hactenus, & usque ad hæc tempora, " quocunque & qualitercunque, & perquemcunque modum factarum, illatarum, & patra- " tarum: Factis quoque potentiarijs, alijsque quibusvis malorum generibus nobis quovis " modo illatis & irrogatis, signanter in facto Excommunicationis cujusdam Sententiæ, olim " per quendam Dominum Joannem Eppum Zagrabiensem, pro parte & ad Instantiam ipsius " Capituli Zagrabiensis contra nos, in eo videlicet latæ & fulminatæ, ut filij nostri usque " ad quartam Generationem, ad nullos gradus, ordines, beneficiáque, & feuda, ipsorum " in medio, promovere & obtinere non potuissent, nec valuissent: litis, dissenssionis & " controversionis materiæ invidiæque fomites, & rancores malitiæ exorti fuissent, ac diu- " tius ventillatæ ac protractæ extitissent. Tamen nos, cum Eisdem Dominis Canonicis " de dicto Capitulo Zagrabiensi volentes, cupientes, & omnino desiderantes, amodo de- " inceps ac imposterum pacis ac amœnitatis pulchritudine, nec non tranquillitate frui, " potiri, gaudere que & permanere, omnia præmissa, in alterutrius mutua vicissitudine fa- " cta patrata, commissáque & exorta damna sedavimus & sopivimus, ac sic super Articu- " lis &, Clausulis, infra declarandis, & latius specificandis, hujusmodi pacem & firmam " concordiam, cum ipsis Dominis de Capitulo Zagrabiensi perpetuò duraturam fecimus & " stabilivimus. Primo. &c.

Præterea 1471. Die 2. Januarij. Prohibet Mathias Rex descensus militum in curijs Canonicorum, ex quo desolatæ fuissent, Eodem etiam Anno, circa *Festum Visitationis B.V.M.* DAMIANUS Horvath, & BLASIUS Magyar Sclavoniæ BANI omnes Nobiles ad Castrum *Rakonok* contra Turcas congregant. Suppeditante istud evocatione hæredum, præfati Damiani, Qui, occasione illa, à conjecto in carceres *NICOLAO Miksecz* portionem Ejus in *Sabnicza* occupavit una cum documentis litteralibus.

Innuit etiam bella hæc Turcica, *constitutionum* 1474 initium, sub *Mathia Rege*, ubi: *Quod cum nos* &c. *ad tractandum diversas res Regni, & præsertim factum defensionis contra Turcas, qui idem Regnum Ungariæ, diversis prælijs & spolijs affecerunt, & in futurum fortius, quam alias unquam dilacerare prætendunt convenissemus, &c.* OBSERVA: DIVERSIS PRÆLIJS ET SPOLIJS AFFECERUNT. CHRONICON quoque *Turcicum*, Wolfgangi Drechsleri, inter reliqua ad rem nostram hæc notat: *1469 Eodem tempore multi Christianorum in Stiria* (indubiè etiam Croatia & Sclavonia, ut *Contractus* præmissus loquitur) *& aliqua parte Germaniæ, à Turcis capti & abducti sunt.* Item: *1470 Turcicus exercitus in Ungaria usque ad Zagrabiam prædando grassatus, circiter decem hominum millia captiva abduxit. Eodem Anno Turcæ in Dalmatiam, Forum Julium, Stiriam excursiones fecerunt, multa ex hominibus & pecoribus præda abducta.* Tandem *1473. Turcæ cum ingenti multitudine, trajicientes in Ungariam, finitimas Civitates ad fluenta positas depopulati sunt.* Proinde cum Historici nostri, de his tacerent, posteriora cum Turcis bella tantum refferendo; hæc notâsse, volumus.

OSVALDUS Eppus hæc inter, juri & justitiæ intentus, Generalia, sive octavalia subditis suis 1467. denunciat Judicia. Ex quorum, litteris, cum de statu bonorum Ecclesiæ, cognosci possit, firmentúrque, quæ supra de *Sede vacante* dicta sunt, placet earum adferre exordium. *OSVALDUS DEI & Apostolicæ Sedis Gratia Episcopus Ecclesiæ Zagrabiensis. Omni-* " *bus &c. Salutem in salutis Largitore.* DIVINÆ Providentiæ dispensatio, Principibus, & " præcipuè Ecclesiarum Protectoribus, ideo in terrarum orbe, in populo, jus dominandi " ordinavit, atque reliquit, ut ipsi cunctorum & præsertim suorum Subditorum commo- " dis, felicique statui, continua meditatione, non minus quam suis propriis invigilent, & " intendant. Proinde ad futuram rei memoriam, cunctorum hominum notitiæ, harum

serie

„ serie volumus deducere in apertum. Quod à tempore felicis nostri introitus in Eppatum „ nostrum, postquam certorum & plurimorum fide dignorum, tam majorum, quam de„ cliviorum Status hominum relationibus veritate subnixis, de hoc edocti sumus ut videlicet „ Ipse Episcopatus, qui ferè à Quadraginta Annorum curriculis, per manus sæculares, dirè „ acritérque turbatus, lacessitus, nec non attritus est, atque extitit. Quæ omnia aures no„ stras sæpe sæpius invitas intrando, nostrum animum non parvo dolore exacerbârunt. „ Dum itaque hæc omnia, cordis nostri in intimis crebrò fuêre volutata, tabescente in no„ bis spiritu, ad pietatem & compassionem, subitúmque tanto periculo habendum reme„ dium sumus flexi, atque inclinati, statuimúsque &c. Quæ autem his Judicijs acta sunt, quáve ratione? regulati subditi inferius Cap. 17. dicetur.

Post visas positásque *Subditis* Leges, & constituto ordine, OSVALDUS *Decimas*, tanquam mensæ Episcopalis proventus jure vindicat. Profectò quæ vel nos ipsi habemus *transumpta*: sive Regum MATHIÆ, ac VLADISLAI, sive *sententiarum* coram diversis Judicibus fori utriusque, sive demum *Contractuum* cum Osvaldo initorum, illàque hic per extensum produceremus, res amplior esset. Hinc licet diversis Annis, acta sint, breviter ea tractabimus, omnia quæ *Decimarum* causas concernunt, sub Osvaldo Eppo commemoraturi, cum *Extractu* talium, quæ eruditionem, vel lumen aliquod adferunt, Itaque

1mò. à *Mathia* Rege de reddendis *in tota Diæcesi* ab omnibus Decimis, obtentis mandatis, in Anno 1481. alias obtinet Budâ litteras, quas hic exhibemus.

MATHIAS DEI Gratia Rex Hungariæ &c. Fidelibus Nostris universis & singulis; „ Nobilibus ac alterius cujuscunque status possessionatis hominibus Regni nostri Salavoniæ „ salutem & gratiam. Scripseramus nuper Fidelitati Universitatis Vestræ, ut de Bonis „ vestris, fideli nostro Reverendo in Christo Patri Domino *Osvaldo* Episcopo Zagrabiensi „ debitas decimas, juxta antiquam consvetudinem atque concordiam vestram, cum Eo „ superinde factam, exsolvi & extradari facere deberetis. Vos tamen, ut ex significatione „ Ejusdem D. Episcopi intelligimus, innixi Decreto, novissimè per Nos Regníque præ„ latos & Barones edito, quandam abusivam damnosámque novitatem, in exolvendis de„ cimis ipsis, introducere, & sic eas cum gravi damno, Ipsius Dñi Eppi, & jacturâ Suæ Ec„ clesiæ exolvere veletis. Cùm tamen profectò satis apertè, etiam ex prioribus litteris no„ stris colligere potuissetis, Vos, non benè, verba & continentias Decreti intellexisse, „ Ubi enim Vos in Decreto ipso fundamenta rationum vestrarum locatis, certè si aptè & „ debito modo perpenditis, isthinc manifestè & expresè declaratur, Comitatus illos, „ qui aliàs cum eorum Episcopis, cujus scilicet ditionis subsistunt, super exactione Deci„ mali aliquam concordiam habuissent, non secundùm Decretum novissimum, sed more „ antiquo & juxta concordiam ipsam, Decimas ipsas dare, exolvere debeant ac teneantur, „ Quapropter quemadmodum in dictis alijs litteris nostris commisimus; ita etiam præsen„ tibus, Fidelitati Vestræ firmissimè præcipimus & mandamus, quatenus statim receptis „ præsentibus, dictas decimas præfato Dño Eppo, & Suæ Ecclesiæ, juxta antiquam com„ positionem, & concordiam, atque etiam veterem consuetudinem vestrâm, liberè & si„ ne subterfugio extradare facere debeatis. Quoniam alioquin certificamus Vos, quod de „ cœtero superinde vobis non scribemus, sed Decimas ipsas de Bonis Vestris cum Birsagiis, „ & gravaminibus opportunis pro ipso Domino Episcopo exigi faciemus. Aliud ergo non „ facturi. Præsentibus perlectis exhibenti restitutis. Datum Budæ feria 6 proximâ, ante „ Festum B. Martini Eppi & Confessor. Anno Dñi 1481. Locus Sigili Impræssi. *Comissio* „ *propria D. Regis.*

Quibus, MATHIÆ Regis, mandatis factum est, ut ad reddendas Decimas plerique se obligarent. Sic NICOLAUS DEI GRATIA REX BOSNIÆ uti prohibet Titulus, sese obligat: *in universis possessionibus & Bonis nostris in Diæcesi Zagrabiensi habitis . . . absque omni cunctatione dicari permittemus & ipsas Decimas persolvi faciemus. Ubi autem aliqui Regnicolarum, Eidem deliberationi Regiæ Majestatis contrarium attentare niterentur Dicto Dño Episcopo, contra tales recusantes, favere & auxilio adesse volumus.* Datum *Rakovcza* &c. JOB de GARA similiter 1464 in SOKLOS. WK Item RASCLÆ DESPOTUS à Bonis suis *Feyerkro*, & *Thebessovina*. Juxta contractum jam initum, coram *Georgio* ut ait, Archi Eppo Colocensi, *Dominico* Præposito Albensi, *Ladislao* Veteris Budensis, *Casparo* Scepusiensi Præpositis: Magnifico Item *Johanne Ungor de Nadasd* Vaivoda. JOANNES quoque ZAGORIÆ, à Bonis *Castri Greben*. PETRUS à ZRINIO etiam ab omnibus Bonis & Possessionibus suis. Datum in *Zrinio* feria IV. ante Dominicam *Lætare*, 1485. ubi commemorat, quod *graves Censuræ Ecclesiasticæ contra se emanatæ & fulminatæ fuissent.* LADISLAUS de *Gereben* æque se obligat Osvaldo à possessione *Latbkovina* ad Castellum *Mogar* pertinente Spondendo: quod: *rebelles amplius non fovebit nec proteget.* STEPHANUS quoque Comes de *Blagay* coram Capitulo Zagrabiensi & GEORGIUS

Mikrolycky de Brosin JOANNES item Berenyrod de *Koztanicza* idem præstiterunt. MATHIA Rege, præmissas obligationes & contractus, confirmante: Suisque litteris inserente.

2dò. Nobiles Comitatus *Varasdinensis* ac *Crisiensis* Osvaldus in jus, ratione Decimarum, vocaverat: primùm coram *Michaele* Artium Liberalium Magistro, *Commissario*, & *Prædicatore Ecclesiæ Chasmensis*. à cujus *gravatoria* sententia appellaverant, ad Metropolitanam Colocensem Sedem. Ubi etiam convicti sunt, & *censuris* innodati. Porrò ex sententia hac, quædam notanda. Initium Ejus.

BLASIUS de Kamong Artium liberalium Mgr. Præpositus & Canonicus in Ecclesia Metropolitana Bacchiensi, nec non per Rssmum in Christo Patrem, & Dominum STEphanum miseratione Divina Ecclesiæ SS. Nerei & Achillei, Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbytherum Cardinalem, Archi Eppum Colocensem, & dictæ Bacchiensis Ecclesiarum canonicè unitarum, locíque Ejusdem Colocensis Comitem perpetuum, supremúmque Regnorum Cancellarium, Judex delegatus, & Commissarius specialiter deputatus. Commitens Parochis de *Toplica*, de *Szentiakob*, de S. *Clemente*, de S. *Elia*, de S. Elisabeth in *Szubodol*, de S. *Bartholomeo*, de *Martianz*, de *Ludbreg*, de *Pyrlak*, de *Sabaria*, de *Nedelich*, de *Varasd*, de *Biskupecz*, de *Mariassovcz*, & de *Vinicza*, ut Magnificum Georgium natum *Parisan* Comitem Zagoriæ, nec non Nobiles Joannem de *Szubodol* Vice Comitem Varasdinensem, Ladislavum & Casparem *Hergssy* de Zajezda, Fridericum *Otoocz* de Szent Jakob, Martinum *Barocz*, Joannem *Kernyacbuycz*, Benedictum *Bernakaycz*, Ladislaum de *Hergh*, Johannem *Matboycz*, Jeronimum de *Urbowcz*, Osvaldum *Urbanobcz*, Nicolamini *Madaraz*, alterum Nicolamini de *Szubodol* aliósque universos & singulos Nobiles, Cives Varasdinenses, & agrorum cultores Civitatis, Comitatus, & *Cultelli* Varasdinensis, in causam attractum & attractos, & ex adverso Principales & appellantes, de & super facto detentionis, usurpationis, denegationis, & occupationis non solutionísque Decimarum dicto Dño Osvaldo Eppo, Ecclesiæque suæ Zagrabiensi de dicto Cultello, sive Comitatu Varasdinensi provenire debentibus, alijsque damnis & injuriis causatis, serio admoneant, ut Dno Osvaldo Eppo Zagrabiensi, & suis Successoribus pro tempore constitutis, secundúm Leges consuetudinem, atque vim, formam, & tenorem litterarum, Privilegiorum & instrumentorum, ac limitationem & modificationem Divorum Regum, Banorum ac Ipsius MATHIÆ Regis Hungariæ adjudicatam, in Vigilia B Laurentij de Anno 1466. *Crisij* factam, universas Decimas persolvant, secus, eosdem ne fors contumaces futuros, *excommunicatos* publicè denuncient, *campanis pulsatis candelis accensis & extinctis, ac in signum maledictionis æternæ in terram projectis* Quod
„ si intra 15. Dies, ad pœnitentiam non reddiverint: *Pulsatis* campanis, candellis accensis
„ & extinctis, Cruce Cerea religione induta, aquam benedictam aspergendo, ad fugan-
„ dum Dœmones, qui Eos sic detinent alligatos, & suis laqueis catenatos, orantes, quod
„ Dominus noster JESUS Christus, Eosdem ad Catholicam fidem, & S. Matris Ecclesiæ
„ gremium adducere dignetur, ne eos in tali duritiâ & perversitate, dies Eorum finire
„ permittat, cum decantatione responsorij: *Revelabunt Cæli Iniquitatem Judæ*, & Psalmi *DE-*
„ *US laudem meam non tacueris* cum Antiph. *Media vita* &c. hoc facto & finito ad Januam Ec-
„ clesiarum Vestrarum, una cum Ecclesiasticis procedendo, ad terorem ut ipsi excommu-
„ nicati, aggravati, quo citius ad pœnitentiam redeant, tres Lapides versus domus, & habita-
„ tiones eorundē projciendo, in signum maledictionis æternæ, quam DEus dedit Dathan &
„ Abyron, quos vivos terra absorbuit, soleniter publicetis, & denuncietis, ac per ve-
„ stros faciatis denunciare, & ab omnibus Christi fidelibus arctius evitare facientes.

Narrat dein in eadem sententia. Si post hæc iterum manserint contumaces, ut tunc elapsis diebus 15. à participatione & Communione Ipsorum, sub pœna *Excommunicationis* reliqui fideles arceantur, neque audeat quisquam, cum Præfatis: loqui, sedere. stare, ambulare, servire, hospitari, commedere, cibum, aquam, ignem præbere, aut quodvis humanitatis præstare officium, præterquam in Casibus à jure permissis. Si nec his moverentur, sed more aspidum surdarum, sustinerent hæc omnia animis induratis, tunc omnes, Civitates, oppida, Castra, villæ, suburbia, quarumcunque Ecclesiarum Collegia, Parochiæ & alia loca, in quibus *præmissi* manerent, *Ecclesiastico interdicto* subjaceant. Divina cessent per Triduum, nec ulla, stante interdicto, Sacramenta ministrentur, *nisi pœnitentia* & *Baptismus*. *Eucharistia* item infirmis, & *Matrimonium* sine Ecclesiastica solennitate contrahatur. Ecclesiastica autem sepultura omnibus denegetur, quoad *præfati aggravati* ex locis illis non abiverint. Quod si vero Diaboli membra effecti, nec hæc curraverint, nobis pro *sæculari brachio* scribatur. Et hæc sententia nostra, ad valvas Ecclesiarum ubique appendatur, ut cunctis fiat manifesta. Absolutionem à Censuris prædictis, *Nobis & superiori nostro reservamus*: Quidquid acciderit, per Instrumentum publicum nobis significetur. *Datum Bacchiæ, Die Mercurij, septima Mensis Februarij*, 1470, Subscripti testes: *Ambrosius* de Chrenyug, *Blasius* de Szege-

Szegedino Vice Succentor Chori Ecclesiæ Bacchiensis, *Ladislaus* de Bacchya Presbyt. *Emericus* de Daniovcz Clericus Bacchiensis. *Stephanus* Clericus natus Francisci de Choryo, publicus Sacra, & Imperiali Authoritate Notarius.

Ex Præmissis Modum *ferendarum* antiquitus *Censurarum* discimus. Quem in finem etiam, retulimus. *In Cantuali Veteri* Ecclesiæ Zagrabiensis, extat *modus* Excommunicationis.

Gravem hanc *Blasij* sententiam *aggravati* ad Sedem Apostolicam appellârunt. Quod, re cognita, *Mathias* inhibet, in mandato suo exprimens: *Ecclesiasticum interdictum ubique imposuissent, à quo Ipsi ad Apostolicam Sedem Appellassent, cum igitur percepissemus . . . Et in hoc non solum partibus ipsis graves impendere Labores, & expensas*, Sed consvetudini & libertati Regni nostri *non mediocre præjudicium irrogari, cupientes penitus & in toto, litem hanc, inter partes prædictas extinguere, & consopire, præcipuè verò ut Ipse Dominus Episcopus, & sui Successores hujus modi litibus amplius impediti, majoribus Regni nostri negotijs, incumbentes: liberè vacare nequeant.* Mandat ut in sui, Baronum, Prælatorúmque præsentiam, compareant in *Dominica Pannis Palmarum.* Sed cum non comparuissent. Anno 1474. feria IV. proxima, ante Festum B. Georgij Martyris, assidentibus OSVALDO Eppo Zagrabiensi, ac Rssmis, Reverendísque in Christo Patribus *Joanne* Episcopo Ecclesiæ Agriensis, & *Postulato Strigon ensi. Gabriele* Archi-Eppo Colocensi, altero *Gabriele* Albensi Transyl. *Alberto* Vesprimien. *Demetrio* Jaurnen. *Joanne* Chanadiensi. Ecclesiarum Eppis. Ac Magnificis, Michaele *Orszag* de Gwth Regni Hungariæ Palatino, & Judice Cumanorum; Emerico de *Zapolya* Comite terræ Scepusien. Comite Stephano de *Bator* Judicæ Curiæ Nostræ. Joanne *Grust* Summo Thesaurario Nostro, & Prædicti Regni Nostri Bano, Emerico de *Palocz* Agazonum nostrorum Regalium Mgro. Joanne Comite de *Pozyn* & de S. Georgio, & Ladislao de *Marczaly* Comite Comitatus Simegien. visis juribus legitimis, & Episcopi *Osvaldi* fundamen is, Ipsis Nobilibus, *perpetuum silentium* impositum, sub gravi comminat one: *ut ab ulteriori prosecutione causæ prænotatæ, occasione præmissorum, publicè contra libertatem Regni Nostri in manifestam Ecclesiæ Zagrabiensis injuriam, seu jacturam motæ, penitus cessare, seu supersedere debeant, & teneantur.* Interim Præfati Nobiles, prouti & Comitatus Crisiensis *Adam* videlicet de Szentlelek, *Ladislaus* de Greben, *Paulus* Mikchech, *Ladislaus* Hergisij, *Petrus* Koynszky, *Matheus* Kwsther, *Petrus* Bigzady, *Stephanus* Biczkele, & *Ladislaus* Vitezisij limitationi Regiæ in *Generali Congregatione* 1466. coram Rege Mathia innitæ, quoad modum exolvendarum Decimarum sese accommodant. In quibus, superinde confectis litteris, ultra prædictum *modum* solvendarum Decimarum, hæc pro *eruditione* continentur. *Quod cum præfata Ecclesia Zagrabiensis, ferè per 30. Annos, & citra, vero Pastore fuit destituta, & per manus Laicales distracta, non debent curari Regestra, secundum quæ non à veris Prælatis, ipsius Ecclesiæ Zagrabiensis, sed ab intrusis, & potentibus, & Tyrannis Laicis fuerunt ipsæ Decimæ dicatæ & Registatæ* &c. Ubi *Intrusorum* Episcoporum nomine, quos habeat? nil statuimus. Credibile est, *Benedictum*, *Balthasarem*, & *Demetrium* designari. Hæc insuper Prælatorum & Baronum nomina, *Crisij* cum Rege assidentium suppeditat: nempe *Stephano* Archi Eppo Colocensi Summo & Secretario Cancellario nostro. Observo: *Cardinalem* Anno hoc 1466. *Stephanum* non exprimi, fors hanc dignitatem necdum fuerat assecutus. *Joanne* Quinque Ecclesiensi *Thoma* Nitriensi. Item Magnificis *Joanne* Comite *Zagoriæ*, altero *Joanne* Thuz de Lak, Janitorum Nostrorum Regalium Mgro & *Prædicti* Regni nostri *Banis*. *Joanne* de Rozgon Tavernicorum. *Emerico* de Palocz Pincernarum nostrorum Regalium Mgris & *Job de Gara*, cœterísque &c.

3tio Nobiles quoque in districtu de *Camarca* coram *Joanne Lectore, Canonico, & Locumtenente Ecclesiæ Chasmensis*. In merito earundem Decimarum convicit. Causam habens maximam cum *Andrea* Parocho de *Prodavicz*. Qui Osvaldo restitit, cum eodem, coram *Joanne* Abbate de Zagrabia litem habens. Et licèt causâ cecidisset Parochus. Affectum tantum apud Osvaldum consecutus est, ut Episcopi causas omnes dehinc is, ageret, & prosequeretur.

Sane si unquam *Decimarum* causæ agitatæ sunt. Sub *Mathia* vel maximè floruerunt. In favorem totius Cleri, sequens invenimus instrumentum.

„ Nos MATHIAS DEI Gratia Rex Hungariæ, Bohemiæ &c. memoriæ commenda-
„ mus tenore præsentium significantes, quibus expedit Universis, Quod cum nuper in
„ Congregatione Generali Prælatorum, & Baronum, ac omnium Regnicolarum nostro-
„ rum, in hac Civitate nostra Budensi celebrata. Ex parte Dominorum Episcoporum, ac
„ Prælatorum Ecclesiarum Regni nostri, coram nobis, ac Eisdem Baronibus & Regnico-
„ lis nostris plurimæ fuissent habitæ quæstiones, contra nonnullos Regnicolas nostros, qui,
„ quadam cupiditate ducti, à certis jam temporibus, quasdam damnabiles abusiones in-
„ troduxissent, per Quas de Proventibus Decimalibus ipsarum Ecclesiarum, certas partes
„ pro se ipsis, usurpare & percipere niterentur, Quidam enim cellaria aliqua in Bonis suis

„ pro se occupare & retinere, Decimásque de ipsis percipere. Alij verò singulis Annis, „ certam summam pecuniæ: Alij quoque alias partes varijs nominibus appellatas ex ipsis decimis pro se retinere, & extorquere conarentur, in grave præjudicium jurium Ecclesiasticorum, Cathedralium Ecclesiarum ac Prælatorum Earundem jacturam. Super quo ex parte præfatorum Dominorum Prælatorum extitit Majestati nostræ supplicatum, ut de opportuno superinde remedio providere dignaremur. Nos igitur habito super hoc maturo cum Baronibus, ac universis Regnicolis nostris consilio, pari ac unanimi, & deliberata nostra, ac omnium Regnicolarum nostrorum voluntate & consensu, conclusimus & determinavimus hujusmodi abusiones execrabiles, seu corruptelas pœnitus & omnino abolendas, extirpandas, & prorsus exterminandas, imò abolemus, extirpamus, & præsentium vigore pœnitus exterminamus, decernentes, & omnibus Regnicolis & Subditis nostris firmiter præcipientes, ut nullus de cœtero Magnatum, Nobilium, aut aliorum quorumcumque Regnicolarum nostrorum, vel aliorum Officialium aliquam partem de Decimis Ecclesiarum, quocunque nomine vocatam, quacunque ratione, vel sub quacunque occasione sibi vendicare, seu usurpare, aut retinere, vel percipere valeat aliquo pacto. Decimæ enim in Patrimonium Christo dedicatæ, Ecclesijsque DEI, ac earundem Ministris deputatæ integrè, purè, & absquè omni diminutione, Ipsis Ecclesijs, & Earum Ministris exolvi & administrari debent, Nec quibuspiam Sæcularium Personarum, liceat aliquam partem ut præmissum est, sibi vendicare de Decimis; cùm sint ad eas percipiendas pœnitus incapaces, nullóque jure, aut ratione, id fieri permittatur. In cujus rei memoriam firmitatemque perpetuam, præsentes litteras nostras. Secreti Sigilli nostri munimine roboratas duximus concedendas. Datum Budæ in Festo B. Adalberti Episcopi, & Martyris. Anno Dñi 1486. Regnorum nostrorum Hungariæ &c. XXIX. Bohemiæ verò XVII Locus Sigilli impendentis. *Commissio propria D. Regis.*

Eodem Anno, Mandatum satis grave, & Regij Zelus. ad Sclavoniæ Nobiles dedit *Mathias*. Ut suæ limitationi, & pactis cum Osvaldo, stare debeant. Mandatum, Regia Authoritate plenum est. Inter reliqua dicit: *per omne nefas, jura & Proventus Ecclesiasticos vobismet ipsis velitis usurpare. Quæ res, quantum hominibus Christianis conveniat, vosmetipsi satis potestis intelligere. Nobis verò qui Ecclesiarum Regni nostri Patroni sumus, profectò vehementer displicet. Neque si deinceps his violentijs, insolentijs, & subterfugijs. Cùm Ecclesia illa uti perexeritis, evitare poterimus, quin ita provideamus, ut Ecclesia ipsa velitis nolitis suis juribus liberè utatur. Unde si forsitan vobis aut damni aut detrimenti evenerit, majus fortè quam putaretis, debebitis nemini imputare, quam vobismetipsis* post alia satis gravia, *Præsentibus quoque committimus, Bano Regni Nostri Sclavoniæ, ut ipse vos, & vestrum quemlibet ad integram exolutionem Decimarum, etiam per occupationes Bonorum, & Possessionum vestrarum arctius compellat, & adstringat Authoritate nostra Regia, sibi in hac parte attributa, mediante* &c. Datum in Civitate nostra Lawa Australi, in Festo B. Hieronymi Confess. Anno Domini 1486 *Locus Sigilli impressi. Comissio propria Dñi Regis.*

Ad talismodi mandatum Regium, supplices reddiverunt ad Mathiam Regem, nobiles. Qui, *sub Dato Egenburg* in Vigilia Festi B. Andreæ Apostoli 1486. *EMERICO de Zapolya*. Comiti Scepusiensi, Regni Hungariæ PALATINO, ac Egregio *Thomæ* de *DRAG*. Personali Præsentiæ Locumtenenti, *Nec non Mgro Tavernicorum Nostrorum*. Item R Patri *Michaeli de Thurocz* Suffraganeo Strigoniensi, ac VVbus DD. *Dominico* Præposito Albensi. *CRISTANNO* Auditori Rſſmi D. Legati. *Thomæ* de *Ibasalva*, S. Georgij. *Benedicto Csepely*, de Hantha Præpositis. Nec non, *Michaeli* Lectori, ac *Georgio* de *Priolis* Rectori Capellæ B. V. M. & *Canonicis* Ecclesiæ *Strigoniensis*. Præterea Mgris Protho-Notarijs, & Juratis Assessoribus Curiæ Judicij Nostri, sive Regiæ. *Tam scilicet Spiritualibus quàm Sæcularibus* (sunt verba) ut negotium revideant, determinent, vel accommodent. Qualiter autem, hoc factum fuerit? infra post reliqua Osvaldi, *Instrumentum* positum, docet.

Hactenus strictim, quantum potuimus, quæ egit OSVALDUS pro revindicandis *Decimis* retulimus. Reliqua nunc, quæ obtinuimus prosequemur, ac Annorum serie, cum de magno hoc Episcopo plurima haberemus. Itaque

Anno 1470. concordia facta, intra Bartholomeum *Cantorem* Andream AA. LL. Magr. & *Parochum* S. Joannis, *in Nova villa*, *Collegium* item *Prabendariorum* Chori Ecclesiæ Zagrabiensis, tanquam *Actores*, coram Wimando *Abbate*, & Joanne *Lectore* C. Zagr. delegatis Judicibus à Paulo II. Pontifice Romano. Ac Joannem *Parochum* SS. Trinitatis in *Glaunicza* ratione debitarum Actoribus Decimarum.

Eodem Anno ex Mathiæ literis, Die *Cinerum* Viennâ datis, JOANNI de Kladus, Castra sua *Pecch*, & *Kladus* (sunt subjecta hodie, Turcis) vendendi Joanni Thuz pro 4000. floren. Auri. Cui *Prædium* Blagussa, à *Fratre suo* Osvaldo Episcopo, donatum, Rex confirmat. Exprimitque. *Aderatque eo tempore Joannes Thuz de Lak, tunc Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclavoniæ*

vonia BANUS, *& Mgr Curiæ Regiæ, pro reformatione Confiniorum Dalmatiæ, & Croatiæ, ac Castrorum Regiorum KLISZ, & ZYN expugnatione.* Verùm quæ illa fuit Confiniorum reformatio? ignoramus. Ex ijs, quæ *Georgius Marcellevich* eruit: videntur, huc propinquius *posita confinia.* Narrat enim Joannem de Kladus, Castra sua ideo vendidisse, quod admonitus fuerit, ut *expensas bellorum*, solveret. *Qui videns se non solvendo*, sunt verba Marcellev. *nec etiam fore ut se à Turcis, qui in ijs partibus grassabantur, ac ab alijs hostibus possit defendere, Castra sua, Joanni Thuz, Rege consentiente vendidit & imperpetuavit.*

Anno 1475. *Budâ*, Feria 2. post Fest. *S. Francisci.* MATHIAS Rex, pro Possessione Capuli *Mindszenth*, concedit *Fora Annualia* in Festis S. *Georgij. Assumptionis. Omnium Sanctorum.* Et Dominica ante Festum *S. Margaritha.* Forum Hebdomadale liberum, singulis tertijs ferijs more Civitatum Regalium. *Item* per alias literas, Nundinas in Festo *SS. Philippi* & *Jacobi.* Festo S. Bartholomæi, ac Forum Hebdomadale, ferijs Quartis.

Pro Decimis Zagorianis litem movit Capitulum, contra Georgium Comitem Zagoriæ Perpetuum, *Joannem* ac *Villhelmum* Fratres Ejus carnales. *Barbaram* relictam Joannis Comitis Zagrabien. *Nicolaum* de Gotalovcz, Vice-Comitem Varasdinensem, *Joannem* Matkovich de Machò. *Nicolaum* Hergffi de Zaiezda. Andream Lanihar de Bathina, *Ladislaum* de Kumur *Joannem* de Orehovecz. *Joannem* de Zadrovcz *Petrum* de Konska *Martinum* Prennar & *Colomanum* de Mirkovcz. & triumphat coram *Joanne* Archid. Chasmensi, & *Vicario* Osvaldi Episcopi, uti & in *Sede Colocensi*, quo fuerat appellata causa. Romam dein, sed Mathia vetante, partes, per contractum, litem sopiunt. Uti & cum *Dorothea* de Zomzedvara, relicta Barthol. de Frangepanibus, ac Joannis Hennig postea, ratione Decimarum inferioris, & Superioris *Sztubicza. Pancratius* Ausperg Capitaneus Metlicæ & Szamobor, Ejúsque Castellani à *Wimando* Abbate, ob quædam spolia convicti.

Anno 1476 Turcarum metus, ac in has partes excursiones fuerint. Legitur *Mathias* ad Savum fluvium Castellum *Szabacs* expugnavisse apud Bonfin. ac alios. Sed Zagrabia metu non caruit, cum *Cistercienfium* PP. Domus, ex quibus Regno & Capitulo, periculum imminebat, diruendas mandet, suntque dirutæ. Patres ad Vicinos abivêre *sui Ordinis* conventus, Abbas ad Dies vitæ, mansit. Hácve ratione, atque Anno, *Cistercienses* Zagrabiæ defierunt. Necdum reversi Bonis nempe Eorum, collatis, applicatísque alio. Ut suis locis dicetur.

OSVALDUS quoque Eppus, in datis Caplo Litteris *Festi S. Stephani Regis*, deplorat beata & felicissima Priorum Epporum transivisse tempora, sibi autem inquietissimam vitam esse commemorat, ob varias domesticas, & ab *hostibus quotidianas* calamitates, quibus Regnum jam ferè compressum & attritum est. Hinc mirari debere neminem, si Antecessores suos, in Gubernatione nequeat immitari: sed calamitoso ævo, usibus & vivendi forma, cogatur accomodare se. Contra *incursiones Turcarum*, ut sibi, subditis & Ecclesiæ consuleret, primùm Curiam suam Zagrabiensem, deinde, quam plurima alia fortalitia, & munitiones, pro subditorum & Ecclesiæ tutella necessarias, non sine gravaminibus Ipsorum erexisse. Capitulum quoque pro sua, & suorum tuitione, ex Mathiæ Regis consensu, *Aream Capitularem* & Curias suas munitione opportuna circumvallare, & circa Custodiam munitionis, & conservationem: *Novos* usus inducere cogi. Idcirco pro *Custodia* Laicos, & Clericos, qui intenderent, admittendos indulget & illocandos. Authoritate Capitulo attributa, *illocandis Civibus*, Statuta & Leges condendi, Eósque pleno jure, & directo Capitulo Dominio subjicit Mathia Rege approbante & consentiente. Hi, *Cives Areæ Capitularis* vocantur.

Bellorum horum, Bonfinius, exiguam facit mentionem. *Michov. Cromer.* diffusius. Uti & *Spondanus.* Qui, inter reliqua narrat: *Ad medium Octobris Turci facta ex Bosna excursione, Carnioliam, Carinthiam, & Stiriæ partem vehementer vastarunt, prædámque ingentem, & plurima mortalium millia captiva abduxerunt, moxque munitiones à Mathia ad Sinderoviam extructas expugnârunt. Ipso Mahomete cum majoribus copijs haud longè, successum rei exspectante.* Proinde Sclavonia quoque, in magnis fuerit calamitatibus. Ut Deplorat *Osvaldus.* Profectò Sclavoniæ nostræ decor his temporibus, omnis ferè interijt. Castra diruta, quàmplurima; ut alibi *adjuvante DEO* dicturi. Religiosorum monasteria relicta; ruinis suis, miserias, hodiedum loquuntur. Templa sacra profanata, tot tantæque familiæ aut Cæsæ, aut Captivæ, aut Novas quærentes. Colonias Quæ diversa *instrumenta*, historia tacente, perhibent, & testantur. Generatim quidem. Ut nos ipsi, aliquorum infra mentionem facturi.

Sed &, Annis sequentibus, ac usque ad Annum 1484 inclusivè. Bella duràsse Turcica his in partibus *instrumenta* testantur. Profectò, in instrumento 1479. Quô, in *Novigrad* Die 2. *Festi S. Gregorij*, Martinus *Frangepanus* cum sua consorte *Dorothea*, Castellum *Gradecz* cum Ejusdem Pertinentijs, in manus resignat Capituli, cum *Sztari Gradecz* &c. Ac *Petrinia pro Conservatione jobagionum noviter contra Turcas erecta*, ut ibi diceretur. Ex quo colligimus

Petrinam per *Turcas* haud fuisse constructam, at postea reparatam solum: *2do* Excursiones quoque fuisse, cum pro conservatione *jobagionum*, erecta dicatur. In alio autem peractæ *Inquisitionis* instrumento, contra *Joannem Henning* de Zomzedvara, Anno 1484. Legimus: *Quod Capitulares de conflictu cum Turcis tunc circa Vunnam facto redeuntes, in possessione Mraczlin ad Lukavecz pertinente, verberasset*, & vulnerâsset.

Chronicon Turcicum 1479. Mahometem in Ungariam cum magno exercitu profectum scribit, & plurimos greges Captivorum Christianorum abegisse. 1481. Inferiorem *Mysiam* sive Bosnam, ademptam Turcis fuisse à Mathia, ac 1484. Valachiam à Turcis devictam fuisse, In *Sigleri* quoque Chronologia bellorum horum est mentio. Et quidem de *Partibus nostris*. 1483. *Turcæ per Croatiam circiter 7000. Equites, in Carinthiam & Carnioliam excurrunt, omnia ferro & igne vastant, & decem millia hominum captivorum abducunt. Præda verò Onustos Turcas, Provinciæ Præfecti 1484. Wolffgangus Despota, & Bernhardus de Frangepan, adoriuntur, ad internecionem cadunt, omnibus recuperatis.* Miramur proinde Scriptorum aliquos, Mathiam Turcica bella neglexisse dum narrant, imò clam fecisse inducias 1476. & arma in Imperatorem vertisse.

Pugnabat cum Turcis, ut superiora indicant, & cum Imperatore Mathias. De quibus videndi, qui res has, ex instituto scripserunt. Nos in *Banorum Historia*, quæ nunc ex munumentis Ecclesiæ innuimus, copiosius omnia tractabimus. Nunc meminisse voluimus, quod *Ecclesia ista*: debeamus. De Bellis MATHIÆ ad *Stiriam* gestis, brevitate possibili reminiscemur. BERNARDUS Salisburgensis Archi-Eppus contra vim Cæsaris, Mathiæ Regis Hungariæ implorat patrocinium, Regem Advocatum & Protectorem Ecclesiæ suæ constituens. Acceptat conditionem Mathias, lege ea: ut præsidia milite Regis compleantur. Consentit Bernardus, dátque mandata in *Stiriam*, & *Carinthiam* de Hungaris recipiendis. *Petovium*, certis pactis Hungaris traditum, *Raina* item & *Leibnizium*, vicináqne his Castra. 1479. Sequenti autem Anno, *Frisacum* Hungaris se dedidit, Rexque MATHIAS, apertum se Cæsari, hostem declarat, Oppida Rakenspurgum, Firstenfeldam, aliáque capit. Ob Turcarum incursiones, pax intra Cæsarem Mathiam quæritur, sed irrita fuère studia, multa Oppida per Stiriam & Carinthiam capta, populationibus vexata. Turcæ quoque 1480. has partes, uti & *Stiriam* depopulantur. Quâ occasione tuentur se una Stiri & Ungari At recedentibus Barbaris, Partem Carinthiæ superiorem cremant, vastant Hungari. SIXTUS IV, Studet conciliandis partibus, Alijque Principes, vanis iterum conatibus, cum neuter remittere velet hostium, quæ postulabat. Itaque 1481. ad Oppidum *Stiriæ* Marburgū locatur exercitus Hungarus, circa Festa Paschalia: misso tamen per Cæsarem succursu, liberatum. *Joannes* Lavantinus Episcopus adhæret Mathiæ, Ipsiúsque custodiæ Castra sua credidit. Leonardus Cholnizius Ductor Copiarum Provinciæ, Hungaros in Castro quodam cingit obsidet, & dum jamjam potiri Castro debuisset, ob Hungarorum adventum & suppetias, obsidionem solvere cogitur, Magna damna perpessa est Stiria, ut Scriptores testantur. Neque pax, *Stiria*, & *Carinthia* ad Annum 1488. reddita. Viennam 1486. aliáque Austriæ loca, expugnaverat Mathias. Sed de his consulendi Scriptores alij.

Occasióne belli hujus in Styria gesti, *Zagrabiæ* Rex Mathias 1479. & diutius quidam commoratus est, ut tanta docent monumenta, Litteræ, gratiæ. *Vide pag. 41.* Castrum OSVALDO pro Episcoporum Residentia dedisse, Legitur. *Dominicanos* ad Civitatem Regiam, & D. Catharinæ Sacrum templum transtulit. Capitulo Villam *Cisterciensium* Oppatovinæ vocatam contulit. Privilegia Ecclesiæ confirmat. Et quia mandaverat ad preces Nobilium, ut Subditi Ecclesiæ in medium contribuerent. Hoc Privilegio novo de dato *Zagrabiæ* Feria 2. ante Festum S. Pauli 1480. tollit, Subditósque Ecclesiæ immunitat. Pluráque alia.

His modicum immorati, ad alia transeamus. 1478. Die 27. Julij, contra *Joannem* Lectorem, & Can. Zagr. litem fuisse motam invenimus, quod quendam Fr. *Thomam* ex Ordine Prædicatorum, nec non Servum Fr. *Antonij* etiam Dominicani, Beatricis Reginæ Confessarij, de Italia, cum certis rebus, ad Reginam pertinentibus, spoliatos procurâsset. Causa mota, agitata est, ex mandato GABRIELIS Cardinalis Agriensis, in *Regnis Hungariæ & Bohemiæ Legati à Latere* coram *Joanne Drisan* Acolyto Sedis Apostolicæ, Archidi. Chasmensi. & C. Zag. Lector absolutus est. Anno 1497. IV. Non. Maj. Sixtus IV Pontif. dispensat, cum Andrea de *Ivanich* Archid. Cathedr. ut absens, sive in studio, ubi illud vigeret generale, sive in servitio Osvaldi, vel alterius Eppi, sive *Mathiæ*, aut Alterius Regis, vel Domini temporalis, per septennium proventus Archidiaconatus, & Canonicatus, ac aliorum si quæ haberet beneficiorum percipere possit. Quod binis Litteris Pontifex significat, *Abbati Monasterii* de Bela, & *Lectori* ac *Cantori* Chasmensis Ecclesiæ, directis. Quibus Andream obligat. ut intra primum Annum, dicti Septenii, *Subdiaconatum* accipiat., cùm *Archidiaconus* in Ecclesia Zagrab. dignitas esset (non tamen major, post Pontificalem) cuique cura *juris-*

dictio-

ditionis immineret. Cœterùm nec ratione hujus, nec cujuscunque alterius beneficii *curati*, Superiores Sacros Ordines, intra id tempus suscipere sit obligatus. Per *Vicarios* tamen Archidiaconatûs, aliorúmque beneficiorum curam habeat.

1481. tam Præbendarij chori Ecclesiæ Zagr. quàm Ipsum Zagrabiense Capitulum, ratione *Banievopolye* Osvaldo supplicant. Verùm ut erat religiosus, *jure* ut agant, admonet, ne Successores Episcopi. culpare Osvaldum debeant. Itáque per sententiam, contra Osvaldum, & *Præbendarij* ex præscriptione aquirunt terras, fœnilia, quæ intra Episcopi terras possidebant, Et *Capitulum* in sua causa triumphat. At non ita successit, *Ecclesiæ Chasmensis Præbendariorum Collegio.* Qui eam receperunt sententiam, ut nemo in toto Episcopatu Zagrabiensi, possit Bona aliqua, terras, fœnilia, aut alias hæreditates quocunque titulo obtentas & aquisitas, Aræ, Præbendæ, Rectori, aut Præbendario alicujus Aræ, ac Præbendæ alicui, dare, aut conferre, sine consensu, aut permissione Ejusdem Eppi Zagr. Et si cum consensu fiat; non aliter, nisi cum servitijs & solutionibus ab ijsdem terris, & reliquis bonis, Fisco Eppali obvenientibus. Porrò *Processus* iste coram Michaele ORSZAG de Guth Hungariæ Palatino, aliisque, in Generali Congregatione *Crisij* habita, absolutus, florentem his temporibus Ecclesiæ Chasmensis statum declarat, magnam Ecclesiæ illius præbens, notitiam. Hunc parte Historiarum III. producturi.

1484. Mathias Rex indulget Capitulo, ut contra Joannem *Ernuszt* causâ Decimarum Csaktornensium, *Romæ* agant. Comes *Stephanus Blagai* in Colocensi Sede, coram *Joanne Custode*, & Vicario *Petri Archi Eppi* Colocensis, & Cancellarii Regis, ratione Decimarum à *Castro Blagai*, ad Castrum Episcopale *Hrasztovicza* convincitur 1485. & sententia INNOCENTIO VIII. 1486. Die 7. Aprilis refertur. *Catharina* similiter *Bradach* de Ladimorcz, ad solvendas à Bonis, *Bisztricza*, Capitulo Decimas, per sententiam *Casparis Bodo* de Gyurgij Mgri Janitorum Reginæ, & Comitis Cottus Tolnensis, Item, *Joannis de Korotna* Comitis Simighen. ac Protho-Notarij Palatinalis, in Regnis Dalmatiæ Croat. & Sclav. Judices deputatos, obligata. 1487. Mortuo *Emerico* de *Zapolya* Palatino, URBANUS Episcopus Agriensis, ac *Thesaurarius Regis*, visis Capituli juribus, in possessionibus *Narth*, *Kobilye*, *Kralievcz* &c. Capitulo iterùm eas adjudicat.

Quo eodem **Anno**, ex dispositione *Statuum*, fuerant ordinati, Equites Episcopales centum, sub Castro *Medve* tenendi. Præterea dispositum, ut *Bastiam* in Medve, repararet Episcopus; *cum juris foret Ecclesiæ.* LADISLAUS NIANUS œconomus Eppi, *Bastiam* reparandam accipit. Scribitque Equites Absenti dum hæc aperiuntur Osvaldo, Nianus severè ab Episcopo repræhensus Prohibétque Niano, ne ullos aut daret milites, aut *Bastium* repararet, *Cum Status non possint*, ita in Epistola sua Osvaldus, *cum Ecclesiæ hominibus disponere*; Sed Rex ipse. *Datum in Nova Civitate. Festo, S. Augustini.* Hanc, credit P. *Szentivan.* Neapolim Austriæ, sive *Neostadium* esse.

Hoc etiam Anno INNOCENTIO VIII. Propositum à Capitulo: *Statuta* Capituli, jam à 150. Annis edita, mutatis circumstantijs inutilia evasisse, nec posse observari. Adeoque petit Capitulum, ab ijs, & juramento absolvi. Annuit precibus Pontifex, dans facultatem Capitulo, *cum Episcopo suo*, & antiqua mutandi, & condendi nova. Novísque statutis dat robur obligandi. Anno autem sequenti, JOANNES Eppus *Syrmiensis*, Mathiæ Regis ad Pontificem missus Orator, imperrat Apostolica mandata, ad Angelum Ostiensem, Sedis Apostolicæ *Nuncium*, Decimarum in Hungaria causas determinandi.

1490. Mathias Rex, Viennæ *Dominica Palmarum*, ad Diem IV. Aprilis incidente. ex Apoplexia moritur, vide *Bonfin. Sambucum Istvanffium* &c, Et licèt plures Coronam Ungariæ appeterent, ac armis quærerent (videndi Præfati Authores) VLADISLAUS Idibus Julij declaratur, Et ALBÆ XI. Kalend Octobris, ab OSVALDO Zagrabiensi Episcopo coronatur. Quod OSVALDUS hoc officio functus sit, evenit inde, quod Episcoporum *Senior* fuerit. *Strigoniensis*, Hippolythus Estensis, nescio qua de causa, Strigonii remansit. *Petrus* Colocensis, aut in Custodia adhuc fuerit, (de quo EIUS casu Spondanus, & Author libri, *Natales Archi Epporum Colocensium* bene scribunt. . Istvanff. quoque Pag. XI. Et in monumentis, *Captivitatis* mentionem invenimus, causa in ijs tacetur) aut recens dimissus, privatim vixerit. Post ipsam tamen., Vladislai Coronationem, res fluctuabant admodum. *vide Istvanff.* Osvaldus à partibus Vladislai constanter, & Ejusdem *Thesaurarius*, ut docent *tituli.* Sed an nunc constitutus? vel sub *Mathia*, ignoramus. Cœterum dum Civitas *Montis Gracensis Zagrabiensis*, à Vladislao defecisset, uti & *Istvanff.* pag 4. perhiberet, impetravit Eppus gratiam Civitati, injurias condonans, quas tam Ipse, quam Ecclesia occasione tali, ab intromissis ad Civitatem Alemanis accepisset

Turcas iterùm, ad has irruisse partes, non solum *Istvanf.* narrat pag. XI. & 18. Verùm & Vladislai Epistola, ad Osvaldum Episcopum, Cassovia perscripta, commemorat Ubi,

postquam LADISLAO Egervara Bano, Castri *Rakonok* administrationem committeret, quoad de *proprietate* inter Osvaldum & Joannem Corvinum cognosci possit, addit: *Praeterea intelleximus, quod Turci omnes vias, ad Castrum Nostrum JAICZA undique obsederint, ita ut ad idem Victualia hactenus inferri nequiverint. Gentes quas habetis, deputetis in subsidium cæterorum fidelium nostrorum, quibus etiam præcipimus ut omnibus modis possibilibus, victualia importent ad ipsum Castrum nostrum.* Fecerítque satis voluntati Regiæ Osvaldus, ex ijs, quæ infra dicentur indubium est.

1495. Ex mandato VLADISLAI quodam, ad Joannem de KOROTNA, Palatinalem & Regni Sclavoniæ Proto-Notarium, discimus: Anno hoc per Vladislaum, Officij Banalis factam fuisse reformationem, mutatúmque *Banale* Sigillum. Petentibus enim Regij mandati *executionem*, Proto-Notarius respondet: *se debite procedere non posse, propter Banalis Officij, & Sigilli mutationem.* Perferuntur hæc ad Regem, Is rem comittit Chasmensibus, *feria IV. ante Cathed. D. Petri Verouczе.* Verùm, quæ illa reformatio? Et quæ Sigilli mutatio? fatemur, rem nos satis indagâsse, nec tamen comperisse, in *Civili Historia nostra* istud pertractare valeamus. Cui fors, rei hujus est notitia, exoramus ut communicet. Ex ijs quæ *Istvanff.* pag. nobis 18. 19. & sequentibus scriberet. crederemus, Reformationem hanc, ea fuisse occasione, quâ CORVINUS, Illyrici imperium, VLADISLAO reddidit, missique fuêre à Rege, *Emericus Derencenius*, & *Joannes Both.* Aut verò cum *Ladislaus Kanisai*, ut *Regnis & Oræ maritimæ cum potestate præesset: simul & Jaiciæ ac Segniæ tuendæ curam gereret* Sunt verba Istvanffij, Derencenio substitutus. Sed hoc factum, post CORVINI *resignationem* videtur credibilius. Fuerit etiam mutatum Sigillum, cum has partes CORVINUS, *Regia* quasi *authoritate*, à Vladislao, habuerit. Verùm conjecturando hæc scribimus. CORVINUS *Liptoviæ & Opaviæ Dux*, iterum Administrationem gessisse, ab Anno 1487. ex monumentis deducitur. in Comitiis enim Crisiensibus, *fumalium* impositionem, Subditis Capituli imposuerat. Vladislao Rege, de Dato *Jaurini fer. 2. post Festum S. Petri in Vinculis* istud prohibente, & irritante.

Similiter 1495. Festo Annunciat. B. V. M. Quinque Ecclesijs Præposituram Glogon-
„ censem Vladislaus Osvaldo confert, ob servitia, ut docet collatio, à tempore Elevationis
„ suæ, ab Osvaldo Episcopo impensa. Quod in omnibus fortunæ casibus, assiduè Lateri
„ Regis adhærens, non parcendo etiam, Bonis Episcopatus sui: Quàm etiam penes Regem,
„ primùm per occupationem & vastationem exercitus Alemanorum, & per cuncta tempora
„ violentam eorum detentionem, ac tandem per frequentem incursionem & conflagrationem
„ Turcorum: Demùm per exercitum condam Pauli Kynisi, & Joannis Corvini Ducis, ac
„ Eorundem complicum, in extremam ferè venerunt desolationem, quod fuisset aliter re-
„ muneraturus, tamen in aliqualem recognitionem meritorum, prædictam ei Præposituram conferat. Hanc *Bartholomeus* Prior Auranæ, usurpaverat, diúque detinuit, Vladislaus ab eo acceptam Osvaldo dat. ALEXANDRO Papa VI. Romæ *Sexto Idus* Septem. confirmante. & cum Episcopatu tenendam permittente, *ob magna* ut ait, *Osvaldi de Ecclesia merita.*

Plura commemorari à VLADISLAO, quivis videt. 1mo. Vastationem Alemanorum. *Istvanffius*, Civitatem Regiam Zagrabiensem Germanos intromisisse, & à Vladislao defecisse perhibet, narrans *Zagrabiam*, à Corvino, *quasi hostibus dediderat ac à sexcentis Germanis militibus custodiebatur obsidione cinctam, ne illinc à Cæsareanis assidua rapina fierent, ac frumentariæ convectiones interciperentur* &c. Hi proinde Bona Episcopi, *ad Zagrabiam* vastaverint, occupaverint, tenuerint, usque ad conclusam intra Vladislaum & Cæsarem pacem. 2do. incursiones & conflagrationes per Turcam factas narrat, de quibus *Istvanffius.* Licèt Bonorum Episcopi nullam faciat mentionem, ex ijs tamen quæ narrat, facile est, Bona Episcopalia trans Colapim sita, fuisse à Turcis spoliata, incensa. Quin Pauli Kynisij mortem (quem, *Istvanf.* Quinisium scribit) secutam ad oppidum S. Clementis (quod credimus esse non procul Hrasztoviczâ) narrat. 3tio Joannis Corvini exercitus, & Pauli Kynisi, meminit. Verosimilius nobis est, non primos illos, à morte Mathiæ Regis, CORVINI Ducis motus, ibi exprimi, sed privata illa, Osvaldum inter & Joannem Corvinum, ratione *Bonorum* Possessionúmque odia; equidem instrumenta produnt, Magnum *Kemlek* Corvinum occupavisse. Ex superioribus item eruitur, Corvinum inter & Osvaldum pro *Kakonok* fuisse diffidia. Denique Ecclesiarum Bona, sub Rege Mathia desolata, Corvinus voluerat, tuebatur Osvaldus, ut Bosiakovinam, à Vladislao possessam, tanquam Apostolico Rege inveniamus. Profectò Mathiam solitum fuisse, Ecclesiarum Bona *sæcularibus* conferre, præter plura nobis monumenta, & MSS. *Decreta Vladislai* testantur. Sic Art. 58. Anni 1498. Item 27. 1504. Alijque. Ruminatis bene, Mathiæ. ac Vladislai Regum Decretis, lumen magnum Historiæ, ac *Mathiæ* Regis gestorum, habemus. Confitendúmque Lectori erit, dum *illa*, cum Bonfinij historia

ſtoria contulerit. Bonfinium pleràque tacuiſſe. Hinc ergò profectæ inter Corvinum, Kynisium, & Oſvaldum diſcordiæ. Ut ſcribat Iſtvanff. *Oſvaldus quoque Epiſcopus Zagrabienſis Ejusdem Corvini oppidis per vim adimendis imminebat, nec Regis juſſu ab armis diſcedendum arbitrabatur.* Atque iſta, ad Annum 1493. collocat. Tanti tamen Viri venia, quem aliàs venerаremur, haud aſſequi poſſumus, quomodo Vladislaus, tanta ſervitiorum Oſvaldi commendatione, Præpoſitura Eum donâſſet, ſi Oſvaldus *juſſis Regijs* non paruiſſet.

Anno tandem 1499. condito teſtamento, & pro Zagrabienſis Baſilicæ reſtauratione, quin ædificio, legatis 12000. floren. Item aliis ſeptem millibus, pro erigendis duabus turribus, perpetuis quoque *Miſſis* 2000. floren: quæ poſtrema, VLADISLAO Regi, mutuata fuerant 1502. pro quibus *Proventus ſuos in Dominio Veneto* obligaverat, commendata ultimæ ſuæ Diſpoſitionis, cura: Andreæ de Ivanich Archid. Cathedrali, & Joanni Jakſich Cuſtodi, & *Avunculi* RSS. D. Broderici, poſtquam die vii. Aprilis, paulò videlicet ante mortem, *Præpoſituram* Majorem Zagrabienſem, Alphonſo Thuz Fratri ſuo, contuliſſet (quod tamen effectum ſortitum non eſt, ut in Succeſſore dicetur) Plenus meritis, ſuſceptisque devotè Sacramentis, Die 16. Aprilis, cadente in feriam tertiam, in aurora CSASmæ, ad æternitatem beatam abijt. Bona Epiſcopatus, à Joanne Podmanicsky, & Petro Bocskay Regis nomine occupata, ac ferè biennio poſſeſſa. Defuncti Corpus Csaſmæ depoſitum, & ſubinde Zagrabiam tranſlatum, in Cathedrali requieſcit. Marmoreo Lapidi ſequens inciſum fuiſſe Epitaphium, Levakovich, Ritterus, perhibent.

Zagrabiæ, OSVALDUS, manet hic ſub marmore Præſul.
Exemplum veræ, qui, probitatis erat.
Fama ſuum celebrat, pereat ne pulvere nomen
Virtutum meritis Spiritus, Aſtra tenet.

OSVALDI in eodem marmore fuiſſe effigiem ſculptam, una cum Inſignijs Ejusdem, ſcutum videlicet duabus Zonis præcinctum, in quarum medio Stella eſt, hinc & hinc duo Angeli alati, his plane verbis, notat Levakovich. Cujus temporibus Lapis iſte fuerat.

Magnitudinem OSVALDI ex Præmiſſis ſatis cognoſcere eſt. *Magna* fecit, feciſſet *majora*: Si feliciora habuiſſet tempora. His tamen perpenſis bene, præſtitit maxima. Dum jura vindicavit Eccleſiæ, dum *Eam*, in tantis calamitatibus ſervavit, ut vidimus enim, à Turcis imminebat Ecclesiæ interitus, ab Alemanis exitium, ab inimicis ruina. Illud admiramur plane, quod in tot periculis, à vindicandis Eccleſiæ juribus, nunquam ceſſaverit, fortitudinem, prudentiam, Zelum, immortalis Antiſtitis hinc metiri eſt. *Bonfinius* pag. nobis 20. hanc Oſvaldi reliquit memoriam. *Zagrabia cui à terræ fœcunditate jure nomen eſt inditum, huic, OSVALDUS nunc præeſt Antiſtes, nobiliſſimo Ungarorum genere natus, vir tanta modeſtia, gravitate ac eloquentia præditus, ut nihil in eo inveneris, quod non ſit perquam laudabile: in ſermone prægustatus, multo altius ſapit, quam oſtendit, ſuam præ humanitate diſſimulat ſapientiam, aquè ſcit utramque tollerare fortunam: & cum ſtudioſiſſimus ſit ubique decori obſervator, & conſilii, atque ingenii dexteritate polleat, potius rebus magnis agendis, quàm ſacro otio foret idoneus.*

OSVALDI libertate, ac Zelo, *Major* in Cathedrali Ecclesia *Ara*, olim erat poſita, poſt mortem videlicet Ejus collocata; ut *verſus* ſubſcripti in eadem, docerent ſequentes, teſtantibus Levakovich, & Vinkovich, quorum ætate, *Ara* illa, ſtetit.

PRÆSULIS OSVALDI ſunt hæc monumenta laboris,
Hoc Tibi Rex Regum Chriſte, dicavit opus.

Quam Oſvaldi aram, cum ſub *Petro Domitrovich* Epis: Zag. Anno 1624. die 27. Maij, ex fulmine, ignis abſumpſiſſet. Franciſcus Erghelius aliam poſuit, quæ hodie etiam ſtat cum Inſcriptione ſequenti.

Abſtulit OSVALDI, celebratum, flamma Laborem
Sumptibus Ergely, non minus Ara micat.

Qui verſus poſtea ſic ſunt correcti, neſcimus, per quem.

FRANCISCUS Præſul locat hanc Erghelius Aram
OSVALDI poſtquam concidit igne, labor.

In Organo quoque Cathedralis Ecclesiæ: hoc legitur Carmen

OSVALDI sternit fornix Chorum, & Organa Lucæ.
Bogdan Martinus Præsul utrumque locat
Anno M. DCI.

Tenuit Osvaldus Bona Episcopalia ferè omnia, *Sclavonica* præcipuè, ut Geörg Marcellevich ex Instrumentis, per se collectis deducit. Ex quibus, cum nil aliud observemus, ac strenuum jurium Ecclesiæ defensorem Osvaldum, missa facimus. *Bartholomeus* Auranæ Prior, Oppida *Zalatnok.* & *Vasca,* nec non Castella *Rachinovcz*, *Szopia* & *Ivancz*, Osvaldo vi occupaverat. Ea tamen restituere ex Regis Vladislai sententia debuit, 1492.

Memoria Canonicorum Cath. Eccl. Zagrab.

Præpos. Majores. Michaël. dein Alphonsus Thuz. *Lectores* Joannes, postea *Petrus* de Vizoka, demum *Stephanus. Cantor.* Bartholomeus, aliquo tempore Vicarius Generalis. *Custos Elias* de Soploncza. *Benedictus. Petrus* de Vizoka. *Gallus* de Zepnicza. *Præpos. Chasm.* Joannes Episcop. Rosenensis, & Suffraganeus Eppi ARCHIDIACONI, *Cathedralis. Demetrius. Andreas* de Ivanich, *Dubicensis* Nicolaus, Andreas *Camarcensis* Joannes. *Goricensis* Demetrius. Martinus. Joannes *Kemlek* Andreas. Blasius, Paulus. Blasius, *Vasca* Martinus. Georgius. *Angelus* de Licio Decr. Doct. *Nicolaus. Chasmensis* Joannes, qui & Vicarius. Martinus Bexin Georgius in Anno 1476. Vicarij Locumtenens, postea Vicarius Generalis. *Varasdinensis* Paulus, in Romana Curia Procurator Osvaldi & Capituli, factus Religiosus, ex quadam uti dicebatur revelatione, vel ut alij visione. Non tamen reperimus, quem professus sit ordinem, credimus S. Pauli primi Eremitæ, ex quodam MSS. Authentica autem instrumenta Religiosum factum testantur. Successit Joannes. *Urbocz* Andreas.

CANONICORUM Zagrab. Nomina eruimus.

Georgius Vitte. *Jacobus* Thiver Decr Doctor Vicarius General. *Fabianus* de Zincse. *Paulus* de Roicsa, *Bartholomæus* qui & Succentor. *Thomas* Tompa. *Michaël* Rayfflncz. *Georgius* de Corbova. *Paulus* de Dombro *Clemens* de Soklosſ. *Paulus* de Zitecz. *Stephanus* de Hrasztovicza. *Nicolaus* Bucha. *Joannes* de Ivanich. *Emericus. Andreas* Organista. Andreas de Raszinya *Matheus* de Petrina. Vicarius General. *Georgius* Gubernator Abbatiæ B. V. M. de Toplicza. *Brictius* de Ivanich. Michael de Monoszlo. *Stephanus* de Crisio. *Matheus* de Zentgeurgij *Benedictus* de Petrovina, *Antonius* de Kuttinya. Præterea *Petrus* Præpositus de Vasca. *Emericus* Cantor Chasmensis. *Stephanus* Perovich, Crucifer Præpositus Glogoncensis. Iste ex ordine fuit ultimus. Dein Osvaldus Eppus Zagr. uti superius memoratum.

Memoria Banorum.

1466. *Joannes* Thuz de Lak, Dalm, Croat. Bosniæ, & Sclav. Banus, cum *Joanne* Comite Zagoriæ. 1478. *Blasius* Magyar Dal. & Croat. *Joannes* Episcopus Quinque Ecclesiensis Collega *Joannis* Thuz, in Sclavoniæ & Bosniæ Banatu. 1472. *Nicolaus de Vilac*, Electus Rex Bosnæ. *Damianus* Horvath de Lytva (credimus hunc à Jacobo Luccari, Hervoja vocari) cum *Blasio* Magyar Dal. Croat Bani. 1474. *Joannes* Ernust de Csaktornya, Sclav. Banus, summus Mathiæ Regis Thesaurarius, Comes Zoliensis & Crisiensis. *Andreas Banffy* Anno 1476. Dal. Croat. & Sclav. Banus cum Joanne Chuz de Bisztricza. 1481. *Ladislaus* Egervara, Dal. Croat. & totius Sclav Banus. 1484. *Mathias Gereb* de Wingarth, Dal Croat & Sclavo. Banus. 1488. *Ladislaus* de Losoncz Sclavoniæ Banus, dein Dalmatiæ ac Croatiæ 1490. JOANNES CORVINUS Sclavoniæ, Dal. Croat Liptoviæ & Opaviæ Dux & sub Eodem Duce, *Ladislaus Egervara* Regnorum (ut dicit) nostrorum Banus 1494. *Ladislaus* de Kanisa Dal. Croat. & Scl Banus. Eodémque Anno, post CORVINI resignationem *Emericus Derenczenius* & *Joannes Both* à Vladislao Rege suffecti. 1495. Iterum Joañes Corvinus Dal Croat. & Sclav. Banus ex instrumentis eruitur. 1496. *Sigismundus Hampo* Episcopus Quinque Ecclesiensis, Thesaurarius Regius, Regnorum Dal. Croat & Scl. Banus, & Capitaneus Segniæ. 1497. Joañes Corvinus Dux, Georgius autem de *Kanisa* Dal Croat.& Scl. Banus, ac Segniæ Capitaneus.

VICE BANI fuere, uti comperimus: *Joannes* Midszent, & *Ladislaus* Hermanus de Greben, simul & Comites Crisienses *Petrus* Bocskay de Raszina Keresztur Comes Zagrabiensis & Vicebanus 1476. *Michael* Kerhen de Beloseuz, & *Osvaldus* de Polyan Vice Bani & Comites Crisienses, 1484. *Joañes* Pecsiban Crovatiæ & Dalm Vice Banus reperiur Anno 1486. *Bernardus* de Thurocz, & *Ludovicus* de Peker Vice Bani & Comites Crisienses 1492. & Anno 1496. *Georgius* Castellanffij cum præfato Ludovico, post cujus mortem, *Georgio* adjunctus *Balthasar* Alapij 1498. PROTONOTARIOS Sclavoniæ eruimus. *Antonium* de Gerecz, & post hunc 1499. Legimus *Nicolaum* Voikffy Sclavoniæ Proto-Notarium.

Inve-

Invenimus quoque memoriam, *Petri* de Budovcz Vice Protonotarij & supremi Judicis Episcopatus Zagrabiensis in temporalibus. *Ladislai Bisztriczey* de Omilia, *Emerici* Pogany, *Balthasaris* de Bathtyan, Castrorum Regiorum Medve & Rakonok Capitanei, *Andreæ* Both de Bania, post Balthasarem Eorundem Castrorum Capitanei. Qui post mortem *Mathiæ*. Vladislai partes fovit, in Sclavonia admodum. Prælatorum aliorúmque Procerum, ac Banorum Regni nomina eruuntur ex Conclusionibus Decretorum Mathiæ, & Vladislai, tantorúmque aliorum Virorum ex Articulis ipsis nomina.

Uti OSVALDUS bona possedit amplissima, ac præter illa, quæ sui fuêre Episcopatus Abbatiam de *Pecsvarad*, ac Præposituram de *Glogoncza*, ita Capitulum amplioribus gavisum Bonis colligimus. Castellano suo Petrinensi, 1485. Prædium *Chultich* à Capitulo collatum, notat Marcellevich, pluráque alia, in appertinentiis Bonorum Gradecz.

Religiosi Ordines, qui floruêre in Sclavonia, ob Turcarum sub Mathia excursiones, depopullationes, quam plurimi desiere. Ut nunquam amplius reddiverint. nominatim in Vasca, Canonici *superpelliceati* dicti, Cistercienses tam Zagrabiæ, quam & Toplicæ, hodie Topuszka, ubi de Ordine Abbas ultimus, fuit Georgius. Pluresque aliæ Abbatiæ, de quibus parte III. uberius. Ista, præter MSS. ac varia instrumenta, innuunt quoque Articuli, Decretorum Vladislai

CASTELLA multa sub *Mathia* perhibente etiam ar. 29. 1471. diruta, demolitáque fuêre. In his Sclavoniæ partibus *Kneyevcz*, hodie Kneginecz ad Varasdinum Blasij Hwszar. Hoc distinctum est à Castro *Kheene*, in quo Captivus olim Andreas II. Et ex vetustis Decimarum *Regestris Kheene*, in Partibus Zagoriæ fuisse, indubium est. Credibilius Castrum hodie dictum *Konszchina*, à familia *Konschy*, olim Kheene fuerat nuncupatum, uti ex iisdem *Regestris* erueretur, consideratione videlicet Possessionum Vicinarum quæ ad Castrum *Kheene* describuntur. Præterea Castri *Konschina* situs, fossata, muri duplices qui extarent, si in considerationem accipiantur, celebrius *olim* munimentum fuisse, apparet, locúmque aptum, ut *Andreas* in illo, contineretur. Castellum item *Lonka*, jussu Mathiæ, idem docet Articulus. Hoc intra Possessiones *Szent Peter* & *Lunkavecz*, hodie Familiæ Comitum *Draskovich* in Comitatu Crisiensi, fuisse, rudera testantur. Et ad hoc, Oppidum majus extiterit. Cùm superiori Anno, locum hunc perpendissemus. Incolas de *traditione* majorum examinantes, observavimus, natura sua, ob aquarum Viciniam, locum olim munitum fuisse, vallis cinctum. Mœniis item, quod Lapides testarentur. *Incolæ*, Urbem *Attilæ* fuisse, narrârunt, Et quod ex congesta terra, artefacti *monticuli* quatuor viserentur etiam, dicunt *Attilam* salubrioris aëris capiendi causa, *illos* extruxisse. At traditionem hanc, erroneam putamus, nec ei subscribimus (licèt persepè res antiquas se eruere retulerint incolæ) Verùm Castellum Lanka, sub Mathia Rege dirutum, ibi fuisse authumamus, cum adiacente majoris nominis Oppido, quod rudera, Lapidésque innuunt, & Incolæ amplam Civitatem olim fuisse credunt. CAUSAM horum aliorúmque dirutorum Castrorum fuisse credimus, quorundam in Regem *Mathiam* conspirationes, & secutam *CASIMIRI* ad capessendum Hungariæ Regnum evocationem. De quibus videndi Scriptores. Confirmat causam, artic. 15 Anni 1482. in quo Castra & fortalitia noviter erecta, demolienda decernuntur, ijs exceptis, quæ *pro defensione fidelium contra Turcos, & cæteros inimicos Regni, in confinijs Regni erecta sunt, & constructa.*

Comitatum *Zagoria*, qui hactenus distincto veniebat nomine, uti ex tot ante dictis, manifestò apparet, & Comites de *Cillia*, Ejus, fuêre supremi Comites, & post hos *Joannes*. Sub Mathia Rege, desijsse comperimus, innuitque Art. 50. 1486. Pars hujus Comitatus Zagrabiensi accessit, pars verò Comitatui Varasdinensi. Banalique judicio & Authoritati attributa. Antea enim *Zagrabiensis*, & *Crisiensis* solùm Comitatus dependebant. Occasionem Unionis hujus Mathiæ Regis *novitates*, Bonorum occupationes, ac Exterorum promotiones, in notatis reperimus. Confirmántque Articuli 46. 1486, totque alij, sub Mathia & Vladislao: ut metus fuerit, has partes facilè, à *Sacra Corona* divellendas. Quin Art. 1. 1490 aperte hæc declarat: *Imprimis quod Regia Majestas, Regnum Ungariæ, cum cæteris Regnis, scilicet Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, & partibus Transsylvanis, ac Provincijs sibi subjectis. - - - conservabit in antiquis juribus, Privilegijs, immunitatibus, & consvetudinibus approbatis - - - Ita quòd nullas prorsus novitates, quemadmodum quondam Dominus MATHIAS REX, in Eorundem detrimentum & oppressionem - - - sub aliquo quæsito colore introducat. Introductas vero, per eundem quondam serenissimum Dominum MATHIAM Regem aboleat &c.* Legatur etiam Art. 2. & alij. Quid autem, ex hoc Comitatu *Zagoria*, accesserit Præmissis Comitatibus? quid emanserit? in Styria, dicetur DEO dante alibi.

BANORUM quoque Authoritatem, sub Mathia fuisse variatam MSS. produnt. Mutatio eorum frequens, ut videre est ex eorum, *supra* ordine. Authoritas varia. Produnt enim

enim monumenta, & *judiciaria Sententia* vix judicia aliqua ab illis celebrata, sed per Palatinum, aut Curiæ Regiæ Judicem, Verbô, *Regios Delegatos*, Quos ad Regias Congregationes, *Crisium*, *Zagrabiam*, exmittere solebat. Hinc & Art. XI. 1478 Judicia Octavalia in sede Banatus Machoviensis tolluntur, & Art. 14. supplicatur, ut in antiquis libertatibus status conserventur &c. Denique *Dalmatiæ* titulum, Banus sub *Mathia* habebat, noménque purum, testante Art. 12. Decr. VI. 1486 ubi. *Tota Dalmatia subjacere debet judicio Palatini, & pro proventibus habet in illa certas insulas.* Profectum hinc est, ut Præfectos, Capitaneos, ac demum Generales, maritimæ illæ partes, nactæ sint. Palatinatus officio, pluribus Annis persæpe vacante, ac sub titulis *Locumtenentis* administrato, aut *Gubernatoris*. Ut notum omnibus. Sed & *Palatinos* inter ac *Banos*, cum hac de re quæstiones fuissent, evenit: non solum distinctos induci *Præfectos*, Verùm Insulas illas, ad Venetos abivisse. *Mathia* mortuo, Insulas illas, *Vladislaum* tenuisse, ex ejus litteris credimus.

RES Ecclesiæ, sive *Ecclesiastica Hungariæ jura* sub MATHIA, in multis accepêre *novitates*. Et cum hæc, ex Articulis eruantur, non est, ut ex MSS, nostris commemoremus. *Rascianos*, & quidem cum libera Religionis professione, primus Mathias in Regnum induxit, firmavit, & Privilegijs, auxit. perhibent ista 1481. III. ac IV. Art. Originem *Predanciorum* (quorum posteriores sub Rudolpho, Ferdinando &c. Articuli faciunt mentionem) præbuit IV ille Art. uti *Petrus Petretich Eppus* Zagrab. in MSS. historia, Rascianorum à se compilata perhibet, de quibus *Parte 3tia.* *Predancij* autem sunt Socij, vel melius, *adjuncti*, aut *participantes* in Privilegijs Rascianorum. Alias *Romano Catholici.* *Predan* enim, sive *Pridan*, *Adjunctum*, significat. Multíque Rascianis se adjunxerunt, qui à *Mathia* inter reliqua *Privilegia*, ab onere *Decimarum* eximuntur.

Has res erudito Lectori, haud ingratas futuras, addidimus, quod OSVALDI Eppi diebus, acciderint. Prudentiam Osvaldi ostendunt, qui, in tantis, Ecclesiæ suæ bona, scivit, servare, protegere, augere, ampliare. *Fratres* quoque *Prædicatores*. Claustri S. Nicolai Zagrabiæ, ad Decimarum solutionem 1489 per Sententiam adegit. Quod eas, jam ab annis viginti, solvissent.

Addimus tandem, in negotio Decimarum, innitum ab Osvaldo Contractum, restrictum ad *Dies vitæ suæ*, tenoris sequentis.

„ Nos VLADISLAUS DEI GRATIA REX Hungariæ & Bohemiæ, nec non MARCHIO Moraviæ &c. memoriæ commendamus, tenore Præsentium significantes, Quibus expedit Universis. Quod R. in Christo Pater D. Osvaldus Episcopus Ecclesiæ Zagrabiensis, *Tesaurarius Noster* fidelis & dilectus, nostrum veniens in Conspectum, exhibuit nobis & præsentavit, certas litteras Dominorum Prælatorum & Baronum hujus Regni Nostri Hungariæ, nuper in *Congregatione Generali*, *pro Novi Regis Electione* in Civitate nostra Pesthiensi constitutorum, nominibus & sigillis eorum pendentibus, emmanatas & communitas. Modum, formam ac vim cujusdam fassionis compositionis, limitationísque, & obligaminis, super facto dicationis & exactionis atque solutionis Decimarum frugum bladorum, ac omnium aliarum rerum decimari solitarum, Ipso D. Episcopo de medio Incolarum & habitatorum Comitatuum Regni nostri Sclavoniæ Crisiensi & Zagrabiensi provenire debentium, inter ipsum Dominum Eppum ac Nobiles eorundem duorum Comitatatuum coram præfatis Dominis Prælatis & Baronibus dicti Regni nostri Hungariæ factæ, in se continentes. Tenoris infrascripti, supplicans nobis idem Dominus Episcopus. Ut easdem literas ratas, gratas, & acceptas habere, litterísque nostris privilegialibus de verbo, ad verbum inseri facere, hujusmodi fassioni compositioni ac limitationi omnibúsque aliis obligaminibus & articulis in eisdem litteris clarius expressis, & contentis nostrum Regium consensum præbere, ac eidem Domino Episcopo, & Ecclesiæ suæ. Vita ipsius Comité, roborare seu confirmare dignaremur. Quarum quidem literarum. Tenor talis est. NOS HIPPOLYTUS Estensis Electus & confirmatus Strigoniensis. Petrus Colocensis Archiepiscopus. Urbanus Agriensis. Ladislaus Gereb Albensis Transilvan. Sigismundus Quinque Ecclesiensis Thomas Jauriensis. Johannes Wesprimien. Johannes Csanadien. Nicolaus Wacien. Frater Georgius Nitrien. Stephanus Electus & confirmatus Sirmien. Lucas Electus Boznen. Ecclesiarum Episcopi. Item Comes Stephanus Bathor Wayuoda Transylvanus & Judex Curiæ Regiæ. Sigismundus & Petrus Comites de Bozyn & de Sancto Georgio. Paulus de Kirys Comes Themesien. Petrus Gereb de Wyngarth. Ladislaus Orzag, de Guth, Andreas de Bathor. Ladislaus de Rozgon. Nicolaus Banffij de Alsolyndva. Ladislaus Lossonz. Bartholomæus Dragffij de Belthewk. Ladislaus & Stephanus Morotz de Meggyesalya Johannes Banffij de Livva. Benedictus de Chaak. Wilhelmus Pankyrher de Zalonok desav Banffij, de Lossoncz. Nicolaus & Johannes Pethewffij de Gerse, ac Nicolaus Zolomy de Albeef. Memoriæ commendamus per præsentes.

Quod

„ Quod nobis unacum Regni Nobilibus feria tertia proxima ante Festum Sacratissimi Cor-
„ poris Christi pro Electione futuri novi Regis in Civitate Pesthiensi, aliasque in loco ad
„ id apto & consueto, in nostra & totius Regni Congregatione Generali constitutis & ex-
„ istentibus, Reverendus Dominus Osvaldus Episcopus Ecclesiæ Zagrabiensis, sua & Eccle-
„ siæ suæ antedictæ ab una, necnon Egregij ac Nobiles Ladislaus de Gereben, Regni
„ Hungariæ Vice Palatinus. Michael Comes de Blaga. Paulus de Pakos. Georgius Thu-
„ roczj de Ludbregh. Stephanus Derffij de Zerdahel. Petrus Bocskay de Rozynya, Magi-
„ ster Petrus de Gwdowcz Regni Sclavoniæ Vice Protonotarius, Bernardus Roffy. Nico-
„ laus de Peker & Gregorius de Zthwbytza, in ipsorum ac universorum omnium Domino-
„ rum Nobiliumque & Incolarum Regni Sclavoniæ, Comitatuum Crisiensi, & Zagrabi-
„ ensi nominibus & in personis nostram venientes in præsentiam, allegarunt. Eô modo.
„ Quod quamvis inter ipsum videlicet Dominum Osvaldum Episcopum, ab una: ac præfa-
„ tos universos incolas dicti Regni Sclavoniæ, partibus ex altera: in facto Decimarum ipsi
„ Domino Osvaldo Eppo & Ecclesiæ suæ prædictæ provenire debentium, nonnullæ dissen-
„ siones, & controversiæ à pluribus Annis suscitatæ extiterint & agitatæ, tamen ipsæ par-
„ tes juxta contenta cujusdam Registri in manibus eorum habiti: nobisque specietenus
„ præsentati & producti sopitis priùs universis litibus, & contentionibus ex hinc ortis seu
„ in futurum emergentibus, in facto prædictarum Decimarum ordine in eodem Registro
„ contento se ad ultimum concordâsse retulerunt, cujus quidem Registri tenor talis est.
„ SOPITIS cassatisque & annullatis omnibus differentijs, ac litium & causarum processi-
„ bus, extinctis etiam atque eradicatis è cordibus partium quorumlibet rancorum male-
„ volentiarum, & injuriarum fomitibus inter Reverendum in Christo Patrem Dominum
„ Osvaldum Episcopum Ecclesiæ Zagrabiensis ab una, ac universos Nobiles Regni Sclavo-
„ niæ Crisiensis & Zagrabiensis Comitatuum ratione Decimarum eidem Domino Eppo
„ & Ecclesiæ suæ provenire debentium, cujuscunque dignitatis & conditionis existant & litis
„ partium consortes usque præsentem feriam sextam, quæ post proximè præteritum festum
„ Epiphaniarum Domini in præsenti Anno ejusdem millesimo quadringentesimo nonagesi-
„ mo immediatè occurrit. Exortis pululatísque & agitatis ac subsecutis. Jam fatus Domi-
„ nus Eppus ac Egregij & Nobiles Ladislaus de Gereben Regni Hungariæ Vicepalatinus,
„ Petrus Bocskay de Rasyna Magister Petrus de Gwdowcz Regni Sclavoniæ Vice Proto-
„ notarius. Sigismundus Bocskay similiter de Rasyna. Franciscus de Zemche. Michael
„ Kerben de Bellosowcz alter Franciscus de Peker, Bernardus Roh de Decche. Georgius
„ Capithan de Desnycze. Marcus de Gereez. Nicolaus literatus de Orrosowcz alter Ni-
„ colaus literatus Mykwlasych de Palychna. Blasius Budor de Budrowcz. Andreas Sy-
„ monfy de Mylethyncz. Demetrius Porkolab dictus de eadem Ladislaus de Hwzarcz. Ge-
„ orgius Ablancza de Menzenth. Stephanus Pwtsyth de Rokonok. Georgius de Thoi-
„ sowcz. Alter Georgius Plawytchewych. Stephanus Pozoptych, & Simon Myhow-
„ lyth, In personis Dominorum de Blaga. Totam universitatem Nobilium Comitatuum
„ prædictorum repræsentantes cum pleno mandato, & omnimoda authoritate delegati, &
„ deputati in oppido Dombro sponte & benevolè matura intra se deliberatione præhabi-
„ ta super modo & ordine dicationis & solutionis Decimarum in patrimonium Crucifixi à
„ Sanctis Patribus institutarum atque dedicatarum. Talem fecerunt limitationem per vi-
„ tam ipsius Domini Eppi duntaxat duraturam, salvis tamen juribus & privilegijs ipsius
„ Domini Osvaldi Episcopi ac Ecclesiæ suæ, nec non præfatorum Dominorum Regnicola-
„ rum in dictis duobus Comitatibus existentium; quæ etiam dispositio Successoribus dicti
„ Domini Eppi, & Prædictorum Regnicolarum Juribus & privilegiis. Præjudicare nec de-
„ beat nec possit. Imprimis. Quod Decimarum dicatio fiat bina, Prima statim post mes-
„ sem videlicet tritici, siliginis, avenæ ordei, mily vernalis apum porcorum, agnellorum
„ & edorum. Item secunda dicatio fiat mox post vindemium nempe vini, milij, alterius milij
„ Borkeles vocati & surgonis. Item de qualibet decima Capecia tritici, siliginis, avenæ,
„ & ordei, solvantur denar: sex, quorum centum valent unum florenum. Item de qua-
„ libet decima Capecia utriusque milij & surgonis solvantur denarij quatuor. Item de
„ quolibet porco annuali, qui alias non fuit dicatus denarius unus solvatur vel ubi fuerint
„ decem recipiatur decimus aût valor ejusdem. Item de quolibet tronco apum qui aliàs
„ non fuerunt dicati denarius unus solvatur, vel ubi fuerint decem recipiatur decimus, aut
„ valor ejusdem. Item de quolibet agno qui aliàs non fuerunt dicati denarius unus Vel
„ ubi fuerint decem recipiatur decimus aut valor ejusdem. Item de quolibet edo qui aliàs
„ non fuit dicatus denarius medius, vel ubi decem fuerint recipiatur decimus aut valor ejus.
„ Item pro quolibet decimo cubulo vini tam tempore ubertatis quàm sterilitatis quotcun-
„ que pintas cubulus contineat semper de singulis duabus pinthis, unus denarius recipia-

„ tur quorum centum unum flor. auri pro tempore facient & valebunt. Casu autem quo „ temporum in processu, moderna moneta in Regno Mutaretur & centenarius numerus ipsi- „ us futuræ monetæ non feceret unum aureum. Quod tunc nihilominus decimæ cujuslibet „ generis in prædictis articulis denotatæ solvantur etiã cum illa nova moneta ad valorem præ- „ sentis monetæ, cujus centum ut præmittitur faciunt unum florenum hungaricalem. Item ul- „ tra Wayvodas, villicos, præcones & veros inquilinos Domini Regnicolæ habebunt li- „ beros infrascriptos. Item qui habet ex Magnatibus & Nobilibus in Crisiensi & Zagrabi- „ ensi Comitatibus decem Jobagiones usque quindecim habeat villicum & inquilinos ve- „ ros & non fictos Item qui habent quindecim Jobagiones usque ad viginti quinque ha- „ beat liberum unum, Item qui habent à viginti quinque, usque quinquaginta Jobagio- „ nes cum Castello, habeat liberos tres, si non habet Castellum, habeat liberos duos. Item „ qui habet quinquaginta usque centum Jobagiones, si non habet Castellum habeat „ liberos tres cum Castello habeat liberos, quatuor. Item qui habet centum usque ad tre- „ centos Jobagiones cum Castello habeat liberos octo, sine Castello habeat liberos quin- „ que. Item qui habet trecentos usque ad quingentos Jobagiones habeat liberos quatuor- „ decim Item qui habet quingentos & plures quotcunque, habeat liberos sedecim. Item „ ista dispositio, & numerus liberorum non extendat se ad alios Regnicolas, nisi qui huc- „ usque Castella habent, si autem aliqui Nobiles Regnicolæ nova Castella de cœtero ere- „ xerint; extunc non gaudeant pluribus liberis, nisi illis concessis, qui Castella non habent. „ Ipsius autem initium computetur ab Anno Domini 1485. quo scilicet Anno fuerint super- „ inde habiti tractatus in Dombro. Item si aliqui Magnatum vel Nobilium, aut Eorum Of- „ ficiales nominaverint esse aliquos villicos, Wayvodas, precones, inquilinos, & alios „ liberos qui non fuerint, sed fraudulenter & fictè id factum fuerit, per Nobiles, & Officia- „ les ipsorum, & decimator istud legitimè probare poterit: Extunc talium servitorum „ fraudulenter, & fictè nominatorum universæ res decimari solitæ habeantur pro negatis, „ easque decimator liberè auferre possit. Item qui ex Nobilibus Regnicolis habet pro usu „ suo proprio in promontorio alterius Nobilis vineam & fuerit ipsa vinea per eundem No- „ bilem rigorosis literis ut puta alicujus Capituli aut Banalibus in perpetuum vendita, aut „ alio quocunque modo alienata, in qua venditor ulteriorem proprietatem Dominij sibi „ & suis hæredibus non reservavit, neque hujusmodi venditioni seu collationi possessor vi- „ neæ terragio tenetur, tales literas possessor coram probis decimatori ostendere teneatur. „ Quibus visis, & Rev. sic se habente Dominus Episcopus ipsum Nobilem à dicatione & so- „ lutione habeat supportatum, alioquin teneatur decimis. Item villici, Wayvodæ, qui „ preconibus eorum qui præsunt villis, & provincijs Regnicolarum, & gubernant commu- „ nitatem Jobagionum, ex officio consveto, & aliquis talium habuerit in territorijs aliorum „ Nobilium plures vineas, quam unam. extunc quilibet eorum unam tantummodo vi- „ neam quam maluerit, à solutione decimarum libertare possit, isto tamen modo; si talis „ Wayvoda villicus, aut preco debebit exigere decimas, & administrare decimatoribus „ à Jobagionibus Domini sui in eisdem promontorijs vel aliorum extraneorum vineas ha- „ bentium, in quibus videlicet talis Wayvoda, villicus, aut preco similiter haberet vine- „ am. Ubi autem hujusmodi Wayvoda, villicus, aut preco non haberet facere exactio- „ nem, aut administrationem decimarum de vineis extraneorum à Jobagionibus Domini „ sui modo præmisso. Tunc de talibus omnibus vineis suis in aliorum promontorijs exi- „ stentium decimas solvere teneatur: Verùm si in promontorio Dominorum suorum dicti „ Wayvoda villicus, aut preco quodcunque vineas habuerint, illæ vineæ à solutione deci- „ marum semper exemptæ habeantur, Item Inquilini habentes vineas solvant decimas de „ ijsdem, demptô quod si aliquis ex eis habuerit vineam pertinentem ad Curiam propri- „ am Domini sui, tunc de tali vinea decimas solvere non teneatur: Si autem Nobilis vine- „ am Curiæ suæ aut sessionalem à solutione teragij inquilino in perpetuum donaverit sol- „ vant decimas de eisdem. Et si inquilini terras sessionales proprijs suis arratris, aut alio „ quocunque modo acquisito coluerint, quam scilicèt terram sessionalem Dominus inqui- „ lini Curiæ suæ non appropriasset, de eisdem terris, & frugibus in eisdẽ excrescentibus deci- „ mas solvere teneatur. Sed si Nobilis proprijs aratris suis inquilinis seminaturas fecerit, à „ solutione decimarum inquilini sint exempti. Item de quolibet inquilino Nobilium De- „ cimator recipiat Caponem unum tantum, vel pro eodem Capone denarios duos. Item „ qui nihil in messe habuerint duobus denarijs pro fumalibus teneantur, & qui de alijs re- „ bus prædictis si quas habuerint decimas plenariè persolvant. Item licet bina dicatio fiat „ tamen Decimatores super uno munere villicorum aut Waivodarum sint contenti uno cu- „ bulo avenæ, una asima valente duos denarios, uno capone, & una pinta vini. Item de- „ cimatores tempore dicationis non vadant de hospitio ipsorum quousque omnes dicas di-

„ stri-

„ stribuent illis Nobilibus seu villicis, vel eorum Officialibus, quorum possessiones „ de illo hospitio dicabuntur. Item si non poterit Decimator concordare tempore dica- „ tionis cum Jobagionibus Nobilium super quantitate quarumcunque Decimarum, extunc „ credat juramento rustici, qu isi jurare noluerit dicetur ad Decimas, prout Decimatori „ juxta suam conscientiam videbitur, nec talis rusticus tempore exactionis decimarum possit „ infestare aut inclamare decimatorem; & si conquereretur Domino suo, non exaudiatur. „ Item Decimatores faciant ante tres vel quatuor dies in foris hebdomadalibus promulgare „ rusticis, vina in cellarijs vinearum habentibus, ut aperiant cellaria ipsorum, & per- „ mitant vina conspicere, die per Decimatorem præfixo; & si aliquis rusticorum rebellio- „ ne ductus non vellet aperire cellarium, & præfixo die non venerit ad præfatum suum „ cellarium, extunc Decimatores possint talium cellariorum hostia frangere, & vina dica- „ re, prout ipsis juxta conscientiam ipsorum videbitur; attamen si rusticus venerit ad „ Decimatores eodem vel secundo die & quousque Decimator erit in illa possessione in qua „ id contigerit, extunc Decimatores aut juramento rustici credant aut ad cellarium cum „ rustico revertantur, & rectificent, si aliquid injustè dicaverunt; & si Decimatores ad „ diem deputatum per ipsos circa cellaria non venerint, nihilominus rusticus penes cella- „ rium expectet eos per duos dies; quibus elapsis Decimatores non valeant ipsum inculpa- „ re, sed de novo imponant ei terminum. Item Regnicolæ ac Castellani & alij Officiales „ eorum teneantur intromittere ad Castella ipsorum seu fortalicia, aut alios, ubicunque Deci- „ matores: & eisdem aperire & ostendere pacificè omnes res decimales. Quod si aliquis ex ip- „ sis Regnicolis aut eorum Castellanis, aut Officialibus prædictis facere recusaverit, possit „ citari & procedi contra ipsum per Ecclesiasticas censuras, & Dominus Eppus possit requi- „ rere super ipsum damna sua. Item Regnicolæ omnes eorum, proprios Colonos qui ha- „ bent, & haberent vineas in territorio & bonis Domini Episcopi Quinque Ecclesiensis & „ Johannis fratris ejusdem, in dictis duobus Comitatibus teneantur compellere ad solven- „ dum Decimas Domino Epp Zagrabiensi de hujusmodi vineis provenire debentibus Quod „ si aliquis ex Regnicolis facere noluerit, talis Nobilis citetur per Dominum Episcopum „ aut Officialem ejusdem & procedatur contra eum per censuras Ecclesiasticas. Item quia „ in certis cultellis & præsertim in cultello Achyna nonnulli forent & existunt de Diœcesi „ Quinque Ecclesiensi, & aliunde, qui vineas in diversorum Nobilium territoriis in eis- „ dem cultellis existentes, possident, & collectis ac vindemiatis eorum vineis nullis deci- „ mis persolutis ad dictam Diœcesim aut alias quocunque cum eorum vinis occultè & clan- „ destinè, vel etiam manifestè evadere: Ipsaque vina abducere solent, in animarum ipso- „ rum periculum, damnúmque ipsius Domini Eppi & Ecclesiæ suæ manifestum, Ne igitur „ hujusmodi pravis & perniciosis actibus de cœtero uti possint, & ne eis in consuetudinem „ redigatur, conclusum est. Quod provisores Curiarum villici Wayvodæ vel quicun- „ que alij Officiales Magnatum & aliorum Nobilium, in quorum teritorio tales vineæ ha- „ bentur tempore dicationis & perceptionis terragii aut noni cubuli quantitatem Deci- „ marum decimatoribus Domini Episcopi sub firmissimo eorum Juramento dicere teneatur. „ Qui si facere nolent aut recusarent, ex tunc Dominus Episcopus super eisdem sua damna „ requirere & recipere valeat atque possit, & nomina talium unde sint & ubi morantur, „ fideliter absque omni fraude eisdem decimatoribus dicere teneantur. Item prædiales & „ Magnatum, & Nobilium Jobagiones non habentium, decimas solvere teneantur. Qui „ verò habent Jobagiones illi de rebus seu cultura propria decimas solvere non teneantur. „ Item Decimatores possint & valeant ubique locorum tam in villis & domibus propriis ru- „ sticorum, quam in silvis & alias ubilibet inquirere res decimales qualescunque & præser- „ tim porcos cum apibus. Et si quis rusticorum hoc facere non permitteret, extunc Offi- „ ciales loci sive Waivoda aut villicus teneatur ire cum Decimatoribus ad inquirendum hu- „ jusmodi res. Quod si Officialis vel villicus aut Wayvoda hoc non fecerit, & sibi & ru- „ stico interdictum imponatur. Et insuper talis Officialis amittat eo facto porcionem su- „ am, scilicet tertiam partem denegatorum ac etiam talia damna Dominus Episcopus su- „ per eum requirere possit. Item conclusum est ut Magnates & alij Nobiles Regni Croa- „ tiæ à quorumcúnque Jobagionibus & populis præfato Domino Episcopo Zagrabien. de- „ cimæ proveniunt habentibus possessiones & villas in confinibus Turcorum cum per „ Decimatores ipsius Domini Episcopi requisiti fuerint: Teneantur dare hominem pro- „ prium, qui ipsos decimatores ad dicandum Decimas in hujusmodi possessionibus & vil- „ lis deducant, reducant, juxta ipsorum possibilitatem pacificè omni fraude semota. Item „ Officiales Nobilium scilicet Wayvodæ villici, præcones, & alij liberi quicunque tene- „ antur aperire cellaria ipsorum Decimatoribus; & si Decimatores dubitaverint, res de- „ cimales esse ibi alicujus alterius rustici occultas; extunc tales Officiales, Wayvodæ, pre-

„ co, aut liberi debeant jurare; quod nullæ res decimales aliorum sint ibi; quod si facere „ noluerint: extunc decimatores in quantum suspicantur de rebus alienis apud eum, dicent „ eum ad decimas secundúm conscientias suas. Item si quis rusticorum tempore messis li- „ gaverit manipulos cujuscunque speciei cum alia herba aut suberibus per nequitiam, ita „ quòd si potuisset eos ligare proprijs stipulis & non ligavit, tunc tales manipuli in acer- „ vum congregati habeantur pro abnegatis. Item quodcunque rustici in uno fundo seu ses- „ sione resideant, ponantur omnes ad registrum & dicas seorsùm, & dicentur singilatim „ secundùm qualitatem & quantitatem rerum decimari solitarum. Item quod nullus ex „ Regnicolis, aut Magnatibus, aut eorum Castellanus, seu Officiales quicunque sedecimum „ vel quamcunque aliam solutionem seu partem aliquam de Decimis sub quocunque colo- „ re vel occasione recipere vel usurpare possit. Item exactio decimarum fiat in locis con- „ suetis. Item interdictum imponatur quindecimo die ante festum Purificationis Beatæ Ma- „ riæ Virginis quo elapso procedatur per Censuras Ecclesiasticas contra recusantes solvere „ decimas. Item quicunque usque festum Paschæ Domini inclusivè non persolverint deci- „ mas integraliter, per interdictū & censuras Ecclesiasticas; extunc mox elapso festo ascæ „ quamlibet Capeciam, & quemlibet cubulum vini cum augmento duorum denariorum „ solvere teneantur. Et nihilominùs durantibus etiam ipsis censuris statim ad requisitionem „ decimatorum teneantur Bani, Vicebani, Comites, Vice-Comites, & Judlium tales re- „ beles, & recusantes solvere decimas, compellere ad solvendas ipsas decimas cum augmen- „ to superius expresso per birsagia trium marcarum & alia onera consveta. Item Bani, „ Vice-Bani, Comites, Vice-Comites, & Judlium, postquam ab hujusmodi recusantibus „ solvere decimas, & augmentum vadia receperint, extunc imprimis & ante omnia tene- „ antur decimatoribus satisfacere ex prædictis vadijs de decimis & augmento. Item Nobilibus „ quantum ad personas suas & eorum familiæ domesticæ, qui cum decimis non obligantur „ ratione decimarum Decimator non interponat interdictum, sed si aliquis ipsorum Nobi- „ lium vel eorum Officialium decimas usurpaverit, vel quocunque modo eas perturbaverit, „ extunc procedatur contra talem vel tales juridicè per citationem, vel alias censuras Ec- „ clesiasticas per Dominum Episcopum vel Officiales ejus. Item si aliquis Decimator in „ dicatione & exactione decimarum contra hanc dispositionem processerit, vel injustam „ dicationem fecerit, extunc rusticus, qui injuriam prætenderit aut Dominus ejus tenea- „ tur conqueri vel significare Domino Episcopo vel eo absente Officiali suo; qui Dominus „ Episcopus vel Officialis ejus committat per literas duobus plebanis melioris conscientiæ in „ illo cultello existentibus, & etiam scribatur mox decimatori, ut perfecta dicatione pri- „ mâ vel ultima in qua prætenderet se gravatum statuto loco & termino comparere debeant „ coram eisdem & præsentibus partibus injustam hujusmodi dicationem si qua fuerit se- „ cundum conscientias eorum Deo debitas rectificare debeant, & si Decimator culpabilis „ repertus fuerit satisfaciat illi rustico querulanti de expensis quas in prosecutione hujusmodi „ causæ fecerit. Per eosdem Plebanos conscientiose limitatas: econtra si talis rusticus inju- „ stè decimatorem calumniatus fuerit, convincatur in expensis contra eosdem, juxta limi- „ tationem præfatorum Plebanorum. Quas si solvere recusaret Extunc Dominus rustici „ teneatur ipsum compellere ad satisfactionem: Decimatores verò Dominus Episcopus, aut „ Officialis ejus compellat. Item sunt certi magnates & Nobiles qui Præbendarios in eorum „ possessionibus & bonis ordinarunt, & sessionibus Jobagionalibus, ac vineis eos dotarunt „ atque etiam parochialibus ipsorum Ecclesijs post mortem condam Domini Johannis Epi- „ scopi donarunt, de quibus eidem Domino Episcopo & Ecclesiæ suæ Decimæ provenire de- „ berent, ipsique Præbendarij, & plebani ac eorum Jobagiones ipsas decimas nunc solve- „ re nollent & recusarent Et quia post mortem & obitum ejusdem condam Domini Johañis „ Episcopi ferè quadraginta annis, & quousque ipse Dominus Osvaldus Episcopus ipsam „ Ecclesiam feliciter adeptus est, eadem Ecclesia per manus Sæculares diversimodè turbata „ & lacessita extitit, in hujusmodique turbinibus ipsæ Decimæ & usque in præsentiarum „ per ipsos Præbendarios & Plebanos indebitè & præter omnem juris ordinem usurpative „ detentæ & perceptæ existunt His igitur respectibus ordinatum est, ut Dominus Epi- „ scopus velit deputare idoneas & notabiles personas Ecclesiasticas dignitates habentes, „ qui tam visis & examinatis juribus ipsorum Præbendariorum & Plebanorum si quæ ha- „ buerint, ac receptis attestationibus spiritualium & sæcularium personarum fide dignarum „ tempore ipsius condam Domini Joañis Eppi recordantium ac etiam alijs sufficientibus docu- „ mentis intellectis, & quascunque præbendas vel Parochiales Ecclesias ex hujusmodi juri- „ bus atque atestationibus, vel legitimis probationibus tempore ipsius condam Domini Jo- „ hannis Episcopi à solutione decimarum liberos fuisse comperierint. Tales suis antiquis

„ liber-

„ libertatibus & consuetudinibus, uti valeant. Qui verò neque juribus neque attestationibus vel aliis sufficientibus documentis id probare poterint, tales decimas ipsi Domino Episcopo & Ecclesiæ suæ solvere teneantur. Qui verò deinceps successu temporum aliquas fundationes seu dotationes novas facerent cum possessionibus seu vineis aut terris Sessionalibus decimæ de illis omninò Eppo plenè persolvantur dempto quòd si aliquis Magnatũ vel Nobilium talem dotationem seu fundationem de vineis aut terris ad propriam Curiam suam pertinentibus fecerit, de illis decimis non teneatur Itẽ simili modo concluserunt. Quod si aliquis ex Dominis Regnicolis legaverit in vita, vel in morte aut etiam donaverit aliquas hæreditates, terras, vineas, aut sessiones, de quibus alias ipsi decimæ Domino Eppo provenerunt. Monasteriis seu fratribus Claustralibus. Quod de hujusmodi bonis decimæ Domino Episcopo integrè persolvantur. Item si aliqui Officiales Wayvodæ seu Villici quorumcunque Magnatum seu Nobilium hujusmodi Regni sive de scitu & voluntate Dominorum suorum, sive alio quocunque modo aliquas villas seu possessiones aut Colonos à decimatoribus tempore dicationis abnegaverint. Et id reformare noluerint. Extunc contra tales Dominus Episcopus, aut homines sui possint pro damnis exinde secutis per Censuras Ecclesiasticas procedere. Item quod ex quo Dominus Prior Auranæ percipit decimas de Colonis su s qui habent vineas in territorijs seu promontorijs aliorum Nobilium extra metas & possessiones Prioratûs sui de quibus scilicet vineis Domino Episcopo & Ecclesiæ suæ decimæ juridice provenire deberent, visum est Regnicolis, quod pro hujusmodi injusta usurpatione & perceptione decimarum Dominus Episcopus procedat & agat contra Eum juridicè, prout sibi videbitur aut in foro Spirituali, aut sæculari. Item si aliqui ex Magnatibus Comitatuum prædictorum huic dispositioni parere & obtemperare noluerint & possessiones ac Bona ipsorum secundùm eandem dicare decimasque de eisdem percipere non consenserint. Extunc Regnicolæ apud Regiam Majestatem & Banos Regni Sclavoniæ. Juxta eorum possibilitatem dicto Domino Episcopo juvamine adesse promiserunt, neque eis in hac parte adhærere volunt. Et nihilominus Dominus Episcopus ad solutionem decimarum penes illa obligamina quibus Domino Ep scopo se adscripserunt eos prout sibi videbitur, & per censuras Ecclesiasticas astringere valeat. Item casu quo extra hanc dispositionem temporum in processu aliquid tale emerserit. Quod ipsi Domino Episcopo vel Regnicolis in damnum vel injuriam vergere possit. Extunc Regnicolæ probos eligant è medio ipsorum Qui cum Domino Eppiscopo negotium hujusmodi cognoscant & intelligant, & secundum Deum & ejus justitiam pro commodo & quiete utriusque partis in bonum statum reducant, salvis tamen semper articulis præmissis in suo robore duraturis. Ipsoque registro coram nobis sicut præmisum est producto & oblato Memorati Domini Osvaldus Episcopus, nec non Ladislaus de Gereben Michael Comes de Blaga. Paulus de Pakos. Georgius Thuroczy Stephanus Dersfy. Petrus Bocskay. Magister Petrus de Gudowcz. Bernaldus Rohfy. Nicolaus de Peker. Et Gregorius dè Sthubycza. Prætactum Registrum & omnia, in eodem contenta se & prætactos Incolas Regni Sclavoniæ eorumque Successores universos, Vitâ ipsius Domini Episcopi durante, Rata grata & acceptâ habere ac juxta ejusdem tenorem jam dictas decimas eidem Domino Osvaldo Episcopo dictæ Ecclesiæ Zagrabiensi persolvere velle compromiserunt, assumpserunt nostro in conspectu. Tali vinculo interjecto. Quod si communitas Nobilium prædictorum simul & invicem dispositionẽ in ipsis articulis declaratam infringeret seu immutaret, & secundùm eandem decimas Domino Episcopo dicare non admitteret, vel persolvi facere quoquomodo nollet aut recusaret. Extunc eadem communitas per ipsum Dominum Episcopum in pœna & solutione decem milium flor auri convincatur, & convinci debeat eo facto, ad quorum solutionem, Regia Majestas solùm vigore præsentium eandem communitatem compellere, & astringere, & directam medietatem talis summæ pro se ipso recipere & habere, aliam verò similiter directam medietatem Domino Episcopo absque omni defectu administrari facere. Et nihilominus omnia & singula in præscriptis articulis & dispositione exarata per ipsam communitatem observari facere plenam atque omnimodam possit & valeat habere potestatis facultatem. Ubi si aliqui Baronum Comitum & Magnatum possessiones, & bona in dictis duobus Comitatibus habentium præmissam dispositionem more & ad instar totius communitatis prædictæ tenere & observare nollent, Ex tunc Dominus Episcopus de bonis & possessionibus talium. Juxta antiqua privilegia & jura Ecclesiæ suæ, de illorum verò bonis & possessionibus qui ex ipsis vel eorum prædecessores Domino Episcopo literis suis dudum se obligârunt, tales sub illis obligaminibus & conditionibus prout in eisdem literis obligatorialibus continetur ipsas decimas percipere valeat, qui si rebelles fuerint secundùm libitum suum, contra tales procedere possit, Non prætermisso ut Dominus Episcopus omnes litteras obligator:

„ & quaslibet inscriptiones. Quibus mediantibus nonnulli Magnates & Nobiles eidem „ Dño Eppo ac Ecclesiæ suæ sub quacunque forma verborum & sub quibuscunque si- „ gillis ratione decimarum huc usque se obligarunt, eisdem in specie reddere & resti- „ tuere teneatur, difficultate absque omni. & si aliquas reservaret, vanæ cassæ mortuæ „ & viribus cariturae permaneant æviterne, demptis litteris illorum Baronum Comitum „ ac Magnatum; si qui novis litteris eorum se & hæredes eorum ad observationem „ præsentis dispositionis obligare recusabunt. Quas Dñus Eppus eis reddere non te- „ neatu, sed in suo permaneant vigore prout sunt emannatæ, ob hoc & nos registrum „ hujusmodi præsentibus verbotenus insertum & singula in eo declarata & contenta ad „ partium petitionem laudamus. acceptamus, approbamus, ratificamus, & roboramus, „ præsentium testimonio mediante. In quorum omnium fidem & testimonium præ- „ sentes literas nostras petentibus partibus eisdem duximus concedendas, jurium ipso- „ rum ad cautelam communi justitia svadente. Datum die & loco quibus supra Anno „ Dñi Millesimo Quadringentesimo Nonagesimo. Nos igitur supplicationibus Anno- „ tati Domini Osvaldi Eppi, nobis modo quo supra porrectis Regia benignitate ex- „ auditis & clementer admissis prænotatas literas Annotatorum Dominorum Prælatorum „ & Baronum non obrasas non cancellatas nec in aliqua sui parte suspectas præsenti- „ busque literis nostris de verbo ad verbum sinè diminutione & augmento aliquali „ insertas Quo ad omnes earum continentias, clausulas, & articulos acceptamus, „ approbamus, & ratificamus, præmissisque fassioni compositioni limitationique ac obli- „ gaminibus inter memoratum Reverendum Dominum Zagrabiensem ac præfatos No- „ biles dictorum duorum Comitatuum Crisiensis & Zagrabiensis modo & ordine quo „ supra factis omnibusq; aliis & singulis in eisdem litteris contentis & expressis. Nostrũ „ Regium consensum præbuimus, præbemúsq; benevolũ pariter & assensum. Et nihilomi- „ nus intelligentes certis antea retroactis annis super solutione decimarum hujusmodi „ inter ipsum Dominum Eppum & præfatos Nobiles. Sæpedictorum duorum Comita- „ tuum, plures differentias lites & controversias submotas exortasque fuisse, ùt igitur „ eædem de cætero penitus extinguantur, & præmissæ fassiones limitationes, compo- „ sitionesque & obligamina præfatorum Domini Eppi, & Nobilium dictorum Comita- „ tuum, Inviolabiliter perpetueque observentur; Easdem literas ipsi Domino Eppo, „ Ecclesiæque suæ prætactæ, Vitâ ipsius comite in perpetuum roboramus, & confirma- „ mus; In cujus rei memoriam firmitatemque perpetuam præsentes literas nostras quas „ Secreto Sigillo nostro quo ut Rex Hungariæ utimur impendenti communiri fecimus. „ Eidem duximus concedendas; Datum Budæ in Festo Beati Michaëlis Archangeli, „ Anno Domini Millesimo quadragentesimo Nonagesimo. Regnorum nostrorum Hun- „ gariæ & Coronationis primo Bohemiæ vero vigesimo.

LADISLAUS REX. Manu propria.

Locus Sigilli impendentis.

Aliarum Series hoc ordine continetur.

„ Angelus DEI Gratia Episcopus Ortanus ad Germaniam, Hungariam, Polo- „ niam, Bohemiam, illisque adjacentes partes & Regna. Sanctissimi Domini no- „ stri ac Sedis Apostolicæ cum plena potestate Legati, delatere Legatus, & in causis „ decimarum per præfatum Sanctissimum Dominum nostrum & Apostolicam Sedem, „ Commissarius specialiter Deputatus; Universis & singulis præsentes nostras inspe- „ cturis Salutem in Domino. Sedis Apostolicæ providentia Circumspecta libenter in- „ tendit, Ut quæ semel inter partes libera voluntate disponuntur, Inviolabiter obser- „ ventur, & ad ea observanda, cùm ab eadem petitur: perpetui roboris libenter adi- „ cit firmitatem, Maxime ut Spirituales Viri, ac præsertim Ecclesiarum Cathedralium „ Antistites semotis, quibusvis obstaculis quæ rem consulto gestam perturbare pos- „ sent, liberius ac quietius DEO Altissimo valeant suum exhibere famulatum: hinc est, „ Quod nobis in Regnis Hungariæ existentibus, ac in omnibus causis decimarum à Sede „ Apostolica Specialem Comissionem habentibus. Cujus Comissionis nostræ tenor se- „ quitur & est talis. INNOCENTIUS EPISCOPUS Servus Servorum DEI. Vene- „ rabili Fratri Angelo Episcopo Ortano ad Regnum Hungariæ cum plena potestate „ Legati delatere nostro & Apostolicæ Sedis Nuntio & Oratori salutem, & Apostoli- „ cam benedictionem. Cum nos hodie te ad Regnum Hungariæ pro nonnullis no- „ stris & Romanæ Ecclesiæ arduis negotiis, nostrum & Apostolicæ Sedis Nuncium & „ Oratorem ad DEI laudem & præfatæ Ecclesiæ statum & honorem cum plena pote-

„ state

„ state Legati de Latere duxerimus destinandum. Et sicut Nobis nuper charissimus „ in Christo filius noster Matthias Hungariæ Rex Illustris, per Venerabilem Fratrem „ Johannem Episcopum Sirmiensem suum apud nos Oratorem fecit exponi: licet in Re„ no illo tanto à tempore casus contrarii hominum memoria non extitit, semper ex „ prædiis & Bonis omnibus, quæ Christi fideles possiderent, Ecclesiis integrè decimæ „ solvi consveverint. Ideoq; inviolabiliter observatū fuerit tamen a multis jam annis citra „ occasionem hujusmodi decimarum & super modo solutionis earundem, Variæ lites „ inter diversas præfati Regni personas exortæ fuerint. Super quibus in Romana Cu„ ria coram diversis Comissariis & Judicibus & Causarum Palatii Appli Auditoribus li„ tes pendentes adhuc indecisæ non sine maximo partium dispendio essent. Nos consi„ derantes quod decimæ non tam humano quam Divino jure debentur, quas DEUS „ sibi reservatis, Sacerdotibus in signum universalis Dominii mandavit, ac tam debito„ torum ipsarum decimarum dispendiis, quam iis quibus debentur paterna caritate con„ sulere volentes omnes & singulas Causas hujusmodi coram quibusvis Judicibus „ in Romana Curia sivè extrà eam, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus. Et „ præsertim coràm Venerabilibus fratribus nostris Anthonio Tiburtino ac Johanne Ale„ xandrino Episcopis, & dilectis Filiis Petro de Ferrera Gvillermo de Pereriis, Fran„ cisco Brevio, Matheo de Ubaldis Matheo de Porta Jeronymo de Porchariis Felicio „ de Gandera Eggerdo Dureoii & Petro de Acolitis Palatii Apostolici Causarum Au„ ditoribus pendentes, etiamsi ad Sedem prædictam legitime devolutæ ac de Juris „ necessitate in eadem Curia tractandæ & finiendæ existant. Illarum status & me„ rita præsentibus pro sufficienter expressis habentur ad nos Advocantium illas & ea„ rundem singulas in eis statu termino & instantia in quibus coram eis respective pen„ dent, fraternitati tuæ tenore præsentium resumendas ac ulterius etiam sumarie sim„ pliciter & de plano sine strepitu & figura Judicii cum omnibus & singulis inciden„ tibus emergentes, annexis & connexis attentatis & Innovatis, attentandisque & „ innovandis, audiendas & fine debito terminandas, citandi cum potestate etiam extra locū „ Comissionis tuæ, & etiam per edictum publicum si ad citandum tutus non pateret „ accessus, omnes & singulos suum quodlibet interesse putantes, in Regno prædicto & „ extra illud existentes, & inhibendi etiam sub Censuris quoties videris expe„ dire ac alia faciendi gerendi & exequendi quæ in præmissis & circa ea necessaria „ fuerint quomodolibet & opportuno Authoritate Apostolica tenore, præsentium com„ mittimus & delegamus. Inhibendo præfatis Cardinalibus Episcopis Judicibus Com„ missariis & Auditoribus, ne se de causis hujusmodi ulterius quomodolibet intromit„ tere præsummant, ac decernendo ex nunc irritum & inane quidquid in illis per „ eosdem & quoscunque alios quavis authoritate scienter vel ignoranter contigerit „ attentari. Volumus autem quod quidquid in præmissis decreveris per Censuras Ec„ clesiasticas earumque aggravationem & reaggravationem, ac Juris opportuna reme„ dia & etiam pœnas pecuniarias de quibus tibi videbitur Appellatione postposita fir„ miter facias observari, Invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio Brachii sæcularis. „ Super quibus omnibus & singulis tibi plenam liberam & omnimodam harum serie „ concedimus facultatem. Non obstantibus præmissis ac constitutionibus & ordina„ tionibus Applicis contrariis quibuscunque, aut si alicui vel aliquibus inter quos de„ cimarum hujusmodi causas tractari & diffiniri contigerit quacunque Ecclesiastica vel „ mundana sint præditi dignitate, à Sede prædicta indultum existat: interdici suspendi, „ vel excommunicari non possint per literas Applicas, non faciendo plenam & ex„ pressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & qualibet alia „ dictæ sedis indulgentia, generali vel speciali cujuscunque tenoris existat, suspendi vel „ excommunicari: per quam præsentibus non expressam vel totaliter non insertam con„ fectus hujusmodi Commissionis & mandati impediri valeat quomodolibet vel differri „ & de quibus quorumcunque totis tenoribus habenda sit in his literis mentio specia„ lis. Nos enim Sententias quas rite tuleris atque alias pœnas quas statueris in rebel„ les, ratas habebimus & faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam „ inviolabiliter observari. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Do„ minicæ Millesimo Quadringentesimo Octuagesimo Octavo Kalend. Septem. Pontifica„ tûs nostri anno quarto.. Reverendi in Xto Patris Dñi Osvaldi Episcopi Zagrabiensis „ oblata petitio continebat. Quod cùm aliàs inter eundem Reverendum in Xto Pa„ trem Dñum Osvaldum Eppum Zagrabiensem & dilectos filios universos Nobiles Re„ gni Sclavoniæ Crisiensis & Zagrabiensis Comitatuum de & super decimatione fru„ ctuum in teritoriis dictæ Diœcesis Zagrabiensis excrescentium & ad ipsum Dñum „ Osvaldum Episcopum ac Ecclesiam suam Zagrabiensem spectantium & pertinentium ac

de modo solvendi dictas decimas lis & controversia exorta fuisset Tandem pro quiete & tranquilitate utriusque partis de unanimi voluntate ad infrascriptam dispositionem & firmam pacis unionem devenerunt, quam dispositionem penes utriusque partis liberam fassionem in Congregatione generali in Campo Rakus celebrata nuper facta, Literis & sigillis Dñorum Prælatorum & Baronum publicis confirmari corroborari & communiri fecerunt. Quarumquidem literrarum & compositionis prædictæ Tenor de verbo ad verbum sequitur & est talis. Nos IPOLITUS Estensis electus & confirmatus Strigoniensis, Petrus Collocensis Archi-Episcopus, Urbanus Argiensis, Ladislaus Geret, Albensis Transsylvaniensis, Sigismundus Quinque Ecclesiensis, Thomas Jauriensis, Johannes Weszprimiensis, Johannes Chanadiensis Nicolaus Vaciensis, Frater Gregorius Nitriensis, Stephanus Electus confirmatus Sirmiensis, Lucas Electus Bosnensis Ecclesiarum Episcopi, Item Comes Stephanus de Bathor Wayvoda Transylvanus & Judex Curiæ Regiæ, Sigismundus & Petrus Comites de Buzyn, & de Sancto Georgio, Paulus de Kyrys Comes Themesiensis, Petrus Gereb de Wyngarth, Ladislaus Orzag de Guth, Andreas de Bathor, Ladislaus de Rozgon, Nicolaus Bamffy de Alsolyndva, Ladislaus de Lossoncz, Bartholomæus Dragfy de Belthewk, Ladislaus & Stephanus Morocz de Megiesalya, Johannes Banfy de Lewa, Benedictus de Chak, Vilhelmus Pankyther de Zalonoz, Dese Banfy de Lossoncz, Nicolaus & Johannes Pethewfy de Gerse ac Nicolaus Zolomy de Albees. Memoriæ commendamus per præsentes quod nobis una cum Regni Nobilibus feria tertia proxima ante festum Sacratissimi Corporis Christi pro Electione futuri Novi Regis in Civitate Pesthiensi aliaque in loco ad id apto & consveto in nostra & totius Regni Congregatione Generali constitutis, & existentibus, Reverendus Dominus Osvaldus Episcopus Ecclesiæ Zagrabiensis sua ac Ecclesiæ suæ ante dictæ ab una: necnon Egregii ac Nobiles Ladislaus de Gereben, Regni Hungariæ Vicepalatinus, Michaël Comes de Blaga, Paulus de Pakws Georgius Thuroczy de Ludbreg, Stephanus Dersfy de Zerdahel, Petrus Bocskay, de Raszyna, Magister Petrus de Gudowcz Regni Sclavoniæ Vice-Prothonotarius, Bernardus Rohfy, Nicolaus de Peker, & Gregorius de de Zthwbycza in ipsorum ac universorum omnium Dominorum Nobiliumque & Incolarum Regni Sclavoniæ Comitatuum Crisensis & Zagrabiensis nominibus & in personis Nostram venientes in præsentiam Allegarunt eo modo. Quod quamvis inter ipsum videlicet Dñum Osvaldum Eppum ab una & præfatos universos Incolas dicti Regni Sclavoniæ partibus ex altera in facto decimarum ipsi Dño Osvaldo Episcopo & Ecclesiæ suæ prædictæ provenire debentium. Nonnullæ dissensiones & controversiæ à pluribus annis suscitatæ extiterint & agitatæ, tamen Ipsæ partes juxta contenta ejusdam Registri in manibus eorum habiti nobisque specietenus præsentati & producti, sopitis prius universis litibus & contentionibus exhinc ortis seu infuturum emergendis in facto prædictarum decimarum ordine in eodem Registro contento se ad ultimum concordasse retulerunt. Cujus quidem Registri tenor Is est. SOPITIS CASSATISQUE & annullatis &c. (uti immediate præscriptum instrumentum, cum quo præsens etiam per omnia concordaret dempto præambulo præmisso, & conclusione modò infrascripta) Post quarum quidem litterarum exhibitionem & præsentationem, fuimus Pro parte ejusdem Episcopi debita cum Instantia requisiti, ùt pro majori & ampliori roboris firmitate, Sedis ejusdem legationis, quo nunc Officio, fungimur auctoritatem, decretum & firmitatē interponere nec non contra omnes & singulos præmissam compositionem & pactum servare deinceps nolentes, pœnas peccunarias quas nobis expedire videretur: Atque censuras Ecclesiasticas aggravationem scilicet & reagravationem, nec non auxilium brachii Sæcularis in rebelles & contradictores necnon conservatores & executores mandatorum & confirmationis nostrorum præmissorum dare, imponere & concedere juxta literarum Apostolicarum vim & continentiam, dignaremur. Nos itaque considerantes decimarum causas divino jure ad sedem Apostolicam quæ mater & Magistra Christi fidelium omnium existit Specialiter spectare & pertinere, cum Dominus Decimas ipsas Sacerdotibus solvi in signum universalis dominii mandaverit, ex quibus Sacerdotes qui Altario domini deserviunt vivere & onera incumbentia perferre commodius possent, Quibus igitur adducti rationibus justis hujusmodi requisitionibus, assensum præstitimus, ut eo amplius Reverendus Dominus Episcopus. Jugi Ecclesiæ suæ servitio insistens, Altissimo vota sua reddere possit, quo Jura decimæ & alia suæ Ecclesiæ debita sublatis obstaculis sinè fraude aliqua recipere & exigere auctoritate Apostolica confidat & speret, cognoscendo imprimis ipsas literas compositionales non Cassas non Cancellatas nec in aliqua sui parte suspe-

ctas

„ ctas atque omni prorsus vitio & suspicione carere. Sed veras & validas ac Baronum & „ Prælatorum veris & legitimis Sigillis obsignatas prout fide dignorum testimoniis id esse „ cognovimus, & Nos ipsi vidimus. Compositionem & acta supradicta authoritate Apo- „ stolica præmissa, In omnibus Clausulis, punctis, & Articulis, Approbamus, rati- „ ficamus, & confirmamus ac præsentis scripti patrocinio communimus, supplentes omnes „ & singulos defectus qui forsan in præmissis intervenissent. Quodque ut præmisso- „ rum semper & ubique parata sit executio, Reverendis, in Christo Patribus Dominis „ Modrusiensis & Thininiensis Provinciæ Croatiæ Ecclesiarum Episcopis præmissa Autho- „ ritate Apostolica committimus, quatenus, dum & quando pro parte ejusdem Domini „ Zagrabiensis, ùt contra rebelles, & præmissa omnia, Vel illorum singula observare „ adimplere recusantes, requisiti aut alter eorum requisitus fuerit, possint, Valeant, & „ debeant summarie simpliciter & de plano sine strepitu & figura Judicii sola facti „ Veritate inspecta, omnes & singulos hujusmodi recusantes aut rebelles infra aliquem „ prout eis aut alteri eorum videbitur terminum, monere ac requirere ùt doceant reali- „ ter & cum effectu compositionibus & Capitulis supradictis paruisse, obedivisse, & „ satisfecisse. Quodsi de paritione & satisfactione in termino sicut præfertur non do- „ cuerint. Ad Censuras Ecclesiasticas agravationem, reaggravationem pecuniarias penas „ & gravissimas ad arbitrium ipsorum conservatorum & demum illorum, vel illius, adim- „ plere & satisfacere recusantium vel recusante: exigente contumacia ad brachii sæcula- „ ris Invocationem procedere possint & debeant: Mandatur. Insuper eadem autho- „ ritate Apostolica omnibus & singulis tam Sæcularibus, quàm Ecclesiasticis Judicibus qui „ cum præmissis, à dictis Dominis Episcopis Conservatoribus præfatis. Requisiti fue- „ rint in virtute obedientiæ primo, necnon excommunicationis latæ sententiæ pœna, quam „ in Contradictores in his scriptis proferimus, ut mandatis & Requisitionibus dictorum „ Episcoporum conservatorum pareant obediant, & Mandata ipsorum exequantur. Ipsi- „ que Episcopi Conservatores Illum vel Illos qui in Censuris Ecclesiasticis, & peccunia- „ riis pœnis ob non paritionem inciderit vel inciderint toties quoties opus fuerit ad „ ipsius Domini Episcopi Zagrabiensis Requisitionem Eadem authoritate Apostolica sa- „ tisfacto prius dicto Domino Episcopo Zagrabiensi aut aliter cum eodem concordato „ absolvere possint, & debeant, in forma Ecclesiæ consveta, præsentibus ad vitam ipsius „ Osvaldi moderni Zagrabiensis Episcopi duntaxat duraturis. Salvis tamen semper „ Juribus & Privilegiis dictæ Ecclesiæ Zagrabiensis super ipsis decimis exoluendis. „ Datum Budæ Wesprimiensis Diœcesis in domo solitæ nostræ Residentiæ die quinto „ Mensis Julii. Anno Domini Milesimo Quadringentsimo Nonagesimo, Pontificatus „ autem Sanctissimi in Christo Patris & Domini nostri Domini Innocentii Divina provi- „ dentia Papæ Octavi, Anno sexto. Præsentibus ibidem Reverendis in Christo Pa- „ tribus Christophoro Modrusiensis & N. Neapoliensis Ecclesiarum Episcopis, ac Venera- „ bilibus Viris Dominis Martino Prothonotar. Apostolico & Budensi Plebano, & Maf- „ feo Illustrissimi Domini Ducis Mediolanensis Oratore & Fabiano Ecclesiæ Zagra- „ biensis Canonico Testibus ad præmissa vocatis pariter & rogatis. Et EGO JACOBUS „ Lucæ DE BODOG. ASZON FALVA Transylvanensis Diœcesis Sacra Imperiali authoritate „ Notarius publicus, quia præmissæ confirmationi approbationi, Conservatorũ dationi, „ necnon Censurarum Ecclesiasticarum, & pecuniariarum pœnarum, unà cum auxilio „ brachii Sæcularis appositioni, aliisque omnibus & singulis dum sicut præmittitur per „ Reverendissimum Dominum Angelum Legatum Apostolicum fierent & agerentur, unà „ cum prænominatis Testibus, & Notariis, Collegis meis infrascriptis præsens fui, ea- „ que omnia sic fieri vidi, & audivi, ideò hoc instrumentum publicum seu has literas „ per alium fideliter scriptum exinde confeci, & in hanc publicam formam redegi, signo- „ que ac nomine meis solitis, & consvetis consignavi, & roboravi, in fidem ac Testi- „ monium omnium & singulorum præmissorum requisitus & rogatus. II. LOCUS SIGNI „ EJUSDEM. Et Ego LUCANTONIUS FLORENTINUS Civis Viterbiensis, Aposto- „ ca, & Imperiali authoritatibus Notarius publicus & ad præsens præfati Reverendissi- „ mi Domini Legati immeritus Secretarius. Quia præmissis Confirmationi, approba- „ tioni, Conservatorum dationi, necnon Censurarum Ecclesiasticarum, & pecuniariarum „ pœnarum unà cum auxilio brachii sæcularis appositioni, aliisque omnibus & singulis, „ dum sic ùt præmittitur per Reverendissimum Dominum Angelum Legatum Apostoli- „ cum fierent & agerentur, unà cum prænominatis Testibus & inscriptis Notariis Col- „ legis meis præsens fui, eaque omnia sic fieri vidi, & audivi; Ideò hoc instrumentum „ publicum seu has Literas per alium fideliter Scriptum exindè confeci, & in hanc pu- „ blicam formam redegi, signoque ac nomine meis solitis, & consvetis consignavi, & „ roboravi, in fidem ac Testimoniũ omniũ & singulorũ præmissorũ requisitus, & rogatus.

„ L. A. Signum meum LUCÆ ANTONII Notarii antedicti. Et Ego Presbyter Bernardinus de Antonatiis Canonicus Galesanus Civitatis Calanæ Diœcesis, Imperiali Authoritate Notarius publicus, & ad præsens præfati Reverendissimi Domini Legati immeritus Capellanus. Quia præmissis Confirmationi, approbationi, Conservatorum dationi, nec non Censurarum Ecclesiasticarum, & pecuniariarum pœnarum una cum auxilio brachij sæcularis appositioni, aliisque omnibus & singulis dum sic ut præmittitur per Reverendissimum Dominum Angelum Legatum Apostolicum fierent, & agerentur unà cum prænominatis testibus, & inscriptis Notariis Colegis meis præsens fui, aque omnia sic fieri vidi, & audivi, Ideò hoc instrumentum publicum seu has litteras per alium fideliter scriptas exindè confeci. & in hanc publicam formam redegi, signoque ac nomine meis solitis. & consuetis consignavi, & roboravi in fidem, ac Testimonium omnium, & singulorum præmissorum, requisitus, & rogatus. B. Signum mei Presbyteri Bernardini Notarij antedicti. LOCUS SIGILLI IMPENDENTIS. Extat & aliud similium planè continentiarum Literale instrumentum, de eodem de quo immediatè præscriptum emanatum esset instrumentum. dato, & cum iisdem subscriptionibus priorum duorum Testium, & Notariorum Apostolicorum, solò tertiò Teste similiter & Notario Apostolicò omissò.

CAPUT XIV.

Episcopi Ecclesiæ Zagrabiensis, Sæculô XVI. & XVII. sive ab Anno Christi MD. usque ad Annum MDCC. Serie sua continuantur, & Ordine.

XLII.
LUCAS.

EX Chanadiensi sede, ad Zagrabiensem, translatum Lucam credibilius nobis est; ac quod ex *Laico* Zagrabiensis factus fuisset Episcopus. Opinioni huic occasionem præbuit, quod *Lucas Personalis Præsentiæ Regiæ Locumtenens* Litteris Anno 1501. ad Capitulum datis, eruatur. Quodve Capitulum Ejus elevationi restiterit, agente *Majori Præposito*, uti hoc Epistola Lucæ doceret. Ex qua tamen, Præpositi hoc *privativè* fuisse, quam Capituli totius, conycimus; cum hæc, 1501, Chasmâ, Festo Nativitatis B. V. M. scriberet Episcopus: Quod Præpositum Majorem, licèt diu absentem à Capitulo, ac contra sese agentem, in gratiam suam integrè recipiat, quia *ipse verè obediens reddiit, meque suum verum Pastorem humiliter recognovit.* Nostra autem Opinio, inde profluit, quod non Legamus, cum *Luca* fuisse dispensatum, quoad suscipiendos Sacros Ordines, uti cum OSVALDO factum. Et quod ex monumentis eruamus primum *Bosnensem*, inde *Chanadiensem* Episcopum fuisse. Sane in *Conclusione* Decreti Vladislai Regis de Annò 1498. legere est, LUCA CHANADIENSIS & statim in Decreti IV. Conclusione, Anni 1500. LUCA ZAGRABIENSIS, ac NICOLAO de Chák Electo Chanadiensis. Nec est, quod *Personalis* fuerit; si enim *Thesaurarii* (quod hodie Cameræ *Præsides* Vocantur,) Episcopi fuerunt: *Personalis* etiam Officio fungi potuit Episcopus.

Anno 1500. nominatum Episcopum Zagrabiensem *Lucam* fuisse, non solum Cap. VII. pag. 42. productum Vladislai Mandatum edocet, sed & Ejusdem LUCÆ ad Capitulum Epistola, quâ, feria 3. post Ascensionem Domini, Capitulo suam promotionem significat, mandans neminem, ante sui adventum, *sive vigore gratiæ expectativæ, sive quacunque alia ex Commissione in Canonicum, vel Dignitatem institui*, sive *installari* excepto Majori Præposito. Quam Dignitatem ex morte Alphonsi Thuz à Rege collatam significat ANTONIO de ANDREIS Capellano Regis, Comititque Installationē perfici haud suo expectato adventu. Circa Festum *Ascensionis Domini* LUCAS nominatus sit Zagrabiensis Episcopus, cum antea ejus non reperiatur mentio. Ab OSVALDI morte, Episcopi Bona, appræhensa, gubernata fuisse à Petro Bochkay & JOANNE Podmaniczky supra memoravimus. His feriâ quinta ante Festum S. Valentini, Budâ VLADISLAUS mandat, pro-nunti & *Futuro Episcopo Zagrabiensi* (ergo vacabat adhuc Sedes) Quod cum ex Privilegiis, eam libertatem haberet Capitulum, ut Canonicorum *ab intestato* decedentium, substantiam, nullus Episcopus aut Gubernator, ullo modo accipiat, sed arbitrio Capituli in tres partes dividatur, Ecclesiæ *una*. Pro Eleemosynis *altera*, ac tertia Sanguine junctis, & servis, Hac tamen violata Capituli libertate, Petrus & Joannes supradicti, in Canonici

cujus

cujusdam *intestati* substantiam involâssent. Mandat Rex, ut eam reddant. Capitulum nec ipsi, nec Episcopi turbent. Confirmando Privilegium Capituli.

LUCIA quoque Nobilis fœmina, *Filia* Clementis olim de Szentkelemen, *Vidua* autem Ladislai de Zempcse, coram Conventu S. Adriani Mart. de ZALA fassa est, quod ex devotione in S. Regem Stephanum, totales portiones suas possessionarias, in Possessionibus *Jakobovez*, *Zentkelemen*, *Cheperlinez*, *Embrehovecz* & *Zvinassa* cum omnibus & singulis earundem appertinentiis, *pro perpetua Eleemosyna* Capitulo donaverit, ita ut ipsa, vita durante iis uteretur, post mortem, mox in Capitulum devolventur, idque Vladislao Rege confirmante, jusque Regium Capitulo, ob magnam & constantem fidelitatem tribuente Buda Festô S. Joannis, ante Portam Latinam 1500. Dein ad Mandatum Regis, per *Regium hominem* Joannem Kerniak de Polona, coram Chasmensibus, Die 16. post Ascensionem Domini, nemine prorsus contradicente *Statutum* Capitulum, VLADISLAO iterum statutionem ipsam confirmante. Bernardus attamen & Andreas Thuroczius, *jure Vicinitatis*, Quodve Possessionum Embrehovecz & Zentkelemen pars quædam ad eos pertineret, coram JOANNE CORVINO Bano Sclavoniæ, in jus vocant Capitulum, & pecuniam offerunt. CORVINUS deliberat: *Vivente Lucia, Capitulum præmissa Bona, possidere debere, post mortem verò ejus per A, mediante perennali æstimatione posse redimi.* Utraque appellat partium, *A.* quod mors Luciæ præstolanda non esset, cum illa, resideret in Hungaria, & quod non *perennalis* sed *Communis* æstimatio sufficeret. I. quod quæ in *perpetuum* dantur, redimi nequirent. *In Curia Regia* in Octavis S. Michaëlis 1503 Judicatum, pronunciatumque est. Exquo Lucia, Capitulo Ecclesiæ Zagrabiensis, non pro summa aliqua, quæ, mediante æstimatione expediri posset, sed pro perpetua Eleemosyna, quæ Ecclesiasticas tantum Personas respiceret, sine læsione cujuspiam partis Actoreæ juris; nec Decretis Regni, fassione in perpetuam Eleemosynam facta, præjudicante, Donationem Regio Consensu factam stare & stabiliri, adeoque judicium Bani cassari & possessiones Capitulo in perpetuum adjudicari, causamque pro executione ad Banum remitti. Lectum & Extradatum in sede per Mgr. Stephanum Verbewczy, coram me Mgr. Gereczi, & coram me Joanne Ellgii.

Pro hac LUCIA Die 15. Augusti Annis singulis, *Vespera*, & Defunctorum Officium, in Cathedrali decantantur, & die 16. *Anniversarium*, cum Offertorio. Decanus Capituli ex *Officio*, Missam absolvit.

LUCAS autem Episcopus, ut parte II. uberius, incoatum ab OSVALDO Ecclesiæ Opus prosequitur. Ad testudinem templi 7000. fl. Osvaldi errogat, 5000. Castellum Zvibovcz à Balthasare Seniore Batthyani emit pro Chasmensi Capitulo. Et quia 7000. ab OSVALDO pro turribus Legata, clam Custos *Thomæ Cardinali* dedisset, Eum, Lucas in Castro suo *Gemlecz* custoditū tenuit. Anno 1500. Hinc credimus, Andreæ Majoris Præpositi, accusationes ortum habuisse, ac ob Thomæ Cardinalis respectum, causam Custodis tuitum. Profectò Lucam cum Zagrabiensibus Canonicis, non convenisse, tanta perhibent. Quæ causa fuerit? nos præterit. Apparet Virum *primi motus* fuisse, facilémque ad Præbendas aures delatoribus, cum ferè Universa retractârit. quæ antea statuerat. Sic *Antonium de Megurecchis Can. Zag.* privandum proventibus scripserat, & consortio Capitulari arcendum, sed revocat litteris aliis, quod male fuerit informatus, cognoverítque inimicorum *Antonii* figmenta. *Stephanum* quoque *Broderich* Can. Zag. persecutus est. Quô ad Regem appellante, ut audiri possit, auditóque in gratys Ejus, summis fuerat. *Joanni* quoque *Bradach* Archi-Diacono Bexin 1510. Archi-Diaconales redditus vetuerat, quod in Presbytherum ordinatus *Primitias* distulisset, causâ, ut Lucas relatione credidit, Joannem agere ut ad sæculum reddeat. Istud, ab Inimicis Joannis confictum inde est, quia consortia Nobilium avebat Joannes. At Epistola alia, priorem, *Lucas* revocat. *Stephanum* tamen *Lectorem* per Sententiam *privavit* beneficiis. Anno enim 1508. *Balthasar* de *Alap* Capitaneus Gentium Regiarum levis Armaturæ in Croatia, conquæstus coram Rege est: Quod is fassionem certam, cuidam *Joanni Pofegay* coram Blasio de Dombro, Archi-Diacono & Canonico Zagrabiensi fecisset. *Stephanus* tamen Lector dolosè fassionem viciasset, & Balthasarem suis juribus destitui procurâsset. *Vladislaus* mandat Eppo, ut auditis partibus judicium faciat, & *reum* authoritate Regia puniat *Buda fer. 5. post Dominicam Oculi.* fit judicium, & Die *1ma* Novembris, præsentibus Notariis & testibus fatetur Stephanus factum, causam adjungens, ut fassio cum litteris per ipsum Privilegialiter conscriptis concordaret, haud Credens per quempiam hominum hujusmodi abrasionem & falsificationem cognoscendam. Privatur igitur Beneficiis, totóque Regno exulat.

1503. Die 17. Julii incoatum Ecclesiæ opus, prosecutúmque strenuè, JULIO II. Romano Pontifici 1509. à LUCA supplicatum: Ecclesiam Zagrabiensem (quam sumptuoso opere ædificari inceptam, LUCAS à paucis annis perfecerat) confiniis & Turcarum

incursionibus propinquam esse, adeoque suis sumptibus muro eam cingere se proposuisse. Loci tamen angustia impediri, & signanter Ecclesia quadam Parochiali (*S. Emerici*) in loco, propugnaculis construendis, opportuno sita; Cujus ædificia parva & satis rustica essent. Quia autem vicinaretur Ecclesiæ Monasterii Ordinis *Cisterciensium*, Abbate & Religiosis destituta: supplicat Pontifici ut Ordinem illum Zagrabiæ supprimat, Parochialem, in Monasterii Ecclesiam transferendo. Præterea, ut Ejus Ecclesiæ Parochus, *Præpositus* nuncuparetur, ad effectum cognoscendarum causarum quæ ei, tanquam Personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, à Sede Apostolica committi possent. Quodve nullus possit simul esse, Ecclesiarum Zagrabiensis vel Chasmensis Canonicus, & Ecclesiæ hujus Præpositus, tametsi à Romano Pontifice promoveretur, talisque sive Promotio, sive Dispensatio, nullius roboris futura sit, ac firmitatis. His *Lucæ* petitis, in omnibus ac singulis defert Pontifex, *modò consensus Parochi* accedat, Kalendis Junii, Pontificatus Anno VI. Nunquam restituti amplius PP. Cistercienses. *Parochia* ad Monasterii Ecclesiam translata. Præpositura tamen Canonicis conferri solebat, usque ad *Petri Domitrovich* tempopora, qui, *Ferdinandi* Regis consensu, *Seminario* Ecclesiæ Zagrabiensis illam applicuit.

1503. Budæ *feria 5. post Festum S. Sophiæ* Vladislaus per defectum *Gregorii* de Dolecz, eum jure Regio donat, propter fidelia servitia Capitulo Bona *Dolecz* & *ad* Mandatum Regiū per Chasmenses facta *Statutio* fer. 3. post festum Translationis S. Benedicti nemine contradicente. Quo Eodem Anno ratione roborum pro tecto Ecclesiæ necessariorum, talis per *Lucam* facta est divisio. Quam adjungimus ideo, ut possessionum nomina sciantur. *Babonyn* 1. *Moztovcz* unum, *Knesczy* 3. *Parusucz* 6. *Markovcz* 5. *Gradecz* 5. *Toosbenik* 3. *Brezovcz* 5. *Podialecz* 4. *Verbovliancz* cum *Liplancz* 3. *Grabetkovcz* 3. *Simonchevcz* 2. *Hagen* 4. *Zekorovcz* 1. *Gogova* 2. *Bolch* 2. *Sogovcz* 1. *Belchevcz* 2. *Koritna* 3. *Fuka* 2. *Cziglena* 5. *Osok* 3. *Luka* 1. *Ztrelechk* 1. Ex Provincia Dombrensi, uti & *Gyurgyevcz* 1. Oppidum Dombro 5. Novak 1. *Torianovcz* 2. *Rogariucz* 1. *Lomes* 2. *Robora de Ivanich Lonia*, *Ivanich*, *Gluboko*, *Filipovcz*. Lupoglav, Polana, Drascha Dubovcz, Dragucha, Prechecz, Benedikovcz, Obed S. Crucis, Kliuch, Dolanovcz, Gay, Chernchevcz, Gurgekovcz, Greda Budrigh, Potochy, Hraschina, Mikinovz, Mihalievcz, Robora de Provincia Zagrabiensi, Pagi Capitulares dederunt, Pagi etiam Episcopales. . . *Mathias* de Frangepanibus, singularem Benefactorem se exhibuit in Asseribus & Lignis.

Anno dein 1505. cognoscens *Missam* in honorem S. Stephani in Cathedrali Ecclesia ab immemorabili ab Episcopis Zagrabiensibus, ex Proventibus Episcopalibus institutam, sed *Vacante Sede* neglectam, Eam iterùm restituit, in perpetuum Decimas Utriusque *Gradecz* & *Petrina* Capitulo applicando. *Ex* Arce *Chasma* Die 1. Aprilis. Quam suam ordinationem, Authoritate JULII II. 1510. Romæ Kal. Julii confirmari procuravit.

Turcæ Jaiczam obsederant 1500, sed à Joanne Corvino Cæsi fugatique sunt. *Posegam* quoque & *Valconem* populabundi excurrerunt, igne feróque grassati, sed pœne omnes interfecti, Ipso *Vidino* injectis ignibus deleto, JOANNES CORVINUS 1504. ætatis suæ 35. fatis decessit. Vidua Ejus, *Christophoro*, & *Elisabetha* in tenera ætate mortuis, Corvini Prolibus, Vladislai Regis voluntate GEORGIO Marchioni BRANDEBURGENSI connubio juncta, hæres amplissimarum Corvini facultatum ex asse facta. Cujus jure, GEORGIUS Castrum Medve, aliaque possedit, brevique prodigalitate sua decoxit ac dissipavit. De quibus, ac aliis, *Istvanffius* videndus.

BANORUM SERIES ET NOMINA. Ab Anno 1500. Joannes Corvinus, ad dies vitæ suæ. 1504. *Andreas Both* cum *Francisco Balassa*, de Gyarmath. Sed Francisco, ex defectu Bonorum in Sclavonia, deprecato, *Rex Marcum Mislenovich* Arcis Budensis Præfectum, substituit. *Ritterus* commemorat, Anno 1508. ab utroque prædictorum, translatum fuisse *Banatum* Sclavoniæ ad *Gregorium de Kaniza*, & *Joannem Ernust* de *Chaktornya* prioribusque, Dalmatiam & Croatiam relictam fuisse, quin ea dedisse Vladislaum mandata, Andrea Both cedere nolente *ut contra illum universaliter insurgant, & ad occupandum Banatum Gregorio assistant*. Sed de his nil *Istvanffius*, narrans *Andream* & *Marcum*, in Illyrici Præfectura 1512 defunctos. *Andream* ex diuturno morbo in arce sua *Ztenichniak*, *Marcum*, dum equum currentem circumageret, lapsu, luxata cervice, mortuum. Quare etsi fors delati fuissent Vladislao, veniam obtinuerint.

VICE-BANI, 1508. *Ludovicus* de Peker & *Franciscus* Nelepczi. Anno 1510 *Paulus* Chaulovich de Gyuk Vice-Banus.

Episcopus LUCAS condito testamento, Legatisque Ecclesiæ 16000. Aureorum, quæ vivens deposuerat, servanda, pro Ejus necessitatibus, in casum Turcarum excursionis, aut depopulationis, executoribus constitutis, Balthasare Bathyan Seniore, & Bernardo de Thurocz. *Chasma* ubi constanter morari consueverat, Ut tot testantur, & ferè omnes Litteræ

teræ. Sæpiusque mitti sibi pro consilijs postulabat Zagrabiâ Canonicos. X. Kalend Octobris 1510. obijt. Vicarios, Annis singulis mutabat, Alphonso Præposito Zagrabiensi & Andrea Chasmensi usus plurimum. Qui posterior, Decretorum Doctor, & SS. Theologiæ, imò & *Suffraganeus* legitur, alibi, SS. *Theologiæ* Professor: ut credamus *Andream* Chasmæ aut *Theologiam* tradidisse, aut Episcopi & Capituli *Theologum* fuisse. Delatum ad Cathedralem, *Lucæ* corpus, hic sepultum est, cum Epitaphio & inscriptione sequenti. Monumento marmoris rubei, incisa Antistitis effigie, Ejusque insignibus Ære conflatis. Quæ in scuto Gryfum coronam pedibus calcantem, exprimunt.

Hic situs est Lucas Præsul Venerabil. . .
Zagrabiæ Templi, Luxque decúsque, Sacri.
Qui pietate parens, nulli virtute secundus.
Accepit meritis, Astra parata, suis.
Obijt MDX. X: Kalen. Octobr.

XLIII.
THOMAS DE BAKÁCS

Archi-Episcopus Strigoniensis, S. R. E. Tituli SS. Sylvestri & Martini in montibus Presbyter Cardinalis, Zagrabiensis Ecclesiæ, Tutor & Gubernator.

PLurimos de Thoma scripsisse hactenus, ignotum nemini. Verùm quam in multis varient, in plerisquo aberent, miramur admodum. Quare non ingratam rem, *Lectori* nos præstituros arbitramur, dum Quædam, quæ causavit scribendi de Thoma diversitas, dubia solvimus.

Primùm, de Ejus Natalibus est. *Garimbertus* apud *Ciacon. inter infimæ plebis, parentibus genitum Thomam Herdovot, sive Herdouts, à Patria sic dictum recenset.* Istvanffius, Lib. vi pag. nobis 56. *Prodierat ex humili loco, apud Erdodium oppidum Bertholdi Draffij ditionis*, Samuel quoque Timon, ex Istvanffio idem scribit. Tacet Author Libri *Imago Heroum Palffi ab Erdöd, & Erdödi de Monyoorokerek.* Laurentius Karolyi in *Speculo Jaurinensis Ecclesiæ*: sequi videtur, *Timon* & *Istvanffium.* CONTRA CZVITTINGERUS *in specimine Hungariæ Literatæ.* BACOCZI Thomas *Hungarus, Alto sanguine cretus* scriptum reliquit. Nec immerito. Equidem longè ante *Thomam* ex monumentis Familiam Erdeud eruimus, ac sub Sigismundo Rege præcipue. Magistratus etiam, ac honores tenuisse, ex sententiarum, in judicijs Lataram, tenoribus Legimus. Quin in *Transactione* quadam inter DD. Rattkay, & Erdödy rationè Variarum differentiarum hæc leguntur. *Quod licet viventibus adhuc, & in humanis degentibus Egregijs olim Petro Tompa de Erdöd, ac Stephano & Wolffgango Erdödi de Chiabragh, Majoribus scilicet, & Progenitoribus Eorum &c.* Ex quibus, Existimat Ritterus in MSS. suis, *Genealogiarum.* Hanc Illustrem Familiam olim TOMPA de Erdöd fuisse vocatam, ac postea á *Prædicato*, sub Thoma hoc, & Vladislao Rege, appellatam Erdödi fuisse. Hoc, si ita est. injurij plane sunt Scriptores omnes, Qui, infimæ Plebi, Parentes Thomæ Cardinalis adscribunt, cum Familiam *Tompa*, unam ex antiquissimis esse, certissimum sit. Videantur supra, productæ *memoriæ.* Cœterùm Arcem *Jellen* Familiæ hujus fuisse, ex MSS. eruimus. Hujus rudera, non procul à monte Claudio nemoribus consita, anno superiore vidimus. Ab hac Gentilitium Insigne, etiamnum Familia Erdœdiana conservat, nobis enim, Sclavonica Lingua *Jellen*, Cervus est. Sed Familiæ Czupor, vel potentia, vel insolentia, Quæ *montem Claudium* obtinebat, ab Avita Arce *Jellen* pulsi, ac ad ægestatem redacti, tot motupm etiam, quos superius attigimus, circumstantia, in oppido Erdödio illustribus quidem natalibus, nobilissimóque genere, quamvis fortunis & facultatibus tenuioribus degebant, Uti hodie etiam, pauperes vivere tot tantósque comperio, intueor, quorum olim majores, Dignitate, opibus, fuère celeberrimi. Justus DEUS! CZUPORIJS, violentis, insolentibus, in toto *Monte Claudio*, pulsi olim, persecutique Erdeud, á Familiæ CZUporianæ defectu, successere. THOMA jam Archi Episcopo, avita in *Jellen* jura demonstrante, injurias edocente, ob Quæ, maximáque Thomæ merita *Mons Claudius* toti Familiæ à VLADISLAO Rege, donatus, attributus. Hinc Fautorem Nobilitatis, Tho-

mam, summum fuisse, tanta produnt instrumenta, & datæ per Eum literæ, In cujusdam nobilis literis, suis Successoribus omnibus, Nobilitatis protectionem commendat. Dicens Eousque futuros in decore, familia stabiles, quoad Nobilitatem protegent, ubi cessaverint, & quod absit persecuti fuerint, deficient, Eorúmque Loca, Bona alij & illi ipsi, quos persequentur occupabunt. Sane Familiam hanc istud observasse ac servare in Patria saltem nostra, luculentum est, cum tot Nobiles, Inscriptionis pignorisque jure, Bona, de Familiæ hujus gratia, obtineant. Quisquis, æquus rerum arbiter, consilia hæc THOMÆ perpenderit, Optimè Familiæ suæ consuluisse Thomam, vix negabit. Neque ista, adulandi studio, vel divinando scribimus, at pro veritate, & ex instrumentis, ac MSS. variis.

ALIUD de Thomæ studijs est. Apud Ciacon. scribitur: *A puero Bononiæ & Ferrariæ excolendo Doctrinis ingenio operam dedit.* Alij *Viennæ* Philosophiâ & Theologia perpollitum scribunt. Videtur tamen credibilius primum; cum Hypollito Estiensi, à Secretis fuisse scribatur, Ejúsque opera, Regibus innotuisse.

Tertium de Ejus Dignitatibus est, cum & de his scribant variè. *Timon* Præpositum Titeliensem, Thomam primò fuisse, dein sub *Mathia* Zagrabiensem, hinc *Jaurinensem* inde *Agriensem* ac demum *Strigoniensem* fuisse scribit. At *Thomam* Zagrabiensem Episcopum sub Mathia non fuisse, præter monumenta Ecclesiæ hujus, *Conclusiones* Articulorum Diætalium testantur. In ijs etenim OSVALDUS sub Rege *Mathia*, & Vladislao usque ad 1499. ac statim 1500. *Lucas, Zagrabiensis* Leguntur. THOMAS autem, sub *Mathia fuisse* Episcopus non invenitur: in Decreto enim 1486. *Strigoniensi sede vacante*, & Urbano *Jaurinensi* legitur. Sub VLADISLAO autem Rege in Anno 1492. Thomam Summum ac Secretarium Cancellarium, simúlque Episcopum Jaurinensem fuisse, Decreti Ejusdem Anni, conclusio docet. Prouti &, Electum postulatúmque in Anno 1495. *Agriensem*, Anno autem 1498. Thomas *Strigoniensis*, OSVALDUS *Zagrabiensis* inveniuntur. Proinde sub *Mathia* Thomas Zagrabiensis Antistes non fuerat. Nec postea unquam sub *Episcopi* nomine, verùm post mortem LUCÆ *Tutoris ac Gubernatoris* nomine, Ecclesiam Zagrabiensem moderatus est. Jam ut Cardinalis. Ad quam Dignitatem, àb Alexandro VI Anno 1500. elevatus est. Testante Epistola, quà, sua Promotio Zagrabiensi Ecclesiæ significatur.

Quamvis autem, Legationibus pluribus functus sit, ut testaretur Ciaconius. Magnáque fecerit, suæque Virtutis, fama ea fuerit, ut & suffragia pro summo Pontificatu, acceperit aliqua, nos tamen, omnia missa facimus, Lectorem ad Scriptores alios, relegando, Ea solùm relaturi, quæ factorum suorum, in hac Zagrabiensi Ecclesia, ad nos pervenêre. Aut quæ, instrumenta innuunt vel detegunt. A morte LUCÆ, cum jure Patronatus Beneficiorum, Ecclesiæ Zagrabiensis cura, THOMÆ Cardinali, à VLADISLAO Rege attributa est. Quam non solùm suscepit, ad res disponendas, ordinandásque. 1511. *Zagrabiam* Appulisse Thomam, Ejus littera, de Dato Zagrabia, Dominica *Lætare* docet, quà, laudat confirmátque Antecessoris Lucæ, facultatem, ut Mgr. Senior Antonius, & Zagrabibiensis Canonicus, possit domum quandam *Præbendarialem* ex fundamentis erigere, ut eam inhabitans *Præbendarius*, apud Aram S. Michaëlis, à qua Ara, talis Præbenda vocabitur, singulis diebus, *Confessiones* pœnitentium, audire debeat. Adjungendo Thomas, Dierum centum Indulgentiam: Cuivis, à tali Confessario, absolvendo pœnitenti

Opus Ecclesiæ continuavit, imò Muris cinxit, ut Ejus testantur *Insignia* & Añus 1517. ibidem incisus. Vladislai Regis jussu, consignatæ illi, ut *Ecclesiæ* Gubernatori pecuniæ, tam illæ quas LCUAS deposuerat, quam & aliæ, aliundè procuratæ. 1512. tam JULIUS Papa monet, per censuras procedendum in inimicos Ecclesiæ, quàm & Vladislaus, Banos, ut Ecclesiam protegant. Credimus hic iterùm negotium Decimarum fuisse. Fors eodem hoc Anno Thomas Romam profectus sit, sive ad Electionem LEONIS X sive ad Concilium Lateranense. Romæ Eum hoc Anno fuisse, binæ declarant litteræ: *1ma.* Francisci Keczer de Radvan ex Dombro Sabbatho ante *festum S. Joan. Bap. reddeunti mihi Cristô*, scribit, *à Familiaribus Rssimi D. Nostri gratiosi, QUI EX URBE venerunt* &c. *Altera* Ejusdem Thomæ, 2. Die Paschatis *Romà ad* Capitulum Zagrabiense missa, quâ hoc utitur Titulo, THOMAS S. Martini in montibus Archi-Presbyter Cardinalis. Strigoniensis: Patriarcha Constantinopolitanus Capitulo. Venerabiles amici, & uti Fratres carissimi. Hospitale B. Elisabet in area Capitulari fundatum, nunc vacare scimus. Intelligimus reditus illius aut nullos, aut exiguos: ut etiam Rectori ad usum quotidianum non sufficiant, minus egenis in hospitali degentibus. Marcus C. Zag. aliàs Capell. Magnifici Andreæ BOTH Bani, cupit de bonis suis dotare hospitale, supplicuit, pro commendatione vobis, à me, facienda pro rectoratu, ut commodius, dispositiones suas pias facere possit. Commendo eum, sed ita, ut resideat, ad latus Ecclesiæ istius, & hospitale ipsum

sum inhabitantium, in statum meliorem, & muros, & quæ ad usum pauperum pertinent reformet

Scimus passim à Scriptoribus Annum 1513. *Primum* Leonis X. statui. Quin Eodem mortuum Papam JULIUM II. Ex præmissis tamen literis, prouti & Bula Leonis X. Ecclesiæ SS. Trinitatis *in Ludbreg* data, & adhucdum extante, tam *mors* JULIJ, quam electio LEONIS X. ad Annum 1512. constituenda viderentur. Sed, Lectori relinquimus, quam placet partem, erroris damnare. Interim ad rem, Eadem BULA contentam digredimur. Et narrandum miraculum de quo, an scripserit aliquis? nos latet omnino. Dignum autem tantæ rei meminisse.

Relatio de SSmo Sanguine, olim in Parochiali Ecclesia SSmæ Trinitatis in Ludbreg, nunc in Arce Ludbreg, servari solito, Sacellô SS. Crucis.

EBerhardi Episcopi temporibus Sacerdos quidam, in Eadem Ludbregensi Ecclesia sacrificans, de *Transubstantiationis* Articulo dum dubitare cepisset, & dubitasset: liquor *consecratus*, Sanguinis veri naturalisque colorem exhibuit. Summere hunc, Presbyter non potuit, at stupens: recondidit, in vase quodam, ac Ecclesiæ parietis foramine. Moriturus, quod antea occultabat, pandit omnibus. Res digniore reposita loco, adorata, cultáque in eadẽ Ecclesia, magna devotione populi. LUCAS tandem Episcopus, JULIO II. rem aperit, qui, ad preces *THOMÆ de Zeecs*, Abbatibus de Bakmonostra (in Bula, *Boor Sinonaszera* ponitur) & de CHYAK, exemptis, rem committit examinandam. Jussa illi executi sunt, Examen JULIO II. Submittendo. Qui; morte Præventus, Successori suo LEONI X. Litteras super eo, expediendas reliquit. Stetit Annis pluribus, in Ecclesia Ludbregensi SSmus Sanguis, Sed ob Bella, & metum Acatolicorum, subinde ad Castrum *Gotalovecz* translatus, denuò inde, pace restituta, ad Oppidum Ludbreg relatus, ac ad Arcem reconditus, ad hæc usque tempora, Fidelium pietate, supplicationibus, adoratur, colitur. Haud sine, tot tantísque, receptis à à DEO gratijs. Quas ibi notatas intelligimus, & tot anathemata, parietibus appensa, testantur. Pro Devotione sua, Excelmus ac Illmus Dominus Comes LUDOVICUS de BATHYAN, Regni Hungariæ PALATINUS dignissimus, ex fundamentis, Nobile, elegansque templum, sub Titulo *SSmæ* CRUCIS ad Latus occidentale, noviter erecti Castri sui Ludbreg, posuit, ubi SSmus Sanguis, Fidelium venerationi exponetur. Est autem, In *ampulla Vitrea*, in medio Elegantis, ut vocamus *Monstrantia*, Et quivis, hodie etiam videre, venerari poterit. Hæc, cùm traditione; tùm ex LEONIS X. Bula, Denique postrema, ex visu accepimus. Bula autem est tenoris sequentis.

LEO Episcopus, Servus Servorum DEI. Universis Christi Fidelibus præsentes litteras inspecturis, salutem & Apostolicam Benedictionem. Rationi congruit, „ & convenit honestati, ut ea, quæ, de Romani Pontificis gratia processerunt, licèt Ejus „ superveniente obitu, litteræ Apostolicæ super illis confectæ non fuerint, suum con„ sequantur effectum. Dudum siquidem, postquam pro parte Dilecti filii, Nobilis Viri „ Thomæ de Zeecs, Domini in temporalibus Villæ Zethgenut Zagrabiensis Diœcesis, „ felicis recordationis JULIO Papa II, Prædecessore Nostro, expositum. Quod „ Annus jam tunc Centesimus, vel circiter, agebatur: quod cum Quidam Presbyter „ Missam celebrans, post confectum in illa Eucharistiæ Sacramentum, Hostiam de more „ in tres partes divisisset, & unam ex Eis, in Calicem mersisset, sumptísque reliquis „ duabus partibus. Ipsam tertiam partem, cum liquor in dicto Calice, cum quo dictam Mis„ sam celebrabat, in Christi Sanguinem consecrato bibiturus, dubitare cepisset, an in ipso „ Calice Verum Corpus, & Verus Sanguis Christi, virtute Sacramenti hujusmodi exi„ sterent? Illico dictus liquor, visibilis & naturalis Sanguinis Colorem habuerat. „ Quódque eo miraculo dictus Presbyther Stupefactus, dissimulaverat rem per aliquod „ tempus. Sed demùm nolente DEO, ut credibile erat, quod tam illustre miraculum, „ & Catholicæ Fidei, adversus dubios in illa, firmamentum, diutius lateret: dictus „ Presbyter in extremis Laborans, rem ipsam, prout occurrerat, palàm confessus fue„ rat: dictúmque calicem cum eodem Liquore, Visibilis & Naturalis Sanguinis colo„ rem habente, in Parochiali Ecclesia SSmæ Trinitatis Opidi LUDBREGH dictæ Dioe„ cesis reponendum, & perpetuo custodiendum tradiderat, sive reposuerat. Et ab eo „ tempore citra, in dicta Ecclesia, apud Eundem Calicem, multa & magna miracula, „ fuerat operatus, & indies operari non desinebat Altissimus. Et eidem expositioni sub„ juncto, Quod licèt ad Sacramentum prædictum, satis magna esset in Partibus illis Fi„ delium Populorum devotio, tamen si Venerationi & reverentiæ, quæ Sacramento hu„ jusmodi,

„ jusmodi præstabantur, Apostolicæ Sedis suffragaretur authoritas, profectò ex eo Populorum Eorundem, qui, cum Turca passim pro Fidei Orthodoxæ defensione, manus conferebant, majorem in modum cresceret devotio, & cum Divini Nominis gloria, & Christianæ Religionis augmento, Fidelium Animarum saluti Laudabiliter consuletur. Et dictus Prædecessor supplicationibus dicti Thomæ, in ea parte inclinatus de Boorsinonaszera, & de Chyak nullius Diœcesis Monasteriorum tunc Abbatibus, in dicta Zagrabiensi Diœcesi commorantibus, per suas litteras commiserat & mandaverat, quatenus super præmissis testes reciperent, ac eorum dicta ac attestationes, in publicam formam redacta, Eorúmque Sigillis clausa, ad dictum Prædecessorem transmitterent. Et quam plures testes fide digni, per dictos Abbates, ad litterarum hujusmodi executionem procedentes, desuper recepti, ac Earum dicta, & depositiones, quibus satis liquidè de præmissis constare videbatur in publicam formam redacta, & Eorundem Abbatum Sigillis clausa, ad dictum Prædecessorem transmissa fuerant. Idem Prædecessor attendens, quod Sanctissimum Corpus Domini Nostri JESU Christi, Qui, de mundo transiturus ad Patrem in Passionis & mortis suæ memoriam, carnem suam in cibum, & sanguinem suum in potum, exhibuerat Populo Christiano, decebat Christi Fideles singulos, pro devotionis reminiscentia venerari, ac cupiens ut dicta Ecclesia, in qua, Calix cum liquore tam devotè custodiebatur, & ad quam, sicut idem Prædecessor acceperat, Dictus Thomas singularem gerebat devotionis affectum, in debita veneratione haberetur, & à dictis Christi Fidelibus, congruis frequentaretur honoribus. Ipsique Fideles eò ad Sanctissimum *Missæ* Sacramentum inibi venerandum devotiores redderentur, ac pro ipsius Ecclesiæ Fabricæ & luminarium ac aliorũ ad Divinum Cultum pertinentiũ manutentione manus promptius porrigerent adjutrices, quô ex hoc ibidem dono cœlestis gratiæ, uberius conspicerent se refectos. De Omnipotentis DEI Misericordia ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum Ejus auctoritate confisus, sub Dato videlicet XVI. Hianuarij Pontificatus sui Anno X. Universis & singulis utriusque sexus Christi Fidelibus verè pœnitentibus, & confessis, vel confitendi propositum habentibus, qui ex tunc, de cœtero, perpetuis futuris temporibus dictam Ecclesiam in Calicis & Liquoris in eo reconditi, hujusmodi honorem, in Ejusdem Corporis Christi, & Nativitatis B. M. V. ac Thomæ Apostoli Festivitatum diebus, à primis Vesperis, usque ad occasum solis, cujuslibet Festivitatum earundem, devote visitarent annuatim, & pro Fabricæ, & Luminarium, ac aliorum prædictorum manutentione manus porrigerent adjutrices, quoties id facerent, tertiam partem injunctarum Eis pœnitentiarum, quas, in Purgatorio passuri essent, misericorditer in Domino relaxavit. Voluit autem Idem Prædecessor, quod si alias dictam Ecclesiam visitantibus, & ad præmissa manus adjutrices porrigentibus, aut inibi pias eleemosynas errogantibus, seu aliàs, aliqua alia Indulgentia, in perpetuum vel ad tempus, nondum tunc elapsum duratura, per dictum Prædecessorem concessa fuisset, Ejusmodi Prædecessoris litteræ nullius essent roboris vel momenti. Hæ autem de relaxatione & voluntate prædictis, pro eo, quod super illis, Ipsius Prædecessoris Litteræ hujusmodi, Ejus superveniente obitu confectæ non fuerunt, valeat quomodolibet hæsitari, volumus & Apostolica Authoritate decernimus: Quod præsentes litteræ ad probandum plene, relaxationem & voluntatem Prædecessoris, hujusmodi ubique sufficiant, nec ad id Probationis alterius adminiculum requiratur. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ MDXII. Pontificatus I.

Hæc, atque ita LEONIS Bula. Quæ in *Originali* cum Sigillis, aliisque asservatur *Ludbregini*, in præfata Arce, unde eam, descripsimus. Sunt & aliæ binæ, at solùm *Indulgentiarum brevia*, unde ab illis describendis, cum Ludbregini fuissemus, præscidimus. Aliud Instrumentum quo firmare *miraculum* possemus, nullum obtinuimus. Præter *Traditionem*, Gratias tot tantásque, quas fides & Fidelium devotio consequitur. Illiúsque ad hæc tempora consistentiam Dicunt sanguinem illum liquefieri aliquando, istud tamen, jam ab annis multis observatum non fuisse, Sacerdotes, qui curam gerunt, nobis superiore Anno, confessi sunt. Jam ad Thomam reddeundum.

Plurima de Magno Viro scribenda essent, sed quæ, vel egit Cancellarius, vel Jauriensis, Agriensis, ac etiam Strigoniensis Antistes, ab iis petenda Ecclesijs, ac ex Scriptoribus, qui tot de Thoma scripserunt. Signanter legendus *Istvanffius*. Ciaconius, qui Litteras LEONIS X. ad Thomam scriptas, exhibet.

Ex Instrumentis & MSS. Annis his 1512. videlicet, & 1513. Bellorum contra Turcas, mentionem invenimus. Sic in plerisque judiciorum terminis, deprecatos jura, legimus: *quod tempore expeditionis generalis belli contra infideles, jura silerent.* Quin *Andreas* Præpositus Chasmensis, 23. Augusti 1513. *Strigonijs* scribit: *Zeecsij litteras, . . . propter bella instan-*

tia

ita nequivi. Post alia addens, *NOVA: narrant Vaivodam Transylvanum 19000. Armatorum prope Castrum Zezin in terras Turcarum transmisisse. Vetabat Rex datis ad eum literis ne transiret, quia tamen major Gentium pars jam transmissa erat, iter continuavit. Causam probibitionis Rex dabat, quod fœdus & treuga, jam cum Turco facta essent, post exitum. Ab Imperatore Turcarum, Felicis Segniensis, quidam Joannes Zolthay bonus & satis perspicax juvenis, ad eundem missus cum litteris fuerat, qui, Octavo jam abhinc die reversus, longè diversa, de statu & conditionibus Imperatoris narrat, quam Felix disseruerat, Nudius tertius MARTINUS CZOBOR, rursus ingressus est, creditur tregvis confectis integrè huc rediturus.*

Ex his credimus (collatis ijs, quæ, ab *Istvanffio* scriberentur) ex congregatis ad sacram militiam, quam Thomas Cardinalis facultate Pontificis congregabat, ad Turcarum terras profectos fuisse, sed ob inducias, quarum Stephanus Telegdinus meminit apud Istvanff. fol nobis 41. fuisse revocatos. Induciásque iterùm firmitas. Plebem dein arma in Nobiles vertisse, de quibus, videndus Istvanff. accuratè ista pertractans.

Quamvis autem THOMAS Anno 1314. Successorem nactus: rexit tamen, moderatúsque est Ecclesiam Zagrabiensem, ad dies vitæ suæ. Variant de morte ejus Scriptores, alij 1520. quidem quod credibilius communiúsque 1521. die XI. Junij mortuum scribunt, Ciaconius ad Annum 1523. collocat. *Georgius Marcellevich* ex quodam Instrumento notat: 1521. aliquod diebus ante mortem, XI. Junij secutam, à Thoma Episcopo Salonitano Sacramentis Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis munitum *Thomam* fuisse. Per Andream Præpositum Strigonien. de testamento admonitum, Respondisse: se illud 1517. cum consensu LUDOVICI Regis fecisse, ac medio *Cherubini* tunc Capellani sui adferri curavisse, rogando *Petrum* Fratruelem suum, ut contentetur bonis sibi jam collatis, nec testamento contrairet: Et Petrum in Lachrymis reposuisse, se ad jussa Cardinalis, paratum, ad universa hactenus collata resignanda, atque danda alteri. At Cardinalem, testamentum confirmasse. Ita autem disposuisse narrat (*Budæ*, Festo S. URBANI, coram Ludovici Regis Personali Præsentia) Thomam, *Marcellevich.* Ut totalia Castra & Castella *Manyorokerek*, *Körmend*, & *Veresköron* in Castiferrei, Item *Somlyó* in Vesprimiensi, Item Castra *Monoszlo*, *Zarvas seu*, & *Dianvara* in Crisiensi, Item *Czezarvara* in Varasdinensi Commitatibus, cum pertinentijs omnibus, Petro de Erdeud, Nepoti suo ex fratre Carnali. Castrum Csabragh in Comitatu Hontensi cum Oppido Been, in Comitatu Barsiensi cum pertinentijs *Stephano* & *Wolffgango* filijs Valentini similiter Bakocs de Erdeud & hæredibus essent, ita ut unusquisque his contentus alterum in Litem attrahere non posset, nec ista *Pignoris* etiam titulo alienare unquam, sed in necessitate fratribus solum suis obligare possint, secus fassiones sint invalidæ. Joanni Strigoniensi ac Titeliensi Præposito Nepoti suo, quamvis in donatione inserto, ex his nil dandum statuit, quod eundem ab incunabulis educâsset, Sacerdotem fecisset, in diversísque Gymnasiis extra hoc Regnum notabili sumptu erudiendum curâsset, ac tandem tot Beneficijs Ecclesiasticis insignivisset, & inter alia etiam in Episcopum Zagrabiensem promoveri procurasset. Si Stephanus & Wolffgangus aliquando hæredibus carerent, tunc *Csabragh* & *Been* cum pertinentijs in Capellam Ejusdem Cardinalis, ad Latus Ecclesiæ Strigoniensis sub Titulo Annunciationis B. V. M. jure perpetuo devolvatur. Si autem *Petrus* defecerit, tunc Castra *Somlyo* & *Czezarvara* in Capitulum Strigoniense, Castra vero *Okych* cum pertinentijs, & *Dianvara* in Crisiensi cum Castello Blodyn, & Oppido *Kotenya* & omnibus juribus possessionariis, quibus alias *Rossij* de *Dechе* præfuissent, ad Ecclesiam Zagrabiensem, in medietate Capitulo, in medietate autem Episcopo obvenient, & devolventur. — Alia Vniversa, Castella, Villæ &c & quæcunque jura possessionaria, in Cardinalis Fratres, Nepotes, horumque hæredes, nisi Cardinalis adhuc aliter testatus fuerit, devolvantur. Hæc, hisque verbis, notat Marcellevich.

XLIV.
JOANNES V. ERDÖDI.

TEstamentum THOMÆ, *Joannem* in diversis Gymnasiis eruditum à Patruo fuisse, docet. Beneficijs cumulatum, Strigoniensem & Titeliensem fuisse Præpositum, ac una Ecclesiæ Zagrabiensis Episcopum. *Ritterus*, *Marcellevich* arbitrabantur, *Joannem* 1517 aut plane 1518. Electum, & LEONIS X. authoritate confirmatum, necdum Possessione Episcopus innitа, in favorem *Simonis Erdeud*, resignâsse. Hócve ex LEONIS Bula, Romæ X. Kalend. Aprilis 1518 expedita, & Simonem confirmante. Verum

 ab

ab Eorum sententia recedere nos cogit, CONCLUSIO *Decreti VII.* Anni 1514. ubi **Joanne de Erdöd Electo Zagrabiensis.** Igitur 1514. Electum JOANNEM fuisse credimus, ac ad Annum 1518. Zagrabiensis Ecclesiæ Episcopum, tam ex LEONIS Bula, quàm THOMÆ Cardinalis testamento, ubi Episcopus appellatur. Spontè dein in *Simonis* favorem resignâsse. Præterit nos resignationis causa, nisi illa sit, quod adeo Juveni, *Confirmatio* à Romano Pontifice negata fuisset. Episcopatum ab arbitrio, & Cardinalis nutu gessit. Et nisi ad Titulum Zagrabiensis Ecclesiæ ordinatus fuisset Episcopus, quamvis & hoc tardius, & paulo ante *resignationem*, ignoraremus, an unquam fuisset Episcopus? Memoriam Ejus, in nullo reperimus instrumento. Verum Thomas, *Administratoris* titulo legitur. Ejus attamen temporibus, hæc adscribuntur, & accidisse ex instrumentis eruimus.

In Anno 1514. Ratione Decimarum Metlicensium, à Canonicis Chasmensibus, ut Sedis Apostolicæ delegatis, Ordinem *Cruciferorum* Theutonicorum convictum per sententiam fuisse. Appellante ad LEONEM X. Sacro & Insigni Ordine. Quid ibi judicatum? nos latet, nec aliud scimus, ac data à Pontifice mandata, ut apud quos essent litteræ hoc negotium tangentes, eas transumere permittant, & extradare debeant. Vide quæ de his, supra Cap. VI. pag. 25. & sequentibus dicta. Eodem Anno mandat VLADISLAUS Capitulum ad *Nagykemlek* statui & introduci. Buda feria 4. post Dominicam *Lætare*.

Anno autem 1515. Inter reliqua (quæ vide, & Legito) Istvanffius, belli, à Vaivoda in Turcas moti meminit, illúdque describit, Universa tamen non recenset: Quoniam ex litteris diversorum, JAICZAM in periculo fuisse, docet Epistola PETRI BERIZLO Episcopi Uesprimiensis & Bani, ex *Zlobocsina* BALTHASARI Alapy Vice-Bano scripta, ubi: cum mandet Rex quamprimùm in Jaiczam victualia comportari, sibi decretum esse ut SAVUM transeat ad diem Dominicum. Adeoque ut Alapius, cum gentibus Regni Sclavoniæ, sicut ordinatum est, veniat. Decimus quisque jobagio ex toto Regno Sclavoniæ, arcubus, hastis, & securibus instructus compareat. Portent secum victualia ad 10. dies. Ea quoque victualia, de quibus superioribus diebus scripseram, quàm citissimè portentur. feria 2. post. S. Mathei. CAPITULO quoque Zagrabiensi in festo S Egidij Zlobocsinâ scribit idem BANUS, Mittite ad sustentationem exercitus, qui JAICZAM jussu Regiæ Majestatis proficisci debet, 12. currus Vini, & 30. tritici, aliorúmque Victualium, ut hic in Zlobocsina in Profesto Exaltationis S. Crucis constituantur. Promitto, quod nil sine pecunia recipiam, vel recipi permittam, sed omnibus condecenti pretio, uti alias factitatum est, vendere permittam.

Ad *Costaniczam* quoque & *Hrasztoviczam*, excursiones ad minus Turcarum fuisse, Galli Archidiaconi Dubicensis, 20. Septembris *Petnâ* scriptis, discimus. In his: Litteras vestras cum Banalibus accepi. . . Prædiales equos non habent omnes, alij macilentos, alij claudos. Duo intrare debuerunt *Hrasztoviczam* ad fidejussorias, ad Dominicam *Reminiscere* Murmurant de mercede. Banus est in Costanicza cum Karlovich, Lator præsentium declarabit casum D. Urbocz, qui cum eodem & uno altero fuit detentus. Quæ his in locis acta sint, caremus notitia.

Anno 1516. Die VI. Martij moritur Rex VLADISLAUS. Consulendi qui de eo scripserunt. Successit, LUDOVICUS filius, Decimum Annum agens. Hujus, Regnique curam LEO X. commendat THOMÆ Cardinali, Vide litteras, apud *Ciaconium*. Alia autem apud Istvanffium. Quæ non repetimus. Nec addendum habemus, nisi in Anno 1517. Buda Festo S. Thomæ mandasse Capitulo: ut gentes suas quamprimum ad Banum Croatiæ versus IZDENCZ mittant, *quia magna pericula imminent Confinijs Regni, præcipuè JAICZÆ, quæ jam in extremis est, ob defectum Victualium & gentium.* Zriniô autem Banus scripserat, *Dominica intra octavas Corporis Christi Concluserunt hic coram me, Nicolaus de Zrin, & Franciscus Berizlo de Dobol Comites, quod ipsi juxta voluntatem suæ Majestatis pro tutella hujus miserrimæ Patriæ in omnibus locis, ubi necessarium videbitur custodias sive Ztrasas tenebunt, & vos de Bonis vestris juxta & citra Savum habitis, idem faciatis, nolumus enim ut hæc Patria, ex incuria & negligentia nostra male pereat.* Andreas autem Urbocz Archid. Sisciô feria 2. post festum Annæ scribit. *Prout commisistis plumbum misi, aliam medietatem pro castris hic reliqui nostris. Banus non est in istis partibus. Miseram ad Petnam quomodo negotia ibi tractentur famulum meum, qui reversus Sabbatho in sylva capitulari extra indagines, in via Szifziensi, graviter lanceis, frameis, per quinque Equites vulneratus, evasit tamen. Venit nunc velociter Eques Prædialis de Petna, dicens si summo mane in Petna non fuero, & boni aliquid non effecero, omnes deprædabuntur. Ibo hac nocte, si quid ordinare, & boni facere potero.* Ex his Turcarum incursiones his annis duravisse, discimus. Conflictus, aut Partis cujuscunque Victoria an aliqua fuerit ignoramus. Quæ ad Annum 1520. *Istvanff.* scribit, videnda.

Ab

Ab Anno 1512. PETRUS BERISLAUS sive BERISlavich, *Episcopus Vesprimiensis* Dal. Croat. & Sclav. Banatum gessit, magna cura, immortali memoria, & bellis continuis. Ad amnem Coreniciam, 1520. ex insidijs præcipitatus, atque interfectus obijt. Scripsit de Petro, JOANNES TOMCUS. Nos quoque, plura in *Banorum* Historia. Legimus præterea in binis instrumentis *Emerici Peren*, hunc titulum. *Emericus Peren Regni Hungariæ Palatinus, Regnorum Dalmatiæ Croatiæ & Sclavoniæ Banus, ac Capitaneus Supremus*: de Anno 1512. & 1514. Hinc simul, cum Petro Berislao fuerit. *Berislaus* tamen egisse omnia eruitur, ex Instrumentis. *Vice-Banus* & Comes Zagrabiensis Balthasar Alaphy ad Annum 1518.

CANONICORUM Zagrabiensium, sub Tribus his Episcopis, hæc eruimus Nomina. *Præpositus Major.* Andreas de Andreis. Tum Alphonsus Kasu. *Lector.* Bartholomæus. Iste resignavit, abiens ad Ecclesiam & Capitulum *Albense* in Transylvania. Post Quem Stephanus, dein Nicolaus & Matheus Drobitel de Bedenicza. *Cantor.* Andreas cui successit Stephanus Episcopus Rosenensis, & Suffraganeus. *Custos.* Joannes, postea Michael. Præpos. Chasmen. Andreas *Cathedral.* Joannes. *Dubicen.* Nicolaus. Gallus. *Camarcen* Joannes. *Goricensis* Joannes. *Kemlek* Joannes. Post quem Andreas Plankner Locumtenens Vicarii Andreæ. *Chasmensis* Blasius, tum Benedictus *Bexin* Andreas, postea Joannes Bradach. *Varasdin.* Joannes. *Urbocz* Gregorius Barczay, post hunc Andreas. *Canonicorum Nomina* Paulus de Roycsa, Antonius de Kuttinya. Benedictus de Petrovina. Barthol. Succentor Antonius de Megyurechie. Gallus Succentor. Andreas de Resznik. Petrus Grangya, Joannes de Goricza, cui, Canonicatum resignavit, in favorem Ejus, ELIAS de Bucha Anno 1517. uti THOMAS Cardinalis significat, addens: dedisse se, facultatem Joanni, ut Studiorum causa ad universitatem aliquam proficiscatur. Mandat Ei dari omnes redditus, ac si præsens esset. Ex quo videre est. *Jus patronatus* Thomam exercuisse. Et gubernâsse Ecclesiam. Aliorum nos latent nomina,

LAURENTIUS Decret. Doctor Lector & Locumtenens Chasmensis, Matheus Custos Ecclesiæ Chasmensis, in causis Decimarum Delegati Sedis Apostolicæ Judices. LADISLAUS Præpos. de Glogoncza.

Franciscus de Marocsa. *Petrus* Imprich de Jamnicza. *Nicolaus* de Pezerio Judlium Comitatus Zagrabien. 1517 inveniuntur. *Valentinus* Paulekovich de Kapolna. Joannes Magdalenich de Mlaka. Pluresque alij.

XLV.
SIMON I. DE ERDEUD.

RESignanti JOANNI in favorem SIMONIS, Alberti de Zerem Erdeud, Archidiaconi de *Pankotha*, & Ecclesiæ Agriensis Canonici, ac Nepotis THOMÆ Cardinalis, & Archi-Episcopi Strigoniensis, LUDOVICI Regis consensu, Idem SIMON successit Anno 1518. Quô, die X Kalend. Aprilis à LEONE Papa X fuit confirmatus. Causam Resignationis hujus, nuspiam invenimus. Credimus Joannem, Beneficiis Præpositurarum Strigoniensis, & Titeliensis, ad dies vitæ suæ vixisse Quamvis *Electus Agriensis* eruatur. Raphaël Levakovich, extitisse suis temporibus Lapidem, ad Altaris Majoris Latus sinistrum, hujus inscriptionis, perhibet *Sepulchrum Illustrissimi, ac Reverendissimi D. D. Joan Erdeodi, Electi Episcopi Agriensis, olim Zagrabien. Sac. Cæs. Regiæque Majestatis, Consil. Hæreditarij Comit. Montis Claudij & Varasdien. Qui obiit Die 13. Augusti Anno Domini 1626. Ætatis suæ xxxvii* Sunt dein *Insignia Familiæ Erdödianæ*. Ex his credimus, *Joannem* aut apud Simonem mansisse, aut ad Eum redivisse, ac Zagrabiæ mortuum. Et cum 1514. electus Zagrabiensis legatur, ac 37. ætatis suæ mortuus. Anno 25. ætatis suæ, Episcopatum est consecutus. Et fors ex non obtenta confirmatione Resignaverit in favorem juncti sanguine.

Simon fatalibus toti Hungariæ Annis, hinc & Sclavoniæ, obtigit Episcopus. Quid is egerit? quave ratione sibi ac Ecclesiæ consuluerit? ex sincera, quam eruimus, narratione, Lector cognosces. Porrò ea, quæ Hungariæ Regnum attingunt, ex clarissimo *Istvanfio*, petenda. Neque repetemus ab illo scripta, at si quæpiam ex MSS. & instrumentis nostris addenda venient, refferemus.

Ab initio statim Pontificatus sui, Capitulo Zagrabiensi diversas lites SIMON causavit. Nec eas refferemus, quas causâ *prætensarum violentiarum*, Item jurium Possessionariorum suscitaverat, illas tamen, quas pro *monumentis* & litterariis instrumentis promoverat, Ideo negligo-

Histor. Balth. Kereselich.

gligere non volumus; quod ex eodem processu, à Geor. Marcellevich notato, *monumentorum* & Privilegiorum Ecclesiæ lumen accipiamus. Igitur.

Anno 1519. sequentes repetit à Capitulo, Simon litteras. *Imò* super Castro *Nagykemlek*, cum testamento *Joannis IV. Epis Zagr.* *2do* Sententiam *Detrici* Bani, contra Stephanum de Bradavicz, super *Cziglena* & quibusdam aliis possessionibus, cum cunctis instrumentis, *3tio* Fassionales, Posegani Capituli super possessione *Ramachavelge* & *Prekoversia.* *4to* Privilegium Emerici Regis sub Sigillo pendenti, super cunctis libertatibus Ecclesiæ. *5to.* Confirmationem Gregorij IX multorum Privilegiorum Ecclesiæ Zagrabiensis. *6to.* Litteras Nicolai V. cum Litteris Abbatis de Lanszttross, super absolutione Episcopi & Capituli, ratione dissidij inter Benedictum & Demetrium Episcopos Zagrabienses. *7mo.* Litteras plures super Castro Szamobor. *8vo.* Litteras Ludovici Regis continentes rescripta Andreæ, & Belæ Regum, pro libertate Ecclesiæ Zagrabiensis. *9no.* Metales, super Possessionibus Pusztadolsicza, super Timonech; Breszt, & Bachus, prope Hrasztovicza. 10. Litteras super Medvedvar. 11. Donationem Ladislai Regis, super Gersencze. 12. Privilegium Ladislai Regis super institutione Episcopatus Zagrabiensis, & super adjudicatione sylvarum Dombrensium. *Item* Metales Ladislai Regis possessionis Dombro. 13. Privilegium Regis Caroli super modo Tributi Ivanicensis. 14. Litteras Alexandri IV. super expeditione Annatarum Episcopi Zagrabiensis. 15 Privilegium Stephani Ducis super libertatibus Prædiorum & Possessionum Episcopatus Zagrabiensis. 16. Litteras Sigismundi Regis super mardurinis pro Ecclesia Zagrab. 17 Privilegium Caroli Regis, super concessione erigendorum Tributorum, per Episcopum Zagrabiensem in terris Ecclesiæ. 18. Litteras Capituli Albensis, transumentes Privilegium Stephani Regis super libertatibus Ecclesiæ Zagrabiensis. 19. Litteras Antonii Episcopi de conferendis per Capitulum Præbendis. 20. Transumptum litterarum Regis Caroli, super universarum possessionum Ecclesiæ Zagrabiensis, malè alienatarum revocatione 21. Litteras Capituli super terra Bersencze, vendita Eppo Zagrabien. 22. Litteras Michaëlis, & Fr Augustini, Episoporum Zagrabiæ, super cunctis Prædijs in Episcopatu Zagrabiensi existentibus. 23. Litteras Andreæ Regis, concernentes Ecclesiam Strigoniensem. 24 Privilegium Emerici super confirmatione, & libertatibus *Chasma.*

Sed præter eas litteras, quas supra Cap. XI. pag. 67. & sequentibus retulimus, Simon à Capitulo, aliud, non obtinuit. Vacante enim Sede, Bonisque sub cura Laicali existentibus, Plurima monumenta litteraria periêre. Præterea cremata non exigua. Persecutionum temporibus, translata aliorsum, hodiedum desiderantur. Quare ab Impetitione Episcopi, fuit absolutum Capitulum; cùm distincta semper Capituli, ac Episcopi fuerint tabularia.

Ad certorum Fidelium supplicationem, pro augmento Divini cultus in Zagrabiensi Ecclesia ac augmento Capituli Anno 1521 *Budâ* Dominicâ post Festum S. Lucæ, LUDOVICUS Rex ex speciali gratia, concedit Capitulo, ut in suis omnibus possessionibus, mineras Auri, Argenti, Cupri, Ferri, Plumbi Stanni, ac aliorum quorumcunque mineralium & metallorum fodi, ac laborari facere possit, & fructus ex eis, in perpetuum percipere. Haud tamen credimus, usum: hoc indultu Regio fuisse Capitulum; Equidem quæ bella his Annis fuerint ex Istvanffio videre est. Ac præter illa quæ ille diffussius narrat, nos ex MSS. eruimus: *Turca feria III. ante Nativitatem B. V. M. Incursionem magno damno fecerunt intra fluvios Colapim & Savum, penes Selin.* Anno autem 1523. Feria 4. post Festum Lucæ, Ludovicus Rex scribit Capitulo: Petrus Erdeud, in ripis fluminum Savi & Cupæ, contra hostium insultus, Fortalicium exstruere intendit, sed Saxa & Lapides deesse dicit, & à nobis suplicat, Vos, & Episcopum moneri, ut Lapides qui ex ruina, veteris oppidi Szifzeg restarent, frustra terram occupantes, ad hujusmodi fabricam toti Regno Sclavoniæ proficuam daretis, ideo vos serio hortamur ut detis, scripsimus etiam Prælato vestro *&c.* Ex quo discimus ad Annum hunc, veteris *Siscia* rudera apparuisse, ac ex illis, Præsidium aliquod, (quod illud? ignoramus) extructum

Profecto his & sequentibus Annis. continua cum Turcis fuisse bella, Scriptores omnes commemorant. *Chronicon Turcicum.* 1521 Solimanum, multas arces & Castella in Ungaria diripuisse narrat, in Croatia autem egisse prædas, ac quinque hominum milia in servitutem abripuisse. 1525. Sirmiensem Episcopatum, & omnem Ejus agrum, suo subjecisse imperio. Alia diffusius describit *Istvanff* uti subsidia, per Legatos, postulata: Ludovici Regis curam: tot Hæroum insignia & immortalia pro Patria, & Christiana Religione facta. Quæ, ex Illo, petenda. Annus autem 1526. Vastitatem & florentissimo Ungariæ Regno, quasi desolationem attulit: cùm Anno hoc, ad *Mohacsinum*, non solum summi, Sacræ Coronæ Proceres, Antistites, Hæroes, Nobiles, aliique strenui milites occubuerint: Sed Rex ipse LUDOVICUS in ætatis flore, ac spe beandi Regni, victima ipse manserit. *Die*

Deco-

Decolationis S. Joannis Baptistæ. De hoc, nunquam satis deplorando casu, cùm tot tantique scripserint, nos ad Scriptores alios, Lectorem relegamus. Ex quibus, & historiam, & causas, dubia item, quæ faciunt Authores, condiscet. Hoc casu, nil Ungariæ, fatalius accidit, Turcis Latus apertus campus, omnísque nata occasio, grassandi in Regnum. Quæ exinde aucta etiam, quod Pars optimatum Ferdinando Primo; pars, Joanni de Zapolya adhæserit, Regémque Hungariæ habuerit. Atque hoc secundum, fatalius Hungariæ, quam Ludovici interitus. Ut non immerito, in sua Elegia NICOLAUS Olahus scribere videatur:

Morte Ludovici hæc capiunt incendia vires
Quæîs dedit accessus factio nostra truces:
Non nobis fuerant cordi, tua dicta, superbis
Divisum Imperium non ita stare diu.
Regibus hinc dedimus Regni Diadema duobus,
Quam nihil hac (heu) re, sævius esse potest.

Interfuit cum aliis, Mohacsiensi cladi SIMON, evadens inde e manibus hostium, cum Fratre Petro Erdödio, alijsque. Uti hæc ex ejus colligimus Epistola. Scissa vota Procerum. Pars JOANNI Zapolya Comiti Scepusiensi ac Vaivodæ Transilvaniæ adhæret Regem salutat, ac *Sacram Coronam* de more imponit Pars *Posonij* indictis Comitijs, FERDInandum I. Regem pronunciat. Quos inter, Stephanus BATHORI Palatinus, Franciscus Battyán, Dal Croat. & Sclavoniæ BANUS, Thomas NADASDIUS alijque A quibus ennarrandis supersedemus. Vide *Istvanff* SIMON Zagrabiensis Episcopus & Christophorus de Fragepanibus, cum plerísque alijs, JOANNI Regi constantes, ut Christophorus, Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclavoniæ Banus, nominatus à Joanne fuerit, cùm hunc *Titulum*, ex quodam Instrumento Anni 1526. Dominicâ post Octavas S. Lucæ Legamus: *Christophorus de Frangepanibus. Segniæ, Vegliæ, Modrussiæ Comes, JOANNIS Regis Hungariæ Capitaneus Generalis, Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclavoniæ Banus, Eorúmque Regnorum & Comitatuum Simighiensis & de Posega Generalis Tutor & Protector, ac Comes Sopronienses.* Tanta autem fide in Joannem fuit Christophorus, ut licèt consilia data, Joannes Rex, secutus Christophori non fuerit, quod deflebat postea, Ipse tamen Joannem non deseruit, imò in his Sclavoniæ Partibus, rem Joannis, promovit, sustentavit. Equidem contracto justo exercitu, tormentísque comparatis, Primò *Pecrium*, qui ex parte Inferioris Sclavoniæ, cum Ferdinandi milite fuerat, exagitat, Ejúsque Arces Raszina, Guscserovecz, Pacracz, ac Petrovinam in Crisiensi Cottu expugnat incendit, & solo æquat: quód se ab illo iniquè insidiis petitum conquereretur. Cùm ad *Kralievam Velikam* hostes speculaturus processisset. Ad CRISIUM dein Castra ponens, loca omnia, quæ ad Dravum Fluvium sita sunt expugnat, recipit, occupat. Tùm adversus Franciscum Battyanium, Ferdinandi exercitûs Ductorem, è Stiriæ & Carinthiæ partibus, ad Ripam Dravi prope Varasdinum intendit. Sed Francisco sese ad Ormosdinum recipiente, nec Frangepanio, Eum, insequi volente, de suorum consilio, postquam ad *Zamlakam* quievisset, *Varasdinum* expugnandum suscipit. Cives, missis ad Frangepanum nuncijs, loci deditionem offerunt. Arcem autem, in sua haud esse potestate narrant, nec ab Eorum pendere arbitrio. Tutabatur Palatini nomine, Paulus Caprarius Varasdinensem Arcem, omnibúsque provisam habuit. Lustrat incautè Frangepanius arcem, & plumbea glande ictus lethale vulnus accipit. Atque ad Castra delatus, cum moriendum sibi cognosceret, ad JOANNIS Regis fidelitatem, suos vehementer hortatus, suffecto sui loco, Militiæ Præfecto, Joanne TAHIO, Ipse ad *Martianecz* delatus, summo omnium dolore, extinctus est, & Modrusiæ tumulatus.

Vulgato FRANGEPANY interitu, confestim DRAVUM trajicit BATTYANIUS, dilapsásque inveniens Copias Joannis, *Crisium* promulgat Comitia. Ubi Sclavoniæ totius optimates, Ferdinando Regi juratos ac fideles fecit, Joanne Banffi, & Simone Episcopo Zagrabiensi tantum exceptis. Qui, contemptis periculis, à Joanne Rege avelli nequivêre. Acta hæc sunt, 1527.

Jam ad Simonem Episcopum convertatur narratio. Is, 1526. in Profesto S. Martini Csasmâ, scribit Capitulo: „ *Siquidem* ad litteras Reginæ & Palatini (quas suppono „ Capitulum accepisse, cùm & ipse, eas acceperim) aliquos ex gremio sui ad me mit„ tent; mittant eos, qui longo rerum usu, & Dignitate ac authoritate, maximè hoc „ tempore, alios præcellant. Qualis est, Andreas Episcopus Rosenensis, Suffraganeus

„ & Archi-Diaconus Urbocz, ad Notitiam omnium ferè Procerum, & Prælatorum Re-
„ gni Ungariæ, ut major eo, considerari nullus possit, quamvis Præpositus, Lector,
„ Cantor, in Capitulo non sit. Hunc propterea mittendum censerem, cum quocunq;
„ altero. Quamvis pro quiete Ejus, parcendum ipsi videretur; cùm non parum fati-
„ gii & inquietudinis, præteritis diebus, mecum subire, pro Capituli honore, & in-
„ cremento Status Vestri, fuerit coactus, &c. Credimus post Electum, in Regem Joannem, hanc scripsisse Simonem Epistolam: Ejus tamen Coronationi) si hæc in Festo S. Martini, ut plures scriberent, fuit) non interfuisse; Cùm in *Profesto S. Martini* scribat. Reginam Viduam, & Palatinum, Capitulo & Episcopo pro FERDINANDO scripsisse indubium. Episcopus, quid respondeat? agátque Capitulum solicitus, CSASMAM adse evocat. Mittitur ad Vota Andreas, cum Petro Grangya Lectore, Stephano Pozederszki Vicario & Canonico. Celebrantur Clasmæ consilia. SIMON in eo totus est, ut Capitulum, palam se, pro Joannis parte declaret, tot tantásque rationes proferens. At Capituli nomine *Missi*, persistebant in eo, sibi fas non esse, in re tanti momenti deliberare aliquid, hinc redditum ad Capitulum postulabant. Reversi, ferunt Simonis litteras, quibus orat, imperat, ab Episcopo ne scindantur. Sibi à Joanne Rege non discedendum, firmum constitutúmque esse. At Scissa Canonicorum Suffragia. Quidam non recedendum à Capite, sive Episcopo sentiebant. Alii PALATINO, Bano adhærendum. Nec Defuère, Qui, à cujusvis Partis studio, præscindendum fore, arbitrarentur. Disputatum diutius, nec conclusum quidpiam. Andreas, quod mirum, Rosenensis, partium videbatur, contra Episcopum Ferdinandi. Ex suffragiorum intra Canonicos discordia, factum: Ut nec Reginæ, nec Palatino responderint, quin ultro citr que dispersi, incuriâ magis, quam culpa, habiti fuerint acceptique, pro Ferdinandi hostibus. SIMON autem Episcopus, palàm ac perseveranter Joannis partes, secutus, quin præcipuus fautor, contemptis periculis, ab eo avelli non potuit. Uti omnes commemorarent scriptores. Testaretúrque Art. I. Anni 1527. Nec post fata Christophori Frangepanis, aliorum exemplo motus est, ut ad Ferdinandi fidelitatem concederet, imò Dalmatiæ, Croatiæ & Sclavoniæ Bani, Titulum, pro Joanne Rege, vel usurpâsse, vel accepisse à Joanne, ex instrumentis & *Titulis suis*, invenitur.

Hæc SIMONIS facta, Zagrabiensi Ecclesiæ Vastitatem, & necdum reparata damna causaverunt. Enimvero 1527, cùm ad indicta CRISIUM Comitia, Cleri nomine, vel ex Clero Zagrabiensis Ecclesiæ, nemo comparuisset, quin Episcopi studia prodita fuissent, à relinquentibus Zapollium, Confestim ad Ecclesiæ Bona relegatus miles. Capituli Zagrabiensis *Toplica*, cum omnibus ibidem pertinentiis occupata, spoliata, incensa. Andreas Episcopus Rosenensis, jam Archidia: Kemlek, & Præpof B. V. M. de Zagrabia à Capitulo ad Ferdinandum supplex mittitur. A quo, ad BANOS Franciscum Battyanium, & Joannem Torquatum impetrat litteras, ut *Toplica* Capitulo restituatur, *Quia Capitulum*, ita in iisdem litteris, *jam debitam obedientiam Regi præstitit.* Feria 2. post Fest. S. Lucæ 1527. scriptæ sunt, vigore quarum, remissa Toplica. Hac occasione spoliata etiam, Ecclesia, ac Chasmense Capitulum. Universísque privatum, nec hodiedum resurrexit. Collectas illatorum damnorum, servat Inquisitiones, iniquitatem Lugens temporum. Zagrabiam autem COMES NICOLAUS TURIANUS, cum mile & amplius Veteranis Militibus missus, hísque potiori numero Hispanis statim à Christophori Frangepani obitu fuerat. CIVES Montis Græcensis Zagrabiensis, à morte Ludovici Regis, devoti juratíque Ferdinando, ab Episcopo Simone aliisque Zapolianis non parùm metuebant, igitur ad horum subsidium, comprimendosque Zapollianos, submissus Turianus est. Qui, cum suis Zagrabiam subintrans, Ejus tuendæ suscepit curam. Mœnia restauravit, Aream Capitularem incendit, universásque Canonicorum domus, uti hoc plura perhibent instrumenta. Canonicorum quidam ad Episcopi Castrum sese receperunt, constructis circa Ecclesiam minoribus Casis; Quidam ad Montem Græcum abiverunt, Comiti Turiano sese conjungentes: uti Petrus Ripach, & Bernardinus Modrussinus Archi-Diaconus Urbocz, quos ideo beneficiis Simon privaverat, unà cum Georgio Frigidini æque Canonico, & Juris Utriusque Doctore, *motuproprio* ut scribit, alios substituens, videlicet PAULUM de ERDEUD, & JACOBUM de POSEGA. Sed privatos 1529, postea restituere debuerit, cum Eorum nomina intra Canonicos inveniantur, post Annum 1538. Alii demùm, elapsi alio.

Arcem quoque Episcopalem suam, munitione aliisque instruxit Episcopus, nihilque eorum omisit, quæ Defensioni necessaria videbantur. Præfecit tutandæ Arci JOANNEM VAGEROVICH, Virum strenuum, scientia, usúque rerum Militarium polentem, ac Fidelem Episcopo, quia *Thomæ*, olim Strigoniensis, Alumnum, & pluribus à Familia Erdödiena locupletatum. Fidelis Strenuique Militis Vagerovich præstitit Officia, Arcem
ita

ita tutatus, ut ad Turiani potestatem transire nequiverit. Vastabat quidam Turriani miles omnia, & in Ecclesiæ subditos potissimum sæviebat, circumjacentibus Savo plagis, locisque nil indulgens, quin Ecclesiam ipsam Colubrinis, minoribúsque tormentis ita oppugnavit, ut turris OSVALDI utraque corruerit, Ecclesia damna senserit. Sed Vagerovichii non fregit virtutem, animum, quin Turriani miles, ipsaque Civitas *Montis Græcensis* damna non postrema recepit. 1528. Simon Erdödius Episcopus Zagrabiensis, JOANNES Banffius, JOANNES item Tahius Auranæ Prior, ac Petrus MARCIUS Posegæ. Valconarique Comes, Præcipui Duces Zapollianorum in Sclavonia, succurrere Vagerovichio constituunt, & Civitatem Regiam Montis Græcensis Zagrabiensis obsidione cingere decernunt, imò obsident, omniaque devastant. Mense uno obsidionem toleravit Civitas, ac ex alimoniæ defectu, deditionem parabat, nisi RAUBERUS Labacensis Episcopus, & Supremus Carnioliæ Præfectus, cum LEONARDO Pullero tulisset suppetias. ZAPOLLIANI metuentes, ne à tergo à RAUBERO cingantur. obsidionem solvunt, & versus *Crisium* profecti, ac ad DRAVUM sese collocantes, Arcem *S. Elizabeth* diruerunt. Venerunt interim TURIANO suppetiæ, amplius septem Germanorum milia, Annona item, Savi beneficiò obtenta, Et Arx Zagrabiensis Episcopi, Nonis Julii obsidione cincta. Sed cum provisa fuisset, obsidionis prioris tempore, quo nempe SIMON Civitatem obsessam tenebat, restitit fortiter. Tormentorum majorum defectu, fodiendis *Cuniculis* Hispani intendunt. At hos Conatus, eludit Vagerovich, partim contrariis Cuniculorum fossionibus, partim frequentioribus excursionibus, multos ex hostium numero captivans, trucidans. Quia autem frequentiori tormentorum explosione, Pulveris inopiâ sese laboraturum metuebat, ac Milites frangendos viribus, ex labore assiduo prospiciebat, maturè urgere succursus haud prætermisit. Quare per Sacerdotem quendam, clam ex Arce dimissum & Hispanorum Vigilantiam eludentem, pandit omnia Episcopo. Qui collaudata Vagerovichii industria, spondet succursum. Feliciter revertitur Sacerdos, obsessos recreat, & Vagerovichius insolita lætitiæ signa, tubis ac tympanis, cantu item, clamoribus, tormentorúmque explosionibus edit, dimisso in vulgus Sermone, magnum brevi adfuturum exercitum. Ob quæ, remissius ab Hispanis actum. Cum autem, humillimis Canonicorum precibus fatigaretur FERDINANDUS, ut Ecclesiæ parceret, quam Divorum Hungariæ Regum Commendat Fundatio, Turcarum crescere Vires animadvertens, quin Viennæ ipsi metuens, Turriano imperat, ut obsidione Arcis & Ecclesiæ Zagrabiensis neglecta, servet restauretque militem, ac Paulo post, ut ad Viennam defendendam festinet, properétque. Itaque hac ratione, soluta Zagrabiæ obsidio.

Quas Calamitates Hungaria, his Annis experta sit, sed & sequentibus, conjicere facillimum. Legantur præterea Historiæ. In Sclavonia sanè, decor omnis abiit, Civilibus his discordiis: quæ Rapinæ? quæ Cædes? ut alia taceam, ex Decretis *in Juris Corpore* contentis, videre est. Quod ibi leges, ut injustè ablata, occupata, restituantur. Tot extincta Religiosorum Domicilia, ut aliquorum inferius facturi mentionem. Zagrabiæ tot Sacræ ædes dirutæ, ut S. Antonii, S. Nicolai, Martini, Pauperum Xenodochia destructa. Domus succensæ, Quin PP. Dominicanorum Monasterium, Qui, ad Montem Græcum sub Mathia transiverant. desolatum, & pro Militiæ Hispanæ necessitate versum, nunquam eos amplius, vidit reduces. Loco illo, PP. Societatis JESU, postea assignato. PP. Minores S. Francisci de Observantia, dilapsi fuère, quidem; sed restituti etiam, duobus eorum, in his quoque turbis, domum Servantibus. Verùm Major istis, per Turcas facta est Clades. Utvé taceamus reliqua (apud Scriptores, præcipuè ISTVANFF. vivenda) aliquorum, non sine Lachrymis. facimus mentionem.

Anno 1527. Ignavia imbellis Præfecti Gorbonoghii JAICZA, Caput Bosniæ, cum Universa Provincia Turcæ obtigit. BANIALUCA quoque ab Andrea Radovich, unà cum Civitate pari Segnitia, ex Turcarum metu. accensa, Turcis relicta est. UDVINA item, LICA, & CORBAVIA, cum suis Oppidis, Castellis, Arcibus, Turcis occupantibus cessit. Destructa Episcopi Corbaviensis Sede, nec hodie restituta. Titulus Sedis hujus, conferebatur olim ab Hungariæ Regibus. Sed ab Annis jam multis, & hoc omittitur. Episcopo Segniensi, *Corbaviam*, ut Romano Catholica est providente, & administrante. Sunt hodie in ea, ut intelligimus, Schismaticorum plurimi. 1529 *Buda* amissa, Vienna obsessa, aliáque loca Hungariæ plurima, à Turcis spoliata, recepta. Videndus *Istvanffius*. uti & de *Sacra* Regni *Corona* periculo, dum ad Solymani venisset potestatem & felicitate Regni, dum à Solymano Joanni de Zapolya restitueretur. 1532, licèt formidabilem toti Europæ Exercitum Solimanus in Hungariam duxisset antea, Consilio tamen Ibrahimi Visitando potius, videtur Provinciis nocuisse. Ginsio relicto, &

magna virtute defenso à Nicolao Juritsich, in Stiriam perrexit, Græcium, inde Marpurgum, Petrovium, Varasdinum, ad *Raszinam* consedit; quam ferro & flamma absumit, una cum Arce *Opoi*. Dividensque Copias, partem per *Crisium*, *Gudoczium*, *Csasmam*, *Montem Claudium*, *Velikam*, Zapoliam, Partem aliam, quam & Ipse secutus, per *Capronczam*, *Veroczam*, *Posegam*, *Sirmium*, Belgradum reducit, indeque media hieme Adrianopolim. Quæ, his temporibus, incommoda? Sclavonia pertulerit, facile perspicere est. Profectò ex litteris, *Also Lendva* Capitulo scriptis 1532, hæc notat Marcellevich, Verbis Epistolæ: *Pro Decima Anni præteriti dare nil possumus: quia per Turcas sunt consumpta omnia, & Rustici abducti & occisi. Hoc Anno verò, spica sunt sine grano. De Vino speratur copia. Gentes Valentini Thereck, & Pauli Bakich, non procùl à Provincia ista, cursitant Prædabundi.*

Tandem post diversos rerum eventus, interceptam Cassoviam, aliáque varia, Pax FERDINANDUM inter ac JOANNEM Reges Vaciæ conclusa est. Anno 1534. Leges Pacis describit Istvanffius, aliique. Profectò occasione hac, *Simonem* Zagrabiensem Episcopum, Credimus *Joannis* Ipsius Consilio, FERDINANDO adhæsisse. Sclavonia enim tota, Ferdinandum venerata est Principem, Simonisque Socii, vel è vivis sublati, vel Ferdinando Fideles. Joannes Baussius de Lindva 1533. fatis cessit. Tahius antea. Hinc SIMON qua fidelitate sequebatur adhuc Joannem, Eadem Ferdinando postea obtemperabat.

Ad Annum 1535. à Mehemethe Jahiogli Tauruni Præfecto, *Essekinum*, dein *Posegam*, Capitulo Posegano destructo, ac Quinque Ecclesias profugiente, tum *Obrovacium*, *Berinanum*, aliáque Croatiæ loca subacta, recenset Istvanffius. Ritterus ad Annum, 1536, Samuel vero TIMON ad 1537. collocat. Monumentísque Nostris, & MSS, Timonis Sententiæ conformior. Ominamúrque in Istvanffio, errore Typi Annum 1535. positum, cum sequenti statim pagina 1537. legatur. Aliáque ab Istvanffio notata, ac relata, Annum 1537. prodant. Præcipuè dum recenset FERDINANDUM duplici comparato exercitu, hostibus occurisse. Primum in Croatiam Ductore PETRO Kruffich, cui Nicolaus Comes TURIANUS cum tribus millibus adjungitur, nec Pontificis defuere auxilia. *Clissæ* Præfectus Kruffichius fuerat. Hanc olim *Diocleam*, & Diocletiani Patriam aliqui existimant. Egit, quæ fortis erant Militis, ac SALONAM sive Spalatum usque excurrit. Ab Amurathe Bosniæ Præfecto Cæsus. An in Prælio? ut Gregorius Petthö refert, aut in fuga, quæ Istvanffii est Sententia, incertum. Tersactana in æde, hæc Inscriptio (Georgio de Marotti referente) posita.

Hoc, Petri Crusich, Marmor: tegit ossa perempti
Proh dolor! à Turcis, quos Segnia Clissáque nunquam
Vivente timuit. Mors corpus, Spiritus Astra
Possidet, at gestas celebrat res, fama superstes.

Alterum Ferdinandi Exercitum Duxit, *Cacianerus*, Quem, Istvanffius, Cocianum appellat. Numerabat hic exercitus, sedecim Equitum & octo Peditum milia. Peditatui Comes LODRONIUS, Equitatui ex Bohemis conscripto, Albertus Schickius, Hungaricis, Croaticísque Cohortibus Ludovicus Pecrius, præfuêre. Joannes Ungnad, Styros, Erasmus Magerus, Carinthos ducebat. Episcopus Zagrabiensis SIMON, Commeatui curando præpositus. Ad Capronczam totus hic exercitus, jussu Cacianeri congregatus in Julio. Die 30. Augusti *Berzenczam*, postea Veroczam itum. Quo ex loco Paulus Bakich exploratum hostes, versus *Zopiam* Arcem missus, ex iis quos ceperat, cognitum: à Turcis ad *Essekinum* nostros præstolari. Habitis Consiliis relictâ à dextris Posegâ, Valconem à Nostris itum, ubi diutius commorati, Essekinum oppugnandum constituunt. Vide *Istvanffium*, *Jovium* &c. deficiente annona, ad *Ivancam* Francisci Zaii Arcem à Turcis invasi, cadente in prælio Kalen. Decemb. Paulo Bakich milite strenuo, fuga sibi consulere ceperunt. LUDOVICO Lodronio remanente. Exitialis hæc Clades in diem alterum Mensis Decembris incidit. Cacianerus & Pecrius à Ferdinando Rege, in custodiam detrusi sunt, Posterior, post septem Annorum carceres, Libertati, & Dignitati (*Dapiferorum* Magistri) restitutus. Sed Cacianerus è Custodia profugiens, & ad Turcas deficere procurans, *Kostanicza* apud Joannem ZRINIUM commoratus, jussu Ferdinandi, tanquam proscriptus, & infidelis, 1539. à famulis duobus Georgio Grabussa, & Joanne Hoisich interficitur, Pœnásque luit. Si diffusius hæc nosse cupis lector, Istvanffium Legito.

An-

Annis sequentibus, 1538. *Dubicensem & Jeszenovicensem* Arcem adjectis Oppidis, Turcæ occupârunt. Ac licèt, aliorum Sclavoniæ fatorum Istvanffius non reminiscatur, Georgius tamen Marcellevich ex monumentis Ecclesiæ Zagrabiensis, his Annis, plura eruit, & notat. Nempe ex Litteris & Mandato Ferdinandi ad Thomam de NADASD. Tavernicum, & PETRUM KEGLEVICH de BUZIN, Dalmatiæ Croatiæ & Sclavoniæ Banos, Quibus Censûs omnes & *Taxas* publicas, ad triennium subditis Capituli Ecclesiæ Zagrabiensis remittendos mandat, *Quod Bona Ejusdem Capituli per Turcas depopulata & devastata essent; illa autem quæ supersunt exigua, Militis Nostri descensu exhausta sint.* Porro Bona Capituli *Gradecz*, aliáque quæ trans Colapim possidebat, per Turcas depopulata fuisse 1539, quin Ipsum *Siscium*, diversa firmant instrumenta. Litteræ CLEMENTIS Castellani, de Inferiori Gradecz, factam deprædationem militum, JOANNIS ZRINII, Capitulo detegentes, inter reliqua continent, Ejusdem ZRINII milites, Pileos Turcicos sibi confectos gestavisse, *ac Vexillum Turcicum præferebant, Quod, in Direptione Sisciæ per Turcas facta, videbatur.* Hispani quoque Militis mentionem in pluribus deprehendimus, ut credamus omnino, aut iterùm pro tuendis his partibus à Ferdinando submissos fuisse, aut post Petri Kruſſich ad *Chissiam* casum, Nicolai Turriani exercitum, in his Zagrabiæ Partibus, consedisse.

Annis autem sequentibus, Quæ rerum fuerit in Hungaria facies? describit Istvanffius. MORS Equidem JOANNIS ZAPOLIJA, non extinxit, sed auxit vastitatem. Mortuus autem Joannes est, 1540. Die 20. Julii, *Testamento*, ac Tutoribus, notol, paulo ante mortem, ex ISABELLA, Sigismundi Poloniæ Regis Filia, 1539. sibi consociata, filio relictis. NOS, ab omnibus, quæ Hungariæ fuerunt, fatis præscindimus, in Sclavonia & Croatia, quæ his quatuor, Vitæ SIMONIS Episcopi Annis, acciderunt, brevissimè relaturi. 1540. Ufreffus Bosniæ, & Amurathes Clissiæ Præfecti, factis per Croatiam excursionibus, & ZRINIO oppugnato, Prædas, ac spolia magna fecerunt. Sed à Comitibus Zrinianis repulsi, Anno 1542. Circa Epiphaniam Domini, Turcas Comitatum & ipsam Civitatem *Varasdinensem* cursitando, & excurrendo vastâsse, ex evocatoriis Pauli de Ratka, notat *Marcellevich.* Commendaverat PAULO, Possessiones suas ad Varasdinum, Biskupcz, Chernecz, & Thomassevecz Episcopus. Quarum subditi, *Varasdinum*, ex Turcarum metu res suas intulerant. Vastatis Possessionibus, & incensis, per Turcas, Pagis, plurimísque ad servitutem abductis; Cum depositas *Varasdini* res, reposcenti Episcopo, Paulus negaret, in jus fuerat evocatus. De his Turcarum excursionibus silet Istvanffius, refert autem in Sclavonia, 1543. *Athynam*, *Sopronciam*, *Bolaszinam* (Abbatia fuerat) *Velikam* occupavisse. Siklos, Quinque Ecclesiæ, aliáque loca, hoc eodem Anno, à Turcis subacta.

Hactenus Quæ sub SIMONE Episcopo sive Civilia, sive cum Turcis bella gesta sunt, attigimus: Nunc ad privata, ac ut dicam *domestica*, convertimur. Cum Zagrabiensi Capitulo, fovit Lites continuas, ut ex Superiobus liquet, præcipuè autem, postquam JOANNIS ZAPOLIJÆ partes, fuisset secutus. Canonicorum plures, ex suspicionibus ac quod Ei non adhæsissent, Beneficiis privaverat. Sed &, postquam in gratiam Ferdinandi venisset, Anno statim 1536. Capituli terras, vulgo *Tlakas* vocatas, infra Granessinam, per suos occupari fecerat, non sine damnis ac Violentiis; has tamen restituere, & Mandato Ferdinandi, & Sententia Judicum debuit. Anno 1540. Feria 6ta post Ascensionem Domini, per Castellanos suos, Georgium Kerhen aliósque, nescio quas informationes accipiens, Canonicos in *Area Capitulari* exagitavit, imò noviter erectas tres Domus, in Cineres redegit. Recurrit ad Ferdinandum Capitulum, Qui, dum & Episcopum admonuisset, & *Petro Keglevich* Dal. Croat. & Sclav. Bano demandâsset, ut Capitulum in sua tutella habeat, ac ab inimicorum Violentiis defendat, SIMON De Dato DOMBRO, 10. Augusti 1541. sequentes ad Capitulum dedit litteras.

„ Venerabiles Fratres, Carissimi. Majestati suæ, tectâ causâ, accusatis Castellanos Nostros Zagrabienses Violentiæ, quod in Area Capitulari injuria fieret. Vellem „ scire Quibus? & qua causa? fortè iniquum vobis videtur, quod ab adversariis pacis, „ dico meis, exigitur injuria Doleo tanto studio illos à Vobis defendi, & quasi in „ Sinu Vestro foveri. Quod si cognovero, sumam ultionem olim de eo, quisquis cum „ injuria authoritatis meæ excipere tales solet. Et licèt mihi quoque sit jus in Area „ Capitulari, haud dissimile Vestro, si tamen efficere poteſtis, ut terra Vestra ab adver„ sariorum injuria, hominibus meis, tuta reddatur, patiar & Ipse Aream Capitularem, à „ meorum violentia tutam fore. Cœterùm persisto & maneo.

Verùm sine fundamento, pro Adversariis suis, credidit Simon Capitulum, Immò æterna digni memoria, Viri tot tantique, qui Zagrabiensem in tot periculis sustentârunt, servaruntque Ecclesiam. Præcipue Andreas Rosenensis, Paulus Zondi, Mathias Bre-

Brumanus, Nicolaus Jalkoczi Cantor, ac Petrus Grangya Lector, æternum sui desiderium reliquerunt. Horum indefessa cura, Ecclesiæ, quin Episcopatus ipsius, servata jura. Provisum ne ruinaretur ab inimicis Ecclesiæ, Vindicatæ Decimæ, aliaque, ut inferius, elaborata. Non defuêre, confiteor, ex ipso Canonicorum Collegio, aut minus prudentes, aut incurii, quin in ipsa, ut dici solet *neutralitate*, incauti. Attamen præfatorum Virorum Prudentia, fortitudine, Zelô: temperabantur tales, indultáque illis, occasione, absentiæ. Res Ecclesiæ, à supradictis stabant, mederabantur.

Sed & cum aliis Simoni incommoda. Utque taceantur illa, quæ facile cognoscuntur, Simone Zapolyano existente, postquam Ferdinandi factus est, cum Zriniis non solum fovit odia, at in apertas erupêre inimicitias. Alter alterius Spoliabat Prædia, vim inferebat. Narrat hæc, ad Annum 1541. Istvanffius, quamvis horum initia, jam 1538. posita. Ut Ecclesiæ Zagrabiensis Monumenta perhiberent, factáque magnorum Virorum testimonia. Quæ, *Inquisitiones* dicuntur. Ex his igitur eruimus, Joannem Zrinii. Joanne Alapy, & Georgio Vidossich Sociis, prætextu ulciscendarum injuriarum, ab Hispano Milite, ut dicebat illatarum, ad tuendas, providendásque Arces *Rakonok*, *Vukovina*, *Medved*. Zriniô Die 7ma Augusti Anni 1539. movet, admonens Capituli subditos Gradacenses, ne exercitu suo terrerentur, aut tormentis quæpiam signa darent, Populúmque tumultuent, cum metus illis à Zriniô nullus. Itaque Die 8và Augusti movet Zrinio, ac ad *Oresje* Pagum Capituli adveniens persolutis omnibus quæ victui necessaria erant, ad *Gore* Die nona Augusti, cum exercitu suo considet, & prandet. Tum eodem Die, in Villas Gradacenses Capituli, irruit, devastat, Spoliat, Villas Capituli *Melinicha*, *Vlabovich*, *Grabrovaszella*, *Budrovez*, *Goricza*, *Puszti-Gradecz*, *Bernievcz*, In quibus villis, cum Universa suppellectili Domus 84. combustæ, Homines septem vulnerati, occisi 39, captivi abducti 52. Jumentorum accepta quantitas, nempe *boves* 190. *Vaccæ* 145. Vituli, Equi, Alvearia, sues amplius universim bis mile. Arcem tamen obtinere nequivit, *Clemente* Castellano eam fortiter tutante, in auxilium submissis Sisciensibus. Et cum Pileos, more Turcarum Zriniani gestâssent, fuit creditum, à Zrinio Turcas fuisse adscitos. Videns autem Zrinius, Arcem Gradecz à Clemente defendi, ad prædanda Episcopi Vicina Bona, *Vinodol* nempe, *Hraszoviczam* descendit. Nil parcens, sed sæviens ubique. Occurrit hosti Episcopus, Zrinianis trucidatis multis, aliis autem Captis, & ad operas servilles damnatis. Ut Zrinius Ipse fuga sibi consuluerit. Sed ægrè ferens, dedecúsque ratus, Collectis undique Sociis, ac Copiis 1541. Arcem Episcopi *Vinodol* obsidet. Tormenta, aggeres ad expugnandam, disponens: à tumultuariis atque agrestibus militibus, globo ictus, atque interfectus corruit.

Ulturus Joannis mortem, Nicolaus Frater, cogit exercitum, ac Ecclesiæ Zagrabiensis Bona, undique aggreditur. *Petrovina* Capituli, à Stephano Comite de Ozaly, svasu Georgii Guzich, invasa, diruta, Spoliata omnibus. *Teplica* verò à Mathia Skalich Zagrabiensi Cive, & Zriniorum Cliente, jam tertio, Spoliaverat enim illam 1531, Item 1539, ac iterum 1541. Vugra vero, & Quæque ad Zagrabiam, sive Capituli, sive Episcopi Villæ sunt, ab ipso Nicolao Zrinio deprædabantur: Spoliabantur. Quin arcta obsidione bis, Zagrabiam ipsam, cinxit Zrinius, Canonicorum deprædatus domus, ac amplius 5000. damni inferens, imo Captivos habens aliquos. Verùm cum preces suas, urgeret ad Ferdinandum Capitulum, Isque Petro Keglevich, Dal. Croat. & Sclav. Bano, Protectionem Ecclesiæ imposuisset, (Qui Michaëlem de Zemcse, Vice-Banum suum, ad Villas Capituli præmissas, cum Regni Copiis submiserat) Ac indubiè Zrinio Ipsi, scripsisset. Ille enim 1542. Sabbathô, post Festum Conversionis S. Pauli, Capitulo, Possessiones occupatas, restituit, lege tamen ea, quod instrumento confecto, Damna illi alia, condonarint. Acerbius hanc transactionem tulit Episcopus. Imò quia vi obtenta, ac ex metu data fuisset, Mathias Brumanus Cantor, & Lucas, Chasmensis Archi-Diaconus, coram Chasmensi Capitulo sunt protestati. Hæc omnia Ecclesiæ Zagrabiensis, publica instrumenta perhibent.

Istvanffius narrat, Ferdinandum gravissimo promulgato edicto, & sub honoris atque existimationis jactura, ab incepto, & ab injuriis mutuo inferendis, Zrinium, & Simonem Episcopum prohibuisse. Simulque Francisco Josephich Segniensium Episcopo, Georgio Frangepanio, Balthasari Banffio Thallociano, Stephano Giulai, ac Mathiæ de Raven in Mandatis dedisse, ut illos in mutuam pristinæ Concordiæ amicitiam reducerent, aut Controversias omnes jure terminarent. Quorum opera factum recenset: ut Captivis utrinque dimissis, ac damnis restitutis, pax intra diffidentes componeretur.

Heu quæ Annis his violentiæ! Bonorum præcipue Ecclesiasticorum deprædationes, occupationes, ac intra Ipsos Patriæ Cives, cædes. Loci hujus non est, minus propositi Nostri, Universa reffere, hinc & Petri Keglevich nullam mentionem facimus, in Banorum

Hi-

Historia, casum ejus relaturi. Nec aliornm. Decreta sub Ferdinando I. edita, fata hæc,
Sclavoniæ & Hungariæ, luculenter testantur. Profectò præter Universa Ecclesiæ Zagra-
biensis Bona, uti ex superioribus videre est, Lacerata, direpta, Ipsas etiam *Decimas*, ne-
gatas fuisse, tot Ferdinandi mandata testantur. Sic: 1533. 1mâ Maji Viennâ, Jubet
Ferdinandus: Ut cum Canonicorum Domus, funditus combustæ essent, iique incertis
Sedibus vagarentur, Turrim Capituli, cum Domo & horto, in Civitate superiori sita,
custodiant. Decimas item, tam præteritas, quàm futuras, nemini alteri, ac Canonicis
dent, & persolvant. Jus nullum, in Colonos Capituli exerceant. Quin Capitulum con-
tra inimicos defendant, protegant. *Petro Keglevich* committit, ut nolentes Capitulo,
persolvere Decimas compellat. Eadem dat mandata Stephano Ursini, Comiti Blagay qui
Decimas, Castri *Turan* usurpaverat. Imò 1533, Dominica post Festum S. Jacobi, corâ
rupto Magistro rei Tormentariæ, Castrum Capituli *Gradecz* occupare procurabat. Sed
Visa Castellani perfidia, Capituli homines, qui Arcem servabant. Magistrum e muro
præcipitant, & interficiunt. Quo viso, cum suis Ursinus recessit, Villam Vlahovich
depopulando. *Hæc, Instrumenta* Authentica. Item 1535, cum Regnicolæ constituissent,
Decimas Capitulo non solvendas, quod Canonici dispersi, imo divisi essent. Ferdi-
nandus Viennâ, Dominicâ Corporis Christi, statutum revocat, mandátque reddendas
Decimas, secus de remedio provisurum. Et cum Decimas Anni hujus, de *Zagoria*, *Se-
lin*, *Zomzedvara*, *Sztubicza*, *Zagrabia*, Petrus Keglevich accepisset, jussu Ferdinandi, eas
Capitulo, restituit. Anno demum 1542, cum passim Decimæ Capitulo negarentur, Se-
verum Mandatum, in Publica Regni Congregatione, Ferdinandi excipitur, in quo: Mi-
rari se dicit Regnicolarum ausus, qui dictis, fideles se Ferdinando jactitant, Factis au-
tem negarent, dum tot Ejus mandata respuerent. Hinc deductis Capituli Fatis, quæ &
à Turcis, & Civilibus bellis passi sunt, ut ad quotidianum Victum, necessaria deessent,
minus autem intertenendis Arcibus, ad Turciam sitis, sufficerent. Mandat: Neglectas
omnes, dari Decimas: *Ne aliàs Divinus Cultus, Nobilis Ecclesiæ cesset, & Arces finitimæ in Tur-
cicam potestatem Veniant.* jubet Insuper, *Christophorum Gnovevsky* Præfectum Arcis Zamobor,
vinctum ad se relegari, quod acceptis Viennâ mandatis Regiis, Decimas non persolverit.
His mandatis intellectis, redditæ certatim, & portatæ undique, Capitulo Decimæ.
Hæc retulimus ideo, ut Curam Canonicorum, Superius memoratorum videas, & Fer-
dinandi pietatem.

Ex Monumentis quoque Zagrabiensis Ecclesiæ, litterísque super eo confectis, no-
tat *Marcellevich* 1540. Georgium Kerhen de Bellosovcz Castellanum Episcopi, *Zagrabiæ*
commissis atrocibus criminibus, cum rebus suis, fugam arripuisse, quin & Episcopi abla-
ta suppelectile. *Ac nisi in continenti, Cantor, aliique Canonici rescivissent, & custodiæ Castri
Episcopalis se opposuissent, Castrum in manus hostium & æmulorum Episcopi devenisset in maximum
hujus Regni periculum.* Credimus Joannem Zrinium, *pro hoste* hic intelligi. Ad Annum
autem 1542. scribit. *Circa Divisionem Apostolorum, Ferdinandus Rex jussit Castellum Episcopale
Vugra, cum pertinentiis Castri Zagrabiensis per Stephanum de Giula, Aulicum suum & Commissa-
rium, à Bano occupare & sequestrare, ac ad manus suas recipere, & mox Simoni Episcopo Zagra-
biensi restituere. Sed Stephanus, usque ad Festum S. Thomæ Apostoli Bona tenuit, impositis suis Pixi-
dariis, & Universos Proventus ac Decimas occupavit, ac subditos taxis extraordinariis exsuxit. Sub
finem hujus Anni mortuus, cujus itaque viduam Lucretiam, Sabbat. in Fest. SS. Tiburt. & Valerian.
MM. sequentis Anni, ratione damnorum Episcopus evocavit.*

Hæc, & Superiora, Simonis Episcopi, incommoda, temporúmque quibus vixit Vi-
cissitudines, impediverunt meliorem Ejus memoriam. Tot inter hostes, ac in tantis ca-
lamitatibus positus, facere quid voluit? Est tamen illius, in diversis apud subditos lit-
teris, memoria. Pluribus enim libertatibus, eos donaverat. Præterea 1523. à Ludo-
vico Rege, *Jus Patronatus* pro se & Successoribus Abbatiæ B. V. M. impetravit. extat *Pri-
legium*, de Dato Budâ Festo SSmæ Trinitatis. Anno autem 1540, sub Dato, *in Castro
Nostro Zagrabiæ, Penultima Martij.* Canonicis Zagrabiensibus dat Litteras, ac in illis; ut
Quicunque in Area Capituli, sive in Ipso etiam Castro Episcopali, Domum jam extruxit,
vel extrueret, cum medietate precii Domus, per 4. Canonicos æstimandæ, disponat: Me-
dietate alia, juxta veterem consvetudinem pro Ecclesiæ fabrica remanente. Si verò cui
contingeret, Domum mutare, tunc Successor totum illi pretium solvet. Exprimitur in
hoc instrumento, quod supra relatum est, nempe Canonicorum ædes combustas, depræ-
datas, vastatas, &c.

Tandem Anno 1543. sub finem Mensis Julii, vel Augusti initium, Simon obiit. Sed
ubi? ignotum. Prouti & de Sepulturæ loco, aliisque. Hoc tantum eruimus, Simo-
nem Ferdinando Regi, *Scripturam* quandam misisse, ac Regi ab Olaho traditam septem
ante obitum diebus, ubi inter reliqua, Ornamenta sua Pontificalia, Mitras nempe Pa-

storale, Crucem, Candelabra: Annulos aureos &c. *Ecclesia* donat. Successore Olaho, hæc, scribente & mandante ut à 4. *Columnis* in Arca obsignentur. Istvanff. mortem Ejus, ad Annum 1544. collocat. At Priori Anno, secutam ex Olahi testimonio verosimilius. Qui: in *Compendario sua ætatis Chronico* se, à Ferdinando Pragæ, in Episcopum Zagrabiensem, & Hungariæ Cancellarium, Mense Augusto, elevatum scribit. Petrus quoque Erdődius, una cum Barbara Puhamia uxore, empta domo, rebúsque omnibus eo comportatis (Qua de causa? & an post? vel paulò ante Simonis mortem, incertum) Venetias migravit, ibique obiit. Ut Istvanffius, Ratkajus, Timon narrant.

Verùm, inter Monumenta Zagrabiensis Ecclesiæ, (Georgio Marcellevich teste) in *transumpto* Capituli *Castriferrei*, Est: Ejusdem Petri testamentum. De quo sequentia notat Marcellevich. „*Feria 3.* post Fest. S. Luciæ, Anno 1544. Petrus Erdődi de Monyorokereg, Magister Agazonum Regalium, præsentibus Georgio de Sabaria Præposito, Joanne de Bikzad Cantore, & Canonico Castriferrei &c. *testamentum* condit. In quo Legat *Regi*, Equum unum Turcicum specialem, Debitum restans Simonis condam Episcopi Zagrabiensis, & consequenter Fratris Ejus Petri Palffy, Hungaricales circiter Nongentos, ac pro Castro Dyanvara Hungar. 1500, Legat Regi, pro futura expeditione, Filio etiam suo, *si in gratiam cum ipso, & Rege reddiverit complura Legat, alias verò nihil.* Castri Okich, Capitulo Zagrabiensi, ex Commissione Thomæ Cardinalis dandi meminit, Tutores Testamenti, post Regem, constituit *Paulum de Varda* Archi-Episcopum Strigoniens. *Thomam* de Nadasd, Judicem Curiæ. *Franciscum de Reva* Locumtenentem, *Franciscum de Batthyan*, *Andream de Tharnovcz.* Hoc testamentum, eodem die, Ladislaus Gorycza de Vidovcz, Castellanus Castri Keurmend, nomine Thomæ Erdődi, Domini sui, præsentavit Capitulo Castriferrei, transsumendum. Hactenus & his verbis *Marcellevich.*

Ex his, authumo: Petrum Filium (quem parens jubet: suas, Rgíque mereri gratias, si *Legatis* frui voluerit) Venetias fugisse. *Istvanffius* Patri hoc attribuit, Qui, ante abitum, testari ergò debuit: atque ita Venetias concedere. Hoc si ita: Rege indulgente, ac *quietis* causà, Petrus abiit. Nobis tamen credibilius videretur, Petrum filium aufugisse, tum ex præmissis; cum & iis, quæ Rattkay pag. nobis 142. narrat: Scelus nempe in Patrem, à Petro commissum. At tam dubia est Ratkay narratio, ut si legatur initium, Petro patri, facinus tribuendum videatur, si finis: filius veniet execrandus. Quem &, testamentum præmissum Patris, accusat.

P. Szent-Ivanius, in Cathalogo Episcoporum Agriensium, post *Julium Medicem*, collocat: SIMONEM ab Erdőd. Sed si alter, ab hoc Nostro non fuisset, Simonem, qui Zagrabiæ fuit Antistes, Agriam translatum, nec ex monumentis Ecclesiæ hujus Eruimus; nec à Scriptore quopiam didicimus. Fors à Joanne Rege, Sedes Agriensis, Simoni, fuit destinata, ipséque Ecclesiæ illius Administer. Mirum tamen, occasione initæ pacis, inter Reges Simonem si Agriensis fuisset, Agriæ non mansisse, sed ad Sclavoniam rediviffe, ubi nemo, jam *Joanni* Regi favebat: & Simoni omnes inimicabantur. In Monumentis Ecclesiæ Zagrabiensis, ne umbra quidem, Simonem, Agriensem fuisse unquam Episcopum. Quid Agriæ Sit? ignoramus. Fors pro Joanne Erdődio (quem Lapis Sepulchri Electum Agriensem inquit, ut superius notavimus) Simon in Cathalogo Szent-Ivany scriptus.

Sub Simone hoc Episcopo, Anno 1537. Bononiense Clericorum Collegium initium habuit. PAULUS ZONDIUS Zagrabiensis Canonicus, & Ecclesiæ Chasmensis Præpositus, cum disputatum inter Canonicos fuisset, Ferdinando? vel JOANNI parendum? rebus suis congregatis, in Italiam concessit, ac *Romæ*, egit ut vocamus *Pænitentiarium.* Intelligens ad Ferdinandi Partes, 1534. Simonem Episcopum concessisse, crebrioribus Litteris à Capitulo exoratus 1537. reddit. Bononiæ cum fuisset, Captus Amœnitate Soli, ac potissimùm, Insigni Bononiensium Doctrina, metuens ne sibi iterum ex Sclavonia, recedendum foret. Domum ibi, *à Laurentio de Refrigeriis*, in Platea Civitatis, *Canto Trecento* vocata, precio Librarum Bononiensium 1950. comparat. Quò res suas quoque transfert. Zagrabiam redux, post Andreæ mortem, Episcopus Rosenensis, & Suffraganeus Simonis Episcopi constituitur, atque 1540. à morte Petri Grangya, Capituli Lector, dein Præpositus Major, Zagrabiensis, & Strigoniensis Ecclesiæ. Ut autem reddivisset, Canonicorū 4, Ad Bononiensem Domum, suam exmittit: juri daturos operam. Stephanus Leporinus, rerum gessit curam, primúsque Rector dictus est. Sed de his, Ipsóque Zondio alibi copiosius. Præmissa autem, non solum ex Colleg. Bononiensis Monumentis, sed & aliis Capituli litteris patent, immò Manu ZONDII scripta, unà cum Ejus Constitutionibus Collegii, sunt. Quæ, suo loco recensebimus. Anno item 1540. Institutum Cle-

Clericorum Regularium, sub nomine Societatis JESU, à Paulo III. Pontifice Maximo. V. Kal. Octobris, Diplomate approbatur. Quod Zondio Româ fuit significatum. *Demum* 1543. Capitulum Arcem suam *Petrina*, etiam *Petna* dictam, non procul *Zrinio*, & cujus hodie visuntur rudera, diruit. Idem de *Gradecz* constituerat, sed nomine Ferdinandi, vetat Maximilianus filius, Viennâ, 29. Aprilis. Causam postulans, cur nulla hostili necessitate urgente, locum defensioni opportunum, inscys omnibus, quibus rerum bellicarum cura est, diruerint. Hæc ex Maximiliani rescripto. Quid responsum à Capitulo ? nos prætorit. Hoc autem Epistola Joannis Benche, Castellani in Gradecz, Sabbatho ante Visitationem B. V. M. scripta edocet, ut Pulveres Pyrij, quamprimum, & sine mora mittantur. At quæ necessitas ? tacetur.

Nomina Canonicorum.

Ex diversis instrumentis hos eruimus. *Præpos. Major* Thomas Bakács 1537 Legitur *Lector.* Petrus Grangya, & post hunc Paulus Zondi Episcop. Rosenensis & Suffragan. *Cantor.* Nicolaus Jalkoczi, tum 1540 Mathias Brumanus. *Custos* Michael: dein Georgius. *Præpos. Chasmen.* 1525. Andreas Chesius, qui invenitur in diversis instrumentis Can. Strigon etiam, & Ejus Capli Præpos. Fuit hujus Capituli causarum Promotor. Extant plures Ejus litteræ. *Camarcen.* Gregorius 1523. Andreas Rosenensis Episcopus Suffraganeus (de quo supra) primùm Archidia. Urbocz dein Kemlek, Præpos. Chasmen. 1537. mortuus. *Bexin* Mathias Brumanus. Franciscus *Dubicensis.* Georgius Jur. Doct. *Urbocz* cui successit Bernardinus Modrussinus. Hunc punitum, privatumque beneficiis 1529. voluit *Simon.* *Canonici alij.* *Ladislaus* de Gersencze 1518. Præf. in Gradecz & Petrina. Stephanus Kittonich. Blasius Bogdassa. Stephanus Pozederszki, Vicarius General. Ioannes Supanich, de Prezetnasev. Petrus Ripach. Gregorius de Tragurió Bartholomæus Klokoch. Christophorus Organista. Paulus Erdődi. Stephanus Gilettij, Ambrosius de Madarasz. Annó 1534. Præfecti in Gradecz Georgius Heressinczi. Georgius Grangia Stephanus Leporini. Ioannes Xanthus.

Nomina Banorum.

1522. Joannes Torquatus Karlovich. Et Franciscus Batthyani. Karlovichius 1531. in Arce *Medved*, sine Liberis, hinc ultimus, decessit, & Remethæ sepultus. Alter vero sponte cessit. Uterque horum, Ludovico Rege mortuo, Ferdinando fidelis.

Christophorus Frangepanius. *Joannis Regis*, Dal. Croat. & Sclav. Banus. De quo supra. Hoc mortuo, *Joannes Banffi*, & *Simon* Episcopus Zagrabiensis, Dal, Croat. & Slavoniæ Bani, Leguntur Ejusdem *Joannis Regis.*

1530. & 1531. Petrus Keglevich de Busin & Goricsan, in Regnis Croatiæ & Sclavoniæ Commissarius Regis Ferdinandi, *ex Literis* & Titulus, Hujus filio Abbatia Toplicensis, sive de Topuszka donatur 1530. Anno autem 1531. Legitur: *Andreas Tuskanich* Episcopus Tininiensis, Abbatiæ Toplicensis Commendator, & Bani Locumtenens. Sed cujus Bani? incertum. 1534 Ludovicus Pekri, de Petrovina, Liptoviensis, Varasdinensis, Castri ferrei Comitatuum Comes, & Regis Ferdinandi in Sclavonia Capitaneus. Vacâsse Banatûs Dignitatem credimus.

1538. Thomas de NADASD & Petrus *Keglevich* Dal. Croat. & Sclavon. Bani. Sed Thomas, (qui & Tavernicorum Regalium Magister, fuerat, ut Ejus docet Titulus) ad officium *Judicis Curiæ*, postea ad PALATINUM sublimatus est. Petrus autem officiô, & Bonis privatus, uti 43. 1542. Articulus. Gratiam iterum obtinuit.

1543. Nicolaus Comes de Zrinio Dal. Croat, & Sclav. Banus.

Credimus his temporibus, *Supremi Capitanei Regni*, Si non posita initia, indubiè *activitatem* crevisse. Anno 1523. *ex Art.* 44. emanâsse videntur. Ubi Art 45. Eorum *Officia* describuntur. In Regno Sclavoniæ, an *Regni Capitaneus* fuerit Bano subjectus? videtur dubium; ex Articulorum II & V. Anni 1538. combinatione De his, in Historia *Civili* copiosius. Attamen Capitaneos Regni Sclavoniæ ex monumentis Ecclesiæ, hos eruimus.

1523. Christophorus Comes Frangepanus, à Rege Ludovico, ob eliberatam *Jaiczam* Titulo *Defensoris* Dal. Croat. & Sclav. insignitus.

1527. Nicolaus Jurisch, Capitaneus Regni pro parte Ferdinandi.

1529. Valentinus Teurek de Henning, & Petrus Keglevich Capitanei Regni, Regis Ferdinandi.

1534. Ludovicus Pekri. Qui supra. 1547. Lucas Szekel de Kevend, Liber Dominus in Ormosd, Consiliarius Regis, & Hæreditariarum Gentium in Regno Sclavoniæ Capitaneus.

VICEBANOS invenimus sequentes. 1518. Nicolaus Deryffij de Szerdahel, & *Emericus Bradacs* de Ladomercz Vice-Bani & Comites, ac Judlium Comitatus Crisiensis. 1520. Idem *Emericus* Sclavoniæ Vice-Banus. Michaël autem Voikovich, & Joañes *Razich* Vice-Bani Croatiæ. 1523. Paulus Kerecseni de Kanafölde Vice-Banus & Comes Crisien. 1526 Ambrosius Litteratus *Greguroczi* de Gregoriancz, Vice-Ban. Sclav. 1539. *Michael de Zomcse* Vice-Banus. 1549. Casparus Gussich de Turan, Vice-Banus & Comes Crisiensis. Stephanus Henzelffij de Petrovcz 1523. Proto-Notarius Sclavoniæ, & Regiæ Judiciariæ invenitur.

Præterea Laurentius de Villak 1522. Dux Bosniæ, & Judex Curiæ Ludovici Regis. Nicol. Comes de Frangepanibus. Bernardinus item. Christophorus Subich de Perna. Joannes Ernuszt de Csaktornya. Stephanus Blagai. Joannes Ugnodt de Zamobor. Georgius Zluny. Stephanus Giula, & Thomas Petheu, Comites Cottus Varasdinensis 1527.

NOBILIUM hæc nobis nomina sunt, ex iisdem monumentis. Nicol. Terek de Sandorfalva. Petrus Fekette de Zavovcz Judex Crisien. Petrus de Konszka. Petrus de Mariassovcz. Andreas Literatus de Marocsa. Nicol. de Pezerio. Judlium Zagr. Stephanus de Praschovcz. Christophorus Madaraß de Egyudolczi, Judl. Varasd. Petrus Literatus de Huzietheus. Thomas Heriak de Kosinsciak. Nicol. Malatinczi, Qui 1523. à Joanne Ernuszt accipit *Credentionales*. Paulus de Rattka. Joannes, filius Gregorij Nagh de Greguravcz. Blasius Litterat. de Zabok. Georgius Vragovich de Mariassovcz. Joannes Dudich de Orahovicza. Stephanus Busanich de Ratkovcz. Michaël Bedekovich de Kumur. Michaël Homszki de Zotecska. Joannes Forchich de Eadem Joannes de Thurocz. Casparus Zupchich. Georgius Hergffi de Zajezda. Joannes Horvath de Krischichi. Martinus Busanich de Vinicza, Georgius Polychanin de Zlatar. Nicolaus, Wolffgangus Fudroczi &c.

XLVI.
NICOLAUS II. OLAHUS.

MAgnum Virum, fuisse Olahum, ostendunt omnia. Si *Natales* spectas: Has ipse, describit, in *Hungaria sua* Posonij 1735. Typis data Cap. xii his verbis: *Joañis* Hunyadis Vaivodæ Transylvani, postea verò Gubernatoris Hungariæ „ tempestate, *Dragula* Vaivoda: partim interfectis, partim expulsis his, qui e *Dani* „ erant sanguine, Regnum occupaverat. *Mamzilla* ab Argyes, ex uxore *Marina*, Ejus- „ dem Joannis Vaivodæ Sorore, duo erant inter alios filii: uni nomen fuerat *Stantzul*, qui „ *Danum*, & *Petrum* filios suscepit; Alteri *Sztoiam*, hoc est *Stephanum*. Is, *me*, & Matthæum „ filios; *Ursulam*, & *Helenam* filias genuit. Potitus igitur rerum *Dragula*, Stantzulum pa- „ truum meum, insidijs interceptum, securi percussit. Stephanus verò, puer adhuc, DEO „ sibi propitio, illius evadens Tyrannidem; confugit ad *Mathiam* Regem, Qui, ut ab ip- „ somet Patre, & *Joanne Bornemisza*. ac *Ambrosio Sarkan* Comitibus in Hungaria, qui, cum „ Patre, unà sub Rege militabant, postea audivi, decreverat Eum sæpe numero, ad Reg- „ num cum exercitu reducere. Sed Pater videns rerum mutationes, quæ Imperij gratia „ illic fiunt, periculosas esse; Maluit in Transilvania, Matrem meam *Barbaram Hunzar* du- „ cere uxorem, vitámque agere privatam, quam in Tyrannide & Imperio, mille periculis „ subjecto, instar majorum suorum interfici. Prosequitur dein suorum Historiam, quam vide sis. Fundamento igitur non caret, eorum sententia, qui, Olahum, e *Principum*, sive *Vaivodarum* Valachiæ sanguine, deducunt. *Hubertus Leodius* apud *Bellium*, Olaho ita canit.

Regius Sanguis, Nicolaus ille
Noster OLAHUS reddysse fertur
Nunc Brabantinas, avibus bonis &
sanus ad urbes.

Natum (in Compendiario suæ ætatis chronico) scribit se Olahus Cibinij, Civitate Principali Saxonum Transylvaniæ, mense Ianuario Anno Domini 1493. Ad Vladislai Regis Aulam 1510. Mense Majo pervenit, & à Vladislai morte, factus est Secretarius *Georgii Zathmar* Episcopi Quinque Ecclesiensis, & Ecclesiæ Ejusdem 1518. mense Julio Canonicus. *Zathmario* dein 1521. post mortem Thomæ Bakacs de Erdödi, Strigonium translato, elevatoque, Olahus in Eadem Ecclesia, Canonicus & Archidiaconus Comaromiensis 1522.

con-

constituitur. Post mortem dein Archi-Eppi Georgii, Budæ 7. Aprilis 1524. secutam, Nicolaus Olahus Die 16. Martij Anni 1526. creatur in Secretarium & Consiliarium Ludovici Regis. Ejusdem voluntate, die 21. Martij MARIÆ Reginæ similiter. Pereunte infelici conflictu ad *Mohach* Ludovico, cum Regina Maria, Ferdinando prudenter, providéque adhæsit, & 1527. creatur *Custos*, & Canonicus Ecclesiæ *Albæ Regalis*. Proficiscitur mense Martio, cum Regina Maria constituta *Flandriæ* Gubernatore in Flandriam 1531. indeque revertitur 1539. Sed post Annum ad Reginam redit, & cum Eadem 1542. appellit in Patriam, mortuóque Simone Zagrabiensi Episcopo, *Pragæ*, Augusto Mense, à Ferdinando, Zagrabiensis Episcopus, & Hungariæ Cancellarius declaratur. Hæc, de se ipso Olahus.

Quo in litteratos cultu? Quo in litteras amore? Quave fuerit eruditione? testantur Epistolæ datæ, & receptæ, ad Viros Clarissimos, ut Stephanum *Brodericum*, Episcopum Vaciensem, natione Sclavum, Mohachianæ cladis Scriptorem accuratum, cujus tumulum Olahus, ornavit versibus, apud Timon videndis. Erasmum Rotterodanum &c. Testantur indefessa studia, ut diligentia Olahi mota Maria ipsa amarit litteras, nec *alia Lingua, nisi Latina loqui cum Olaho solitam* Petrus Nanius, scribit. Studia, Eruditionem ejus, conscripti per Eum libri, in ævum loquentur. Scripsit plura, ut Scriptorum Ejus Eruditos merito, desiderium excruciet. Profectò *Poësin* Olahi necdum vidimus, cum tamen *Elegiarum*, versuúmque Ejus, frequentius Timon, ac alii, reminiscantur. *Attilam* edidit, tanta sui commendatione, ut Petrus Nannius ita scribat: *De tuo Attila, & Hungariæ descriptione, quid sentiam sæpius litteris meis testatus sum. Cujus me judicij nunquam pœnitebit: nisi quod malignius videar, & nimis parcè, rei laudatissimæ, Laudes impertiisse. Olim Carmine testabimur, quanti mihi videare.* Hungariæ quoque *Descriptionem* conscripsit, quæ, ut supra memoravimus Posonij reimpræssa Cum *Compendiario suæ ætatis Chronico.* Descriptionis hujus, Nono capite, Sclavoniam nostram, ut alteram Hungariæ partem, describit. Epistolas quoque Ejus utinam haberemus!

Merito igitur, de Pastore tanto, gaudebat olim Zagrabiensis Ecclesia, singularíque lætitia, nuncium accepit Promoti à Ferdinando Olahi, uti Superstes testatur Olahi Epistola, qua Capitulo agit gratias. Nec fuit inane gaudium Ecclesiæ, ut infra. Istvanffius in Laudem Olahi, poëma composuit, in quo, Timone teste, reliqua inter canit:

Sed jam quingenos orbes sol aureus alto
Volvebat cœlo, & toties sua signa remensus
Attulerat longos ægris mortalibus annos &c.
Continuo Divûm templis, sacrísque regendis
Te vetus, & turrita suum Zagrabia cepit
Pontificem, ac placidam anxit prima infula frontem.

Prima ad Capitulum Epistola, qua, agit gratias, pro votis optimis, ac significata lœtitiâ, quam ex Ejus promotione habuerunt, Viennâ, 8va Septemb. 1543 aperit, se præsentem Ecclesiam curare non posse, ob occupationes publicas Regis, & Regni: munus tamen suum demandatum ipsi à Rege (nempe Cancellarij) futurum utile, Ecclesiæ, Capitulo, Patriæ. Sclavoniam & Episcopatum, tanta vastatione oppressum, luget: peccatis adscribens, pericula tamen præsentia, à DEO sperans avertenda. Suffraganeum & Episcopatus Gubernatorem constituit GEORGIUM Tompa, Quem quandoque Administratorem vocat, & Stephanum Czegledium, qui jura, œconomiam, aliáque temporalia moderabatur.

Fuit attamen, Olahum inter ac Capitulum dissensio quæpiam; causa *limitum* uti Ejus docet Epistola, quodam *Gregorio Bornemiza*, partium incentore. Sed amicè composita. Laudat, hortatúrque Capitulum, quod Castrum *Szisceg* erigere intendat, operam suam spondens, *Mater enim* inquit *Ecclesia, non nisi communi auxilio conservari potest.* Præterea securitati serviturum castrum *ad omnem ingruentis fortunæ procellam* scribit, *cogeremur equidem*, ait, *more aliarum Ecclesiarum Canonicorum, sub alienis tectis extores, molestissimam vitam agere.* Ex quo Olahi scripto, fata Cathedralium Apostolici Hungariæ Regni, ploramus. Tum cultum commendat Divinum in tantis necessitatibus, & periculis, de quo uberiora se *Paulo Zondio* Vicario suo scripsisse commemorat. Archidiaconos quoque, monet eatenus. Tandem concludens: *Si fieri poterit, proximo authumno venire Zagrabiam constitui, ubi mutuo conspectu, plura disponemus, sperans fore, ut nunquam vos, pœniteat nostri. 1544.*

Histor. Balth. Kercselich.

Quamvis autem Castrum SZISZEG, quod hodie est, superius pag. 11. Anno hoc 1544. ædificari incoatum monuerimus, placet tamen hic, quædam addere. Igitur FERDINANDO I. indulgente, ex Turcarum metu, non solùm ad prospiciendum toti Sclavoniæ verùm & Vicinis Provincijs, causa servandorum fluminum, *Savi* & *Colapis*, quæ ad *Siscium* coeunt, & ibi unus fiunt fluvius, *Savi* dehinc nomine servato. His enim occupatis à Turca fluvijs, quam Latus aperiretur Turcis campus, ad vicinas Provincias, quisquis Sclavoniam vidit, ignorare non potest. Hinc & erecto *Siscio*, Turcarum deprædationes (quas hactenus fuisse, superius suis locis recensebamus) haud leguntur, Turcarúmque studium, aut in potestatem redigendi, aut evertendi Siscij fuit, ut tot bella, ad *Siscium* gesta & infra commemoranda, facient fidem. Arci ergo exstruendæ data opera, *Emericus Rachinus* Archidiaconus Vasca & C, Zag. labori præpositus, acciti, ex Italia Murarij, & 14. Aprilis, 1544. Ex *Siscia* veteris ruderibus ac ruinis, opus inchoatum. Petro de Mediolano Magistro primo, *menstruatim* datos fuisse fl. octo, Servis ejus 4. & medius; alijs post Petrum Magistris, singulo menstruatim fl. sex, inter Ecclesiæ monumenta, notatum reperitur. Petebatur à Ferdinando subsidium, atque speciatim Sclavoniæ *Tricesima*. Sed has, ex alijs, ut dicit, Regni necessitatibus negavit, *Rescripto* suo Regio Viennâ 25. Septembris. Subditorum dein Capituli, & Ecclesiæ Zagrabiensis *contributionem*, ut vocamus, ad idem opus applicuit. Primò ad biennium, tùm ad quadriennium, Cleri item subsidia, ad Olahi preces, 1545. Vormatiâ 26. Martii pro Sisciô convertit, & 1546. Pragâ ultima Augusti, Regni hujus, ut vocamus *Dicam* contulit. Anno 1545. pridie *S. Lucæ* visitatum fuisse Castrum à BANO, Item à Gubernatore Episcopatus Zagrabiensis notatum est, & constitutum primum Castri Castellanum, JOANNEM THOMINICH.

Uti autem diligentia omni, ac viribus: à Capitulo desudatum pro erigendo quo celerius Castro; ita intellecto hoc, non minores Turcarum, ad impediendum laborem, conatus. Equidem 1544. *Velika* & *Monte Claudio* captis, ULAmanes & Malchus, ille Bosnæ, iste Herzogovinæ præfectus, Crisium, Ivanichium, ac inde Comitatum Varasdinensem, ferro ignéque vastare constituunt. Quod diviso exercitu 1545. fecerunt Pars Eorum exercitus, per Crisium profecta, depopulabatur omnia, Campúmque Varasdinensem, ut ad Konschinam, occurrerint Turcis. Banus Nicolaus Zrinius, & Georgius Wildenstein, Copiarum Stiriæ & Carinthiæ Præfectus. Ibique congredientes, amisso Equo Zrinius, Alter ab hostibus capiendus, in fossam insilijt, à Stephano Baletich nandi perito salvatus, Konschinam sese receperunt. Franciscus Tahius, Paulus Ratkay, Nicolaus Dergffij, & peditatus integer sese salvavit in montibus. Equitatus pugnabat cum Turcis strenue, & amissis equis, retrocedere coactus. Demirhamus Spanakovich, alæ unius Turcicæ præfectus occubuit, alijque ab utrinque militum, non magno tamen numero. Inde factum, ut Ulamanes *Dubiczam*, dein *Banialucam* redderet. PARS altera, partes Trans-Savanas prædari constituerat: progressu tamen caruerit; cùm nemo cujuspiam cladis reminiscatur. Ordinatam autem Ottomanici exercitus partem, ad vastandam Savanam Provinciam, ex Siscìensi Diario, inter monumenta Ecclesiæ reposito eruimus, ubi hæc notantur: *1545. In Festo SSmæ Trinitatis Nobilis Joannes Castellanus Szifzienfis, cum Pixidarijs, & alijs omnibus Szifzienfibus: arma levare valentibus, ivit ad occludenda quædam fluviola Provinciæ Thetussevina, unde insidiæ Turcicæ percurrebant, ob quod etiam feria 6. ante Nativitatem, S. Joannis Baptistæ, Canonici Zagrabienses emerunt, unam pyxidem Barbatam.* Georgius Marcellevich, in hanc rem, meminit quarundam litterarum Matthiæ *Archid. Bexin* de Dato *Gradecz*, die 5. Augusti, Quæ, quo devenerint? ignoramus: cum ille, addat *hic integra describantur*. Inducias cum Turcis sancitas, Istvanffius, Alijque narrant. Quarum causa, credibilius recesserint Turcæ. non tamen cessàrunt clades; etenim bellum (rectius tumultus) incoavit rusticum. De hoc tacet Istvanffius, sed monumenta perhibent.

In Diario Szifzienfi notatur. *Feria 5. ante Festum S. Egidij, Emericus Velikini à bello rusticorum, divertit ad Castrum.* Supersunt præterea, plura Ferdinandi mandata, quibus, tumultus isti firmantur. Ex his, sequens depromitur notitia. Nicolaus Zrinius (alter à Bano) nescitur, qua de causa, omne crudelitatis genus, in subditos, terrásque Capituli exercuit: ita enim Ferdinando supplicabat Capitulum: *Nullum* esse crudelitatis genus, „ quod non exerceret in Capitulares, rapit subditorum facultates, & imposterum rapiendas minatur, pecora abigit, frumentum oneratis animalibus aufert, vinum quod consumi non potest, dissectis vasis effundit, suppelectilem rusticam omnem tollit, tantam „ à Christiano homine crudelitatem nunquam factam, in Regno Christiani Principis, „ Fœminas & Virgines usque ad animæ exhalationem ludibrio haberi, omnia sciente Zrinio Bano, & Officiali Cæsareo jurato. Insuper apertè jactaret, nil sua interesse, si Cæsari accusabitur, supplicat igitur Capitulum, arceri Zrinium, damna solvi, poni ordinem.

„ nem, alioquin nil interest: Turca ne? an Zrinius vastet Provinciam, quæ nulli usui „ futura, nec Cœsari, nec Reipublicæ, nec Ecclesiæ. Ad has preces, jubet Ferdinandus, gentes educi Zrinij, damna persolvi, ac deinceps cessare à maleficijs. An hæc executus fuerit Zrinius ignoramus. Violentiarum autem, Prædarum, ac Tyrannidum, Ferdinandi Decreta, signatim ix. ac x. Et quidem ix. Articulis 15. Item 16. ac 17. faciunt mentionem, confirmando dicta superius. Hinc profectum credimus, bellum rusticum, cujus supra meminimus.

Reddendas Capitulo Decimas, jussisse Ferdinandum, diversa docent instrumenta. Sic: ad preces commendationémque Sclavoniæ STATUUM, ex commitijs, *festo Conversionis S. Pauli* celebratis, *ne*, ut dicunt *ministeria Divina minuantur, & defensio Castrorum finitimorum Capituli negligatur*, in Civitate *Dresda*, 3 Martij 1547. mandat Rex, Nicolao à Salmis & Neuburgh *Cubiculariorum Magistro Comiti Posoniensi, & Capitaneo Regio Generali*, ut à Bonis suis, Decimas Capitulo solvat. Similiter LUCÆ Zekell de Kevend, *L. B. in Ormosd, Exercitus Provinciarum Austriæ Hæreditario, in Regno autem Sclavoniæ Supremo Capitaneo*, à Pertinentijs Castri *Zomzedvar*, & Castelli *Alsosztubicza*. Hinc profectum, ut *Ladislaus Banffij* ex Castro *Also-Lindva*, de dato 27. Julij deprecaretur, quod homo suus, cum peccunia non venisset, Decimásque non exolvisset, *quia audiret Turcas Csasmam jam venisse*, *ideoque reddivisse præ timore*. Se tamen Varasdini, deponere illico velle. Haud steterit Epistolæ Ladislaus, cùm 1547. subscribente Olaho. *Die 15. Novemb. Augusta Vindelicorum*, tribuat Capitulo facultatem Ferdinandus, per Censuras Ecclesiasticas, ad reddendas Decimas, Ladislaum cogendi.

Quamvis autem, bellorum cum Turcis, nemo reminiscatur, quin factas cum ijs inducias art. 2. 1547. loqueretur. Bella item, cum Saxonibus, atque alijs gesta Istvanffius, suo more, accuratè describeret, hanc tamen, inter Ecclesiæ monumenta, se reperisse memoriam, notat Marcellevich. Quam verbis ejus refferimus.

„ Anno 1547 jussu CZARI, omnes Bassæ, Vaivodæ, cœterique primarij Turcæ, „ & quasi omne robur Turcarum, ex omnibus Confinijs collectum, in unam expeditio„ nem. Duce Ulama Bassa cum Bombardis, alijsque bellicis instrumentis, reliquas hujus „ Regni partes, signanter Zagrabiam & Szitszeg capere decreverant. In quo gravissimo peri„ culo, & urgentissima necessitate, cum deesset pecunia pro conservatione Castrorum fi„ nitimorum Episcopatus & Capituli, signanter *Chasmæ*, *Zagrabiæ*, & *Szitszeg*, ex Cathe„ drali Ecclesia accepta sunt. Calix aureus simul cum Patena, & quibusdam aliis, Marc. „ duarum & mediæ, ac Lott. duorum cum dimidio. Item Catenulæ Aureæ tres Calices „ Argentei cum Patenis, tres. Turibulum cum navicula, aliáque vascula argentea parva. „ Quod argentum, præsentibus Mathia Brumano Cantore, Antonio Camarcensi, Mi„ chaële Paladino Kemlek, Luca Chasmensi Archidiaconis, à Capitulo deputatis, fecit „ marcas 20. lott. 9. & medium. Ex hac pecunia conducti Haramiæ 40. ad rationem Ca„ pituli, menstruatim erga fl. duos. Decurionibus eorum 4. soluti: carpentarij Laboran„ tes in Castro Zagrabiensi, pro *Chasma*, & *Szitszeg*, uti exponitur in rationibus.

Fuerint attamen Turcarum consilia, Capitulo revelata; provisúmque rebus maturius, quæ secutæ postea. Anno 1545. dum ex anteriorum annorum calamitatibus, montes Capituli vitibus privati fuissent, Desolatas vineas excolendi, generalis sancita in Capitulo facultas, cum indultu, eas legandi, donandi, censibus tantum Capitulo servatis. Hinc *Georgius Herissinczi* Præpositus Chasmensis, Vineas in Promontorio Novævillæ, versus Medvedvar procedendo, prope fluvium *Medvednicza* & super vineam *Præposituræ B. V. M.* (rectius Abbatiæ) in monte *Hierusalem* vocato, quarum aliquæ fuissent olim Mathiæ Dobritell, *Georgij Ruth* Archid. Varasd. & *Gregorij Kopasz* Camarcensis, & una: *Plebanatus* S. Martini de *Vico Sutorum*, jam ferrè à 20. Annis desertas, excolendas suscepit. *Eodémque Anno*, Festô S. Otmari Abbatis, *Petrinensibus* indultum, ultra Castrum *Petrina*, Decimas ab iis non convehendas. Nec ullis novitatibus contra consuetudinem ac Privilegia affligendos, extra inevitabilis necessitatis casum. *Anno* autem 1548. cum PETRI Erdödi 150 circiter hospites, ex ulteriore ripa *Savi*, ad citeriorem, Capituli nempe terram, sese locavissent, non procul à Novo Castro Szitszeg, terrámque ampliorem occupâssent, admoniti authenticè fuêre, ut vel obedientiam Capitulo spondeant, vel dies inter quinque abeant. Supplicatum ab ipsis Erdœdi Officialibus, pro ejusmodi advenis, Imò *Georgius Tompa* Episcopatus Administrator, & Præpositus de Glogoncza, Eosdem commendaverat, sed evoluto mense, cum ipsi, finem adventus aperuissent, Castri nempe occupandi, loco moti & pulsi sunt. PETRO vi eos, retinere volente. Qua occasione cædes secutæ hominum. Eodem Anno *Viennâ* 24. Augusti. Subditos Capitulares omnes, ab omnibus taxis Regijs, & *extraordinariis* contributionibus, subsidijs quoque Regni Sclavoniæ, per Annos quinque immu-

immunitat. Mandat Georgio Zlunio de Frangepanibus persolvendas, à *Szenicbniak*, *Czetin*, utraque *Kladussa*, & *Korzthyna* decimas. PETRUS autem *Erdødius* pro decimis, *Jamarbarszka*, *Okicb*, & *Kravarszka* transigit, uti & *Stephanus Banffij*, pro Decimis *Alsolindva*, *Nemptbij*, & *Zala* in Archidiaconatu *Bexin*. Hæc domestica sunt. Alia, ex *Istvanffio*. Alijsque discenda.

Anno hoc eodem, 1548. ut in Chronico de quo alias memini, Olahus, Posonij 28. Novembris. ad Agriensem translatus Ecclesiam. Quod postea ibidem, 22. videlicet Decembris fuit promulgatum. An Sedem suam Zagrabiensem, unquam viderit, dubium est. Ferdinandum semper secutus, ut *instrumenta* ab Illo, utpote Cancellario, subscripta firmarent. Interim verè promissa implevit; Nunquam enim pœnituit, tanti Prælati Ecclesiam. Imò æternum sui reliquit desiderium. Affectum in Zagrabiensem Ecclesiam, non conservans solùm; Verùm *effectu*, vita Comite, in occasionibus omnibus exhibens. Ex Agriensi Sede, ad Strigoniensem elevatus 1553. die VII. Maij. Mortuus: 1568. Die 14. Januarii, cum vixisset, Annos 77. Dies quinque. Conditus *Tyrnavia*, in æde *Divi Nicolai*. Vide *Mathia Bell*, Tom. I. ac Alios.

BANUS, Nicolaus Comes Zrinius fuit. *Vice-Banos* supra retulimus. Canonicorum autem Zagrabiensium, hanc sub Olaho eruimus ex Instrumentis memoriam. *Præpositus major*. Georgius Tompa. De quo supra. *Lector* Paulus Zondi. *Cantor* Mathias Brumanus. *Custos* Georgius Maiczen de Omilie. *Præp. Chasm*. Georgius Hereffinczi. *Cathedral*. Sebastianus Kerekes. *Dubicensis* Paulus Erdœdi. *Camarcen*. Antonius, dein Michael Paladinus. *Vasca* Emericus Rachinus *Chasmensis* Lucas. *Bexin* Mathias. *Canonicos* Legimus sequentes: *Stephanus Fayerkôvi*. *Nicolaus Zlobochyni*. Michael *Gudovcz*. Georgius *Grangia* Senior, Emericus *Velikinus*, Antonius de *Bosiako*. Michael *Zaberdinus*. Stephanus *Palffy*.

Franciscum de Reva, Titulô: *Locumtenentis* & *Propalatini* Legimus.

XLVII.

PAULUS II. DE GREGORIANCZI.

Illustri Nobilique *Paulus* Familia fuit. Illustrior virtute, meritis. OLAHO datus à Ferdinando Successor. Sed quas antea Dignitates, aut quæ officia gesserit? incognitum. P. Szent Ivanius in Catalogo suo, collocat Paulum, intra Episcopos Quinque Ecclesienses, quod si ita est, Anno 1549. ad Zagrabiensem translatum fuisse Episcopatum, PAULUM credimus, licèt Olahus anno primùm 1550. Die 4. Julij confirmatus in Agriensem à Szent-Ivanio scribatur. Profectò *Paulum* inter eos fuisse oratores, Qui Art. 14. Anni 1547. ad Ferdinandum destinati fuisse indicantur, ac postea Ferdinandi nomine, ad alios Principes, demumque ad Summum Pontificem, nomine Regis & Regni, causa primùm *gratuita confirmationis Episcoporum à Sua Majestate electorum in Regno Hungaria*, cùm ob reditus ac Bona Episcopatuum imminuta; tum ad conservandas arces finitimas. Ac demum *siquidem consecratorum Episcoporum inopiâ* (sunt verba Articuli 14. Anno 1550.) *qui, vel saltem Ordines impertirent Presbyterorum, aliorùmque Ministrorum Ecclesia, mira paucitas orbitásque, in multis Regni partibus est subsecuta, atque hinc facilior pravis dogmatibus aditus fuit. 2dò Ut Regni statu diligenter exposito, & quantis in periculis laboret Hungaria* (ita Articulus 15. Anni ejusdem 1550.) *Propugnaculum Reipublica Christiana. Ad confinia tuenda, confirmandáque; subsidium aliquod studeat, porrectis humiliter nomine totius Regni precibus, à sua Sanctitate, alijsque Italia Principibus impetrare.*

PAULUM inquam credimus, horum negotiorum Oratorem fuisse. Quoniam ex Ecclesiæ Zagrabiensis monumentis, & instrumento Ejusdem *Marcellovich* ita scribit: *PAULus Episcopus Zagrabiensis expeditis feliciter Legationis sua negotijs, longis itineribus, transcursa Majori Germania & Italia parte, redijt Posonium, quamvis ex urbe directè venire Zagrabiam cogitasset, quod, nescio quare? impeditum est.* Et hoc 1550 mense Novembri, adeoque post comitia Posoniensia quæ Festo *Epiphania Domini*, conclusa fuisse *Decretum* XII perhibet.

Istud quoque immortalis Laudis, *Pauli* hujus, Episcopi, est: Quod in Compilandis *Decretis* Regúmque *Statutis*, indefesse Laboraverit. Postquam *Werbôczius* opus dictum *Tripartitale* collegisset, & *Vladislaus* Rex illud, Regia Authoritate firmâsset vota fuisse *Omnium*. ut *Decreta* Regum, in unam Decreti formam redigantur Art. 31. Anni 1504 Loquitur. Exprimit *Vota hac* clarius: Anni 1527. Art. 11. Ubi: *Ut Majestas sua, universa Decreta Pradecessorum suorum, per illos sedecim electos Jurisperitos, & alios, qui Majestati sua*

videbuntur, infra futuram Generalem Diætam emendari, emendatáque in Unum Corpus redigi faciat: Illáque, in Ipsa futura Generali Diæta, ex Consensu omnium Statuum hujus Regni, confirmet gratiosè. Urgentur hæc Art 21., Anni 1548. Incoatúmque fuisse Laborem, per destinatos ad tantum munus, Decreti XII, sive Anni 1550. Art. X. ac XI, fidem faciunt. Ad hoc ergò tantum Opus, *Paulum* Episcopum Zagrabiensem (à Rege, vel Statibus? nescimus) destinatum fuisse, ac in eo desudâsse, *Ejus docet Epistola*, Anno 1551. Die 18. Januarii, ad Capitulum Zagrabiense scripta, ubi inter reliqua: Se non post multos Menses venturum Zagrabiam significat: *Cum jam Decreta Regni Hungariæ*, inquiens, *quibus insudarem, prope finem sint, & mox, post adventum suæ Majestatis, mihi dandam abeundi facultatem sperarem.* Meminit quoque hujus, in posterioribus litteris, *Viennâ nona Septembris*, 1552 exaratis. Timon similiter, *in Epitome Chronologica Rerum Hungaricarum* ad Annum MDLII. hæc refert: *Circa hæc tempora, Franciscus Vilakius antistes Jaurinensis: Paulus Gregorianczius Præsul Zagrabiensis, & Michaël Merejus, cum pluribus aliis Jurisperitis, Regni Leges in unum volumen (quod quadripartitum Opus inscripserunt) collectas Ferdinando Regi, Viennæ exhibuerunt, cui tria Capita summè displicuerunt, cupiebatque ab illis, corrigi. &c.* Hæc sunt, Quæ, PAULUM tanto desudâsse labori probant. Testando Quis? Præsul hic fuerit? quantique habitus? cùm, & *Legationes* publicas; & rem tanti momenti, ut est *Legum examen*, perpensa ea potestate, quam, Art. 21. Anni 1548. attributam habuerunt, ut nempe *Jura Regni revideant, & si quid contra æquitatem, jùsque Divinum esse videbitur in melius reforment.*

Absolutum fuisse Opus, Articulus XXX. Anni 1563, facit indubium. Quô, precibus absolutis, *ut Leges & jura Regni Ungariæ* certum in ordinem redigantur, & reformentur in locis, & punctis necessariis, additum: *Idque ab illis, quibus hunc laborem, Sacra Majestas sua demandare dignata fuit, factum præstitúmque esse intelligunt.* Confirmatum tamen, fuisse hunc, Regia authoritate laborem, necdum eruimus. Impedimenta, an illa fuerint? quæ *Timon*, loco superius memorato, recenset: non statuimus. Credimus, nostráque opinio est. Decreta Regum, Ferdinandi Prædecessorum, Collecta, examinata, compillata, per Deputatos hos Viros, fuisse, & Vigore Articuli XI. Anni 1550, evocatos, ex Universis Comitatibus præcipuos Juris peritos, ac Regni Ordinarios Judices, Magistrósque Proto-Notarios fuisse, ac tum Regi, pro Confirmatione oblata. Si verò: ex prioribus Art. 30, Anni 1563. verbis, Ejúsque contextu contendas, hanc *Novi* hujus *Quadripartiti* trutinam, discussionémque, Anno primùm 1563, & post conditum XXX. Articulum, institutam peractámque fuisse, non disputamus. Authumamus attamen, occasione ista, *Decreta* Regum, Ferdinandi antecessorum, descripta, acceptata, *usúque perpetuo*, quin per Judicum Sententias, in Legem transivisse: ac dein Typis publicique juris effecta, per Regum Sacramenta, quæ præstare adsolerent, dum inaugurantur, & Coronantur, *Vim Legis*, omnino fuisse, esséque Sortita. Hæc nostra est, ut Superius monuimus, privata, de his Decretis opinio.

Quam dum scriberemus, Amicorum quidem, ad bonas natus litteras, earúmque Studiosissimus, ut aliquando toti Hungariæ clariturum hoc, speraremus, nobis aperuit, ex celebri loco, & privata Viri Magni unius Bibliotheca, transumptum se *Quadripartitale* hoc opus possidere. Et pro sua Nobiscum conjunctione, *Præfationis* aliqua, ac *Ejusdem* finem Communicavit. Hæc nos, Lectori Nostro exhibemus, pro tantæ Rei Cognitione, & Superius dictorum Confirmatione.

Præfatio in Quadripartitum.

„ Invictissimo ac Potentissimo PRINCIPI, ac Domino, Domino FERDINAN-„ DO, Divina favente Clementia, Romanorum, Hungariæ, Bohemiæ &c. REGI „ semper Augusto: Infanti Hispaniarum, Archi-Duci Austriæ, Burgundiæ &c. „ Principi Optimo, & Clementissimo. . *Pavlus de Gregorianez*: Divinâ Dispositione Zagrabiensis, & *Franciscus* ab *Ujlak*, Majestatis Vestræ, in Regno Hun-„ gariæ Locumtenens, Jauriensis, *Ecclesiarum Episcopi*. Michaël de Mere *Personalis* „ Præsentiæ Majestatis Vestræ, in Judiciis Locumtenens. *Gregorius Sibrik* de Szar-„ vanskend, *Consiliarii*. *Thomas de Kamaria* Vice-Judex Curiæ Regiæ, *Joannes* „ *Zomor* de Pokateleky, Director Causarum Majestatis Vestræ, ac *Martinus Bon-„ denarius*, J. U. Doctor, Præpositus Viennensis, ac ibidem Archi-Gymnasii „ Cancellarius, Suorum Servitiorum humillimam Commendationem. Inter præ-„ clara illa & eximia Platonis placita, *Serenissime Rex*, *& Domine Clementissime*, „ quæ Ipse, in Divinis Libris suis, Posteritati scriptum reliquit, scitè admodum

„ & verè dictum animadvertimus, ex variis Cœli locis vel aspectibus, diversas
„ etiam gigni Morum & Rituum temperationes, atque adeo ex diversis Syderum,
„ Corporúmque Cœlestium fluxibus inferiora hæc diversimodè affici & gubernari;
„ Id quod Carminibus retulit, JOANNES quoque ille Noster, PANNONIUS, olim
„ Quinque-Ecclesiensis Antistes dum ait:

„ Scilicet ingenio multum locus addit & aufert,
„ Inter & est sub quo Sydere Carmen eat. &c.

Discimus hinc, Viros illos, quibus Provincia examinandi *Operis* fuit Credita si non *primum*; adminus, qui Supremam manum imposuerunt. Porrò quid impediverit? Ut tanti laboris Opus, non solum non *Confirmaretur* à FERDINANDO; sed neque *Promulgatum* aut Statuum Ordinúmque Regni discussioni, subjectum fuisse, inveniatur, in fine Ejusdem Operis, ita annotatum, videre est.

„ Hoc Opus Decreti multo labore compillatum, tametsi gravi labore, diligentissi-
„ móque studio, cunctis R gni antiquis Decretis, Consvetudinibúsque & Legibus sedu-
„ lo revolutis, ruminatis per Compillatores congestum, Regi FERDINANDO exhibitum &
„ perlectum fuisset: Consilio Germanico examinandum, revidendúmque; fuit traditũ.
„ A Quo (Ipso etiam Rege FERDINANDO non sine indignatione volente) in tribus præ-
„ sertim Regni Articulis, priusquam procedat in Publicum, reformandum insinuebatur,
„ nimirum: *Quod Rex, nec jure Conveniri, nec à quopiam judicari possit:* item, Quod Filij *Re-*
„ *gum non per Electionem, sed Hæreditario Jure succedant in Regnum*: Postremò, Quod *in Solo*
„ *Regis arbitrio sit positum Capitaneos, Officiales, Copiasque suas inter Fideles suos Regnicolas tenere,*
„ *Grassantes, prædantesque quoscunque, de Maleficio coercere, punire, vel aliter de iis statuere.*
„ Ad quam Regis Postulationem, Domini P ælati *Franciscus de Ujlak*, Locumtenens Re-
„ gius, *JAURINENSIS*: *Paulus de Gregorianez* Div Dispositione *Zagrabiensis* Ecclesiarum Epi-
„ scopi, ac E Locumtenens, Consiliarii suæ Majestatis, Principaliores, Nomine etiam
„ aliorum suorum Collegarum, Operis Fabricatorum, cum omni modestia & submissione,
„ ad perscriptas Viennâ & exhibitas, respondentes Regi; Aptissimis antiquæ Consvetu-
„ dinis & Decreti authoritatibus propositis, demonstrando, & comprobando, sibi, in-
„ consvetum, ac à pristinis Legibus Regni alienum, Salva sua integritate, interferere
„ Operi non licuisse, nec licere. Hinc sese excusando, Reformationem, Deliberatio-
„ nisque totum negotium, ad STATUS Regni rejecerunt; cùm ex Publica Regni Con-
„ stitutione Opus ipsum cognoscendum fuerit, Generalibus quoque Comitiis; *Eis Propo-*
„ *situm*, reservandum Credi, dum nec aliter *Opus esse*, naturâ possit, nisi Majestas sua,
„ cum Regnicolis Fidelibus, pariter Consentientibus, desuper concluserit. Quo Con-
„ cinnatorum responso accepto, Rege etiam diffidente, posse Regni Status in suam Sen-
„ tentiam pertrahere, destitutum fuit, ut Opus in examen Publicum proferatur, Im-
„ præsensque Ejus *Perfectio* sub Silentio manet. In quo tametsi adhuc, pro Regni Pu-
„ blica Utilitate, & Juris æquitate, aut addendum, minuendúmve, vel emendandum
„ foret aliquid, dolendum tamen: quod tantus Bonorum Virorum, Jurisperitorum, &
„ Legum Patriæ peritissimorum Labor, perpetuo sit suppressus. Hæc addita, an ita sint? non statuimus. Jam felicitate magna Regnum Hæreditarium effectum est, de quo, & aliis, Superioribus Postulatis, *Novellares* Articuli consulendi, videndi. Ut expletis jam Ferdinandi Votis, Opus illud, si non *Publicari*, adminus *examinari*, & Typis dari, fors posset. Ac de his, & Historicè duntaxat, hactenus; sine eo potissimùm, quia in pluribus Articulis, Operis hujus mentio comperiretur.

Anno 1553, Quô, OLAHUS *Strigoniensis*, Vilakius *Agriensis*, fuerant declarati, Gregoriancius quoque, ad *Jaurinensem* Ecclesiam transfertur. (assecutus postea, uti publica instrumenta perhiberent) etiam *Archi-Episcopi Colocensis* Dignitatem, retenta Jaurinensis Ecclesiæ gubernatione. In Confirmatione etenim Litterarum Ferdinandi, facta à MAXIMILIANO II, de Dato Viennâ 14. Septembris Anni 1565. Legitur: *Paulo de Gregorianez Electo Colocensi & Jaurinensi* &c.) Ob Ejus ex Publicis negotiis absentiam *Georgius Tompa* Præpositus Eccl. Zagrab. egit Gubernatorem. In hujus favorem, ratione 4tæ *de Gradecz* vehementiores Litteras, dedit ad Capitulum Paulus Posonió, 7mâ Novemb. 1550. *Sebastianum Kerekes* Archi-Diaconum Cathedralem, à *Latere Canonicum* tenuit, cúmque Canonicorum quidam, de *Archi-Diaconi* absentia Lamentaretur, re ad Episcopum delata, *scire se omnia* scribit, *quæ singuli, ac in particulari loquerentur, respectum tamen habere illos debere Cathedralis, ad Latus ipsius existentis, cum duos etiam Canonicorum Episcopo habere li-*
ceret.

ceret. Cum Camarcensi quoque Archi-Diacono, Anno 1551. quædam Capitulo fuerint dissidia, ita enim, Posonió scribit Episcopus: *De Camarcensi needum satis deliberavi quid agendum, qui spontanea resignatione tantum conflavit negotium, ut integrum fieri non possit: & alioquin desidero Capituli existimationem illibatam & inconcussam.* Reliquorum jam, antequam ad Successorem Episcopum descendamus, mentionem faciamus.

Tribus primis hujus Episcopi Annis, *in jus* vocatos à Capitulo plerósque, Monumenta perhibent. Sic, *Sabbato infra festum Corporis Christi*, Nobilis Stephanus Mikulich, dictus da *Brokunovcz*, Nomine suo, & Elizabethæ Consortis, filiæ Nobilis Catharinæ Palisna à *Præbendariorum Collegio*, ratione Decimarum de Morocsa & Brokunovecz. Petrus Erdődius à Capitulo, Franciscus item Keglevich Abbas de Topuszka, Petri filius, causà tantarum Violentiarum, Capitulo illatarum, in Possessionibus Capituli, *Vlahovich*, *Bernovcz*, *Graaczii*, *Budrovcz*, *Goricza*. Franciscum violentum fuisse, indicat satis Articulus 71. Anni 1550. Sed & alia, de quibus suis locis.

Antea *Abbatia* hæc, vocata fuit de *Toplica*, quousque à PP. Ordinis *Cisterciensis* (ab Andrea II. fundata Anno 1211.) possideretur. Patribus autem inde recedentibus, de *Topuszka* appellari incepit. Francisco Keglevich à Ferdinando I, collata fuerat, lege ea, ut eam restauret, habitum Religionis assumendo. Hoc mandata Ferdinandi testantur, de quibus in successore Episcopo. Similiter, *Abbatia* fuit B. V. M. de Campo Zagrabiensi, Quam ab Anno 1503. (vide supra Pag. 205. *Præposituram* vocamus, ex indultu Papæ Julii. Hæc monere voluimus, ne putet Lector, diversas fuisse has dignitates, & *Abbatiam*, à *Præpositura*, dum idem sint, distinctas. Equidem *Cistercienses* Abbatem & Abbatiam vocabant; *Clerus*, Præpositum, ac inde Præposituram.

Anno 1550, Postquam Capitulum considerata Regni per Turcas desolatione, matura superinde omnium Regnicolarum deliberatione præhabita, ut Reipublicæ consuleret, Castrum *Szifszek*, magnis sumptibus, & subditorum fatigiis erexisset, pro ejusdem Castri conservatione, subditos suos, qui antea præstabant *araturas*, ab his eliberat, nova cum illis pacta ineundo. Itaque obligaverant sese Silcienses, annis singulis daturos Capitulo, à *fumis* singulis, *quartam* unam, purgati millij, Item à singulis Sessionibus integris (120. numerabantur) ad Festum S. Martini, tritici purgati *Quartam Unam*. Ab omnibus præterea terris extirpatitiis, Decimam in natura, à Vineis Decimam, ac insuper à metis Vinnearum singulis, Cubulum medium. Hæc tamen tunc inita pacta, ob secutam Sisciensium (suo loco refferetur) rebellionem, mutata sunt. *Consvetudo illa*, in locis quibusdam, præstandi à *quavis meta Vinea*, Cubuli, quod *memo* alicubi *Meno vedro* apellant, perantiqua esse, hinc eruitur. Causa hujus erat, ut in suis metis, Vinearum cultores, à Dominis protegerentur.

Superioribus his Annis, Civitatem Regiam, *Montis Græcensis Zagr biensis* (quæ à Zapollianis affligebatur, & non exiguas acceperat ruinas) Ferdinandi jussu & facultate, quia *Tricesimarum* succursu, reparatam, muris politis, & novis tribus propugnaculis exstructis, ad portam nempe majorem quamvis; non solum monumenta, & MSS. sed 1550 Articulus 71. testatur his verbis: *Ijdem etiam Comissarii; ædificia Civitatis Montis Græcensis, & expensas per Cives ad ea factas, diligenter revideant, & rationem ab eis de Tricesimis, annuente Majestate sua, ad id perceptis, accipiant.* Quo eodem Anno, *ad revisionem metarum & Limitum Regni*, ordinatam Commissionem ex Decreti XII. Regis Ferdinandi, Articulis: discimus: *Et Commissionem* processisse, ex Litteris Eorum, Anno 1551. *Zagrabiæ* datis, Communitati Nobilium Prædialium Abbatiæ de Topuszka, Georgius Marcellevich, ex Ecclesiæ monumentis notat. Adjungens: *Comissarii* Regii erant Mathias *Zaberdinus*, Episcopus Tininiensis; Georgius *Hereffinczi*, Præpositus Chasmensis, Michael *de Raven*, Tabulæ Judiciariæ Regiæ, & Regni Sclavoniæ Protonotarius. Alios, vel non descripsit ex instrumento; vel omnes non adfuerint, qui Art. 44. Anni 1550. pro Sclavoniæ Commissarijs, nominantur. Acta Commissionis hujus, An? ac ubi sint; ad nos non pervenit. Ex Art. 34. Anni 1552. apparet, Ferdinando submissa fuisse.

Bellorum quæ his Annis, præcipue cum Turcis, & attrociora quidem, 1552 potissimum Anno, nullam facimus mentionem: Quod hæc Istvanffius, suo more accuratè describat. Hoc vel sequenti Anno 1553. videlicet, *Chasma*, aliaque in Sclavonia loca, per Turcas desolata fuerint, esse dubium pag. 63. monuimus. Nos sequemur Istvanffium, cum *Antonij Vramecz* careamus Historia, nec hactenus ex monumentis Ecclesiæ, eruimus aliud: ac Pauli Episcopi Zagrabiensis, 1552 scriptam Viennâ Die nona Septembris Epistolam, quâ, Majorem sibi esse dolorem *propter Canonicos*, quàm suimetipsius periculum significat; cùm ipse, pro sua conditione securam haberet sustentationem. *Suam Majestatem*, ædificijs amplioribus, alijsque omnibus necessarijs, Castrum Szifszeg, tanquam unicum præsidium, muni-

munire constituisse: atque Capitulo, omnis generis daturam auxilium. Itaque maturè perscribendas necessitates esse. Proposuisse etiam, Majestatem suam, Arcem Episcopalem, Zagrabiensem, ita munire, ut nullas vires Turcicas timeat. Qua ex Epistola, metum Turcarum majorem fuisse, observamus, sed an *Chasma*, Ivanichium, aliaque loca, hoc eo em anno, per ipsos desolata sint, fundamentum constituendi, non præbet. Dolet quidem PAULUS *propter Canonicos*; at quos intelligat? *Chasmenses*, Zagrabiam profugos videlicet: aut utriusque Capituli, desolationem, incertum.

XLIIX.
WOLFFGANGUS GIULAY.

LUpum *Giulanum*, vocat Istvanffius: quod Sclavis nostris, *Wolffgangus*, esset *Vuk*, & Wolffgangos, *Vuk* compellarent; Vox autem *Vuk* significaret *Lupum*. Alij hujus, diversè agnomen exprimunt; Legitur enim, Gyulas, item Giula. Verùm sub- scriptiones manu sua factæ, *Wolffgangum Giulay* legendum evincunt. Hæc monemus ideo, ne aut nos neglexisse arguamur aliquem; aut ab hoc, alter fuisse credatur, ex diversa, variáque nominis Ejus lectione. Illustris Giulayorum, florensque fuit Familia, ut dicturi alibi, & *memoriæ* superiores nostræ, docerent. Quis ante summum Sacerdotium fuerit Wolffgangus? incertum est Probatæ fidei, Prudentiæ, fortitudinis, atque invicti animi, Virum fuisse, inde convincimur; quod in tantis calamitatibus positam Ecclesiam, gubernandam susceperit. Anno igitur 1553. Die VII. Maij, nominatus Pauli Episcopi, in Ecclesia Zagrabiensi Successor, providendam suscepit Ecclesiam, Anno primum sequente 1554. una cum alijs à Ferdinando promotis Episcopis, *Confirmationem* Romà accepit Unde profectum est: ut ad Annum 1554. initia Episcopatus Wolffgangi, in aliquibus *Catalogis* legantur, prouti similiter *Translationes* superius recensitæ aliorum Episcoporum. P. MARtinus Szet-Ivanius, in suo Episcoporum Zagrabiensium Cathalogo (fide instrumentorum Ecclesiæ Zagrabiensis, quin & Istvanffij) male Wolffgangum hunc, *Gregorianczio* antepo- suit.

Desolationis vastitatisque per Turcas factæ temporibus, Ecclesiæ huic, Wolffgangus Antistes obtigit. Enimvero Bosnensis Provinciæ Præfectus Ulamanes, à Monacho è *Lippa* antea dimissus, adscitis sibi, Vicinis Præfectis, Varasdinensem agrum, incensis ubique Pagis, hominum milibus in servitutem abductis, cædibus, rapinis, barbarie summa, ubique relicta, depopulatus est. A Bano Nicolao Comite ZRINIO, & LUCA Siculo Copiarum Stiriacarum Præfecto, intra Crisium & Kalnik (*Istvanffius Camnicum* posuit) repulsus est, Captivorum multis eliberatis, & Filio suo *Giaffero* amisso. In redditu tamen

CSASMAM obsidet, & improvisam reperiens (cum à 20. solum militibus custodita scribatur) eam capit. Antea jam, Zagrabiam: Csasmense Capitulum sese receperat, antea spoliatum, rebúsque omnibus orbatum fuerat, Neque fatum istud Turca attulit Chasmensibus Canonicis & Ecclesiæ, at SIMONIS Episcopi temporibus, dum res Ferdinandum inter, & Zapollianos ageretur, Vetus illa, celebrisque Chasmensis Ecclesia, fata sua experta est. Docet istud, *Inquisitio* contra Spoliatores facta, ex qua, loqui tempus cum impediat, missam facimus. Chasmâ, Veroczam; Ulamanes profectus est (cremato spoliatóque Episcopali Oppido Dombra quod pertransijt, & quod *Fundationale* Episcoporum esse supra docuimus) quæ eidem se dedidit, Georgio Brodianich Capronczam sese recipiente, ac in deditionis pœnam interfecto, Lucæ Siculi sententiâ. *Vide Istvanff.* Quibus rebus ut mederentur.

PETRUS Erdödius, Capitulum quoque Zagrabiense, Georgius item Comes Zlunius collatis consilijs, amicis, subditisque suis congregatis, Ductore Zlunio & Marco Tomassevich (quem ejurato Mahumete, Christianum recens factum legimus) Gradiscam, & Velikam Arces improvisa irruptione diripiunt, magnáquè Cæde Turcarum edita, & rerum omnis generis hominúmque & pecorum præda abacta, succenderunt & concremârunt. Qua re, Turcarum sævitiem in Partibus nostris stiterunt. Redux Zlunius, in porta Arcis suæ *Szteniebniak* ictus fulmine, obijt. Reliqua ex *Istvanffio* postulanda.

Præmissa ad Annum 1553. collocantur. Et licèt ob missos ad Solymanum Legatos, induciæ adminus sperarentur, attamen Annis subsequis majora bella gesta sunt, de quibus *Istvanff.* Alijque ex Instituto & diffussius. Anno præcipue 1556. quo celebris illa SZIGETI obsidio accidit. Ad Baboczium sive Baboczam, atrox prælium, Turcis, in fugam conjectis, Quæ, postea per Ferdinandum Archiducem crematâ, & sulphureo pulvere disjecta, deso-

desolata est. *Corana* verò vi capta. Anno autem 1557. his in partibus Sclavoniæ & Croatiæ: majores cum Turcis intercesserunt motus. NICOLAO Zrinio spontè Banatus officium resignante, improvisè à Turcis COSTANICZA occupatur. Præerat loco, Simon Laftoher, qui ad Arcem Sztenichniak, *Balthasaris*, tunc *Zaberdini*, ad nuptias evocatus concesserat, cum plerisque suorum centurionum. Quo absente, noctu Turcæ Arcem capiunt, intus repertos trucidant: & paulo post, Regionem omnem, quæ inter VUNNAM & COLAPIM fluvios sita est, devastant, spoliant, ac in nècdum reparatam solitudinem redigunt. Hac sane occasione tot Castra, tótve Arces desolatæ, etiamnum squallent, uti, *Komogovina*, *Vinodol*, *S. Clementis*, *Hrasztovicza*, *Pecskij*, *Gorre*, *Gradecz* &c. SIMON Proditionis reus, omnino est habitus, ac de consilio cum centurionibus quod ad nuptias abierit creditum. Licèt autem, intellecto Turcarum adventu, confestim ex Sztenichniak, ipsis occursurus abivisset: cùm tamen à Lenkovichio Supremo Regni Capitaneo, in quæstionem, causâ proditionis vocaretur, non comparuit, imo ad hostes transfugit, culpæ suæ magnum relinquens præjudicium.

Interea PETUS Erdëdius datus in BANATU Nicolao Zrinio Successor, Alijm quoque Præfectus Turcarum Bosnensium, Bizantium discessit, cui in officio succedit FERHATES. Hic collectis e Bosnia alijsque finibus, quinque circiter milibus armatorum, Savum trajicit totámque planitiem quæ intra IVANICHIUM & ZAGRABIAM protenditur, vastat, populatur, multósque mortalium partim occidit, partim captivos, servosque abducit. Occurit Ferhati Lenkovichius, cum Joanne ALAPO alijsque ad vicum *S. Helenæ* prope inferiorem Zelinam, ubi pugnatum acriter, cadente Simano Ferhatis Legato, aliis in fugam versis, cæsis, præda omni, & captivis eliberatis. *Ferhates* ipse, accepto vulnere ægrè evasit, suarum copiarum amplius dimidia parte amissa. Quas nostri cædendo & vulnerando ad *Savum* prosecuti. Savus quoque desperatè tranantes, magno numero absorbuit.

Ex his quæ tempora? Pontificatus Wolffgango Giulay obtigerint, vides Lector. Superius Pag. 63. quædam retulimus, quæ videsis. Desolationem Episcopatus sui, Venerabilis Vir videre debuit, Bonorum item Episcopalium. Nihil tamen neglexit eorum, quæ calamitati tantorum temporum, opportuna videbantur. Hactenus bellorum meminimus, nunc quæ ex instrumentis reliqua eruimus. Igitur Antistitis hujus temporibus.

imò in Anno 1553. FERDINANDUS Rex, metuens nedum Sclavoniæ, sed vicinis quoque Provinciis à Turcarum excursionibus ruinam imminere, præcipue si Castrum SZISZEG sive *Siscia* ab ijsdem occuparetur, mandat itaque Nicolao ZRINIO *Bano* & JOANNI UNGNAD Lib. Baroni in Sonneg Capitaneo Stiriæ, Vice Domino Ciliæ, & Supremo Capitaneo Gentium Cæsareorum in Confinijs Croatiæ & Sclavoniæ, ut pro securitate Loci, Capitaneum & gentes aliquas necessario numero in Præsidium, ad Arcem immitat. Quod & Capitulo significat, mandans: ut immissis victualia pro precio suppeditet: In ijs quæ loci custodiam requirunt, Præfecto misso, omnes obediant; ne alias, cum Arcis & Regni vicinarúmque Provinciarum periculo, in defensione confusio aliqua oriatur. Præsidiarios habere in mandatis, ne se in redditus & Bona Arcis, ulla ratione ingerant: Et dum necessarij non fuerint, Arcem Capitulo restituendam spondet FERDinandus, Litteris suis Viennâ, Die 15 Julij. Fuêre autem in Præsidijs omnibus Præsidiarij Ferdinandi milites, uti Costaniczæ, cujus casum superius retulimus Hrasztoviczæ &c. Una cum Canonico mansit Capitaneus. Volente ita, Ipso Nicolao Zrinio Bano, Quod & postea observatum perpetuo, uti inferius commemoraturi. Ut hinc Canonico ibidem Præfecto, Capitanei nomen remanserit.

Anno autem 1554. Die 25. Januarii Vienna FERdinandus Petro Keglevich, Patentibus ut vocamus litteris obijcit. Quod quamvis ad Intercessionem MAXImiliani filij sui, & supplicationem Dominorum multorum, gratiam pro ejus excessibus fecisset, Lege ea, ut certas *Reversales* litteras, quarum formulam recepisset, remitteret, utvé suum filium Franciscum Keglevich, cujus nomine Abbatiam Topuszka & nunc possideret, Sacris curaret initiari ordinibus, & Monasticum induere habitum, Ecclesiæque illius vacare muneri, ac personaliter Ipsi Ferdinando præsentare. Post plures tamen ad id præfixos terminos, etiam postremum, qui fuit, sacra Dies *Epiphaniæ Domini*, quô differentiæ intra eum, & Prædiales Topuszkenses definiendæ erant, neglexisse. Itaque ex superabundanti tres hebdomadas, pro omnibus his præfigit. Ad quem si non obediverit, minatur se, in eum, tanquam rebellem processurum, Abbatiámque Topuszkensem alteri collaturum.

Profecto gravis violénsque, Episcopo & Capitulo, fuit hic Abbas Franciscus, & quamvis 1555. coram Nicolao Zrinio Bano, totáque *Banali Tabula* cum Capitulo transegisset, confectis superinde litteris fer. 4. post Dominicam *Cantate*; attamen sequenti statim An-

no, idem Abbas fuit evocatus, ratione *noviter* commissorum actuum, & quidem graviorum quos omittimus.

Anno Eodem 1555. feria 2da post Epiphaniam Regnum Sclavoniæ, ex Generali Congregatione sua *VINICZÆ* celebrata, Capitulo significat: conclusum esse: Ut Decimæ Capitulares per Vice-Comites, & Judlium, à solvere recusantibus, per solita birsagia, & vadiationes eo modo, quo Contributiones Regni, exigantur deinceps in perpetuum; eò: quia Capitulum Decimas errogaret, ad conservationem Arcis *SZISZEG* pro Communi Regni salute ædificatæ, aliorúmque finitimorum Castrorum, ac alias in præsentibus calamitatibus, Regni necessitates. Mandat proinde omnibus Vice-Comitibus & Judlium, qui ad id requirentur, ut mox post Festum Purificationis B. V. M. terminum nempe solutionis Decimarum, exeant.

Sabbatho post Festum S Martini PEtrus Erdődius Præposito Chasmensi & Canonico Zagrab. Georgio Heressinczy, pro variis ipsius servitijs, signanter *circa novam occupationem Arcis Czaszarvar* & pro summa Hungar. 480 pro redemptione Annæ filiæ suæ, & pro Equo valoris aureorum Hungar 50 integram possessionem *Keresztinecz* donat coram Capitulo Zagrabiensi Quæ hæc fuerit *Nova* Arcis Czaszarvar *occupatio?* Et ex cujus captivitate? Annæ redemptio, eruere nil valuimus

De Anno 1557. Præter complures in merito Decimarum Contractus, ac novas iterum Francisci Keglevich Abbatis injurias, nil notari invenimus, ob bella indubiè superiùs recensita, nisi Philippi Melanchtonis, Argentoratô Die S. Jacobi Commendatorias cujusdam Illirici JOANNIS Drugnicij Litteras, quibus scribit: Joannem modestè vixisse apud ipsum, & nunc reddire in Illyricum Patriam suam, ut intelligeret à Turcis invasam, ubi Lingva Ejus intelligi poterit, cùm Joannes servire Ecclesiæ DEI cuperet.

Anno autem 1558. Episcopum Giulay, pia sanctorúmque morte susceptis devotè Sacramentis mortuum constat, sed quo die? Mense? hæc ejus è mundana miseria translatio facta sit, notatum non reperimus. Sepultus in Cathedrali hac Ecclesia est. Successorem, uti ab OLAHO petijt, nactus ad vota. Qui & fuit.

XLIX.
MATHIAS BRUMANUS

EX Ecclesiæ Zagrabiensis Canonico, gestísque in Capitulo diversis honoribus (cùm ut Superiores testantur memoriæ, fuerit Archidiaconus *Rexin*, & ab Anno 1540. *Cantor*, ac demùm *Præpositus Major*) Episcopatum Zagrabiensem Anno 1558. consecutus est. Eodem equidem Anno, in binis FERDINANDI Litteris *Mathia Brumano* Electo Zagrabiensi est legere. Et cum Priores sint de Dato, 19. Junij, ante mensem Junium Brumanus Electus nominatúsque fuerit Episcopus Hoc, vel sequenti Anno *confirmatus* sit? dubium est. Novembri certùm mense, Anni 1558. cum addito *Electus* Legitur.

Strenuum se, jurium Ecclesiæ defensorem, ac providum Zelatorem illico ac nominatus fuisset, exhibuit. Constituerant in Generali Sua Congregatione, Regni Sclavoniæ STATUS, ut Ecclesiæ hujus Subditi (Capitulares videlicet cum Episcopalibus) in medium Eorum contribuant. At Brumanus impetrat á D. Ferdinando, ad Petrum Erdődium Banum. & Ambrosium Litteratum de Gregorianczi Vice-Banum mandata & litteras, quibus jubet Rex, ut Ecclesiam Zagrabiensem protegant, cum Statibus Regni Sclavoniæ ignotum esse non possit, Ecclesiam Zagrabiensem in conservatione Castrorum finitimorum sumptibus propriis, ac suorum Subditorum immolatione plurimùm intendere, imo apud Regem, impensis suis, Regni negotia agere. Post quæ mandata, adjecit Ferdinandus, Vienna Die 2. Septembris 1558 Confirmationem Privilegij, Ludovici Regis, Sororij ut ait sui, *Super exemptione, Subditorum Ecclesiæ Zagrabiensis, à Regnicolarum contributione.* Nicolao Olaho Cancellario, & Archi-Episcopo Strigoniensi, Paulo de Gregoriancz Jaurinensi, Georgio Draskovich Quinque Ecclesiensi, Mathia Brumano Electo Zagrabiensi Episcopis.

Alterum Mathiæ Brumani, immortale solicitudinis factum, initio consecuti Episcopatus, erat Abbatiæ B. V. M. *olim de Toplicza*, nunc jam *Topuszka* à Ferdinando Rege, pro se, suisque Successoribus Impetratio. Post Abbatum ex ordine Cisterciensium abitum, uti ex Superioribus liquet, Franciscus Keglevich, Abbatiam illam tenuit. Instrumenta innumera, Virum insolentem, violentum, Ipsi Regi inobedientem, loquuntur. Anno

1557.

1557. ab Olaho, evocatus fuerat ad Provinciale Concilium (de quibus vide Petterffium) & per procuratores comparens, terminum alium impetraverat, sed hunc an neglexerit; ut per sententiam Beneficio privaretur, aut, fatis naturæ cesserit? nobis incertum est. Certum autem indubitatúmque Brumanum Episcopum 1558. Abbatiam obtinuisse, ac ita quidem, ut in *perpetuum* Episcopatui uniretur, ac *Unita* haberetur. Acceptante & confirmante per Bulã suam hanc unionẽ PAULO IV. Romano, Pontifice; quemadmodum nos ipsi Pontificis Bulam vidimus, Legimus. Hinc à Brumano Eppi Zagrabienses omnes, Abbatiam hanc tenuerunt, & *Abbates B. V. M. de Topuszka inscribuntur* Servant, uti olim, ex Andreæ II. Ejusdem Abbatiæ Fundatoris, Privilegiis servabant Cistercienses, *Curialem Comitem*, Qui (ob exemptionem Subditorum, à Judiciis Comitatûs) justitiam administrat, salva ad Regem Appellatione.

Obtenta, uti præmissum, à Brumano Episcopo Abbatia, mandatum Ferdinandi, de Dato 19. Junij 1558. Viennâ, ad Mathiam, Petrum & Simonem Keglevich impetrat. Quod ipsis Dominica post *Octavam* Visitationis B. V. M. in Castro *Kozul*, Residentia videlicet Ipsorum, per fidei dignitatem capitularem fuit redditum. Ad quod responderunt: Primo, se obedire Regi. 2*dò*. Cum ab Episcopo Zagrabiensi, expositum suæ Majestati fuisset, per Ipsos, Arces ad Abbatiam Topuszkensem pertinentes, integrè spoliatas esse, victualibus, inventario, Bombardis ac instrumentis ferreis evacuatas: Litteralia item omnia monumenta ablata, ac Librum quendam Decretorum, ab Eandem Abbatiam pertinentem: ab ipsis detineri. Promiserunt: *Inventarium*, quamprimum Episcopus à sua Majestate reddiverit, se adimpleturos: Si verò è pulveribus, aut bellicis instrumentis deesset aliquid, aut ipse Episcopus exigat rationem ab iis, quibus, sine Bellica licentia Arx resignata est, qui Episcopales fuêre officiales, aut rationem exigendi tradat, admonitis. Bombardas, antequam ipsorum genitor Petrus olim Keglevich, jussu Majestatis Suæ, Castrum sive Arcem Toplicensem oppugnâsset, nullas ibi fuisse, excepto unico mortario, tunc disrupto, antequam genitor Arcem occupasset, Decretorum Librum, tametsi sumptibus Petri Keglevich aquisitum, jam ante præsens Suæ Majestatis mandatum LUCÆ Lectori, & Vicario Generali, ac uni, ex Commissariis Suæ Majestatis restitutum esse. Privilegia si quæ sunt, aut Instrumenta litteraria ad eandem Abbatiam pertinentia, omnino revisuros. Supplicabant insuper, ut debita Francisci Keglevich fratris Ipsorum, exigere liceat. Hæc, in suis MSS. *Marcellevich*.

Condiscimus quoque ex quarundam *Metalium* instrumento, in more fuisse his temporibus, ut *vitrum vini rubri* terræ infoderetur, sic enim legimus: *Penes quam viam est inventa antiqua meta terrea, ac penes eam denuo nova meta est erecta, ac vitrum vini rubri locatum, ac in eandem terram, pro more positum* Quod refferre voluimus, tum ad veterum cognoscendas consuetudines; cùm si quispiam tale vitrum repererit, ne credat aut gentilitatis sepulchra, aut superstitionem quampiam Anno 1561. 28. Martii Vienâ à taxis omnibus, etiam extraordinariis Regi, vel Cameræ Ejus debitis, subditi Capitulares, ob Arcis Sziszeg curam, ad sexenium, gratiâ Regis immunitantur. Cum Bano Petro Erdödio, fuêre Capitulo diversæ lites, ratione metarum, & quarundam violentiarum, quæ, cum nihil contineant, relinquuntur.

1558 Die 24. Februarii CAROLUS V. Imperio se abdicans, XI Kalend. Octobris ex hac vita migravit. Et post unam hebdomadam MARIA Belgarum moderatrix. Quid Turcæ ad Tatam egerint? Quæ item in Transylvania, acta? Videndus Istvanffius. Anno 1560. induciæ cum Turcis constitutæ. Ex pruinis ad nonas Maij cadentibus, Anni proventus sterilitas, in vino præcipue. Oratores ad Tridentinum 1561. in Synodo electi, Joannes Kolosvarinus designatus Chanadiensis *ex Ordine Dominicanorum*, & Andreas Dudich, dictus Shardellatus Tininiensis Episcopus de Orahovicza Qui sequenti Anno Tridentum appulerunt. Dudichius VIII Idus Aprilis, elegantissimam dixit Orationem. Videndus Timon. Kolosvarinus 24. Novembris obijt. Interfuit eidem Concilio Episcopus Segniensis, Ordinis Minorum de Observantia, Georgius Zifkovich, (qui in actis malè scribitur Zifchovid) sed quo titulo? ignoramus.

PAULUS Ritter ad Annum 1562. notat: Arcem Zriniorum Vranograc hoc Anno à Turcis occupatam, & à Rosegano Præfecto, depopulatam fuisse Sclavoniam. Qui tamen amisso exercitu, vix vitam salvâsset. Thomas de Nadásd Palatinus, hoc Anno mortuus, cujus virtutes describunt Istvanff. & Jongelinus. MAXImilianus in Regem Bohemiæ coronatur XV. vel ut alij VI. Kalend. Octobris. Et Francofurtum profectus, 24. Novembris in Regem Romanorum eligitur, & Die 30. præsente etiam Ibraimo Legato Turcico, coronatur. Pestilentiam quoque grassatam per Hungariam fuisse, notari comperimus. Reliqua, ex Istvanffio discenda. *Decreta* similiter Ferdinandi, *in Corpore Juris* contenta, legi possunt, etiam ad Historiæ cognitionem.

Indicta fuêre, totius Coronæ, ad Festum D Regis Stephani pro Maximiliani coronatione, publica comitia Anno 1563. Quæ & celebrata sunt, & Maximilianus coronatus, describente ista, accuratè Istvanffio. Ad hæc MATHIAS quoque Brumanus, dum se disponeret, infirmatur, nec Pharmacis juvari potens, tandem Eodem hoc Anno 1563. Die 18. Augusti illucescente aurora moritur. Constitudi illico vigiles. Ipsius exanime corpus in Cathedrali delatum ad tumulum. In diversis apud subditos instrumentis, quæ confirmaverat, subscriptum vidimus. Observantes: Joanne ZANDINO Canonico Zagrabisi, usum fuisse plurimum, huncque *à Secretis* Brumano fuisse Possessio Colonorum Opathychinecz, ad Ivanich spectans, hodie Opatinecz. Litteras à Brumano impetravit, super obligationibus suis, uti & Biskupecz ad Varasdinū. Ex his colligimus, in Año 1562. *Judicia* eum *Generalia* celebrâsse Zagrabiæ. Et excursionum Turcicarum meminit, dum refferet: anteriores à Simone Episcopo datas literas, eos perdidisse, *propter incautam* (sunt verba instrumenti) *earundem conservationem; & immanissimorum hostium Christiani nominis creberrimos insultus.*

SUB Tribus his Episcopis, hanc eruimus, Virorum memoriam: omissis ijs, quorum Istvanffius meminit.

Memoria Canonicorum Ecclesiæ Zagrabiensis.

Præpos Major. Mathias Brumanus. dein Paulus Zondi. *Lector* post Zondium, Lucas ex Archidiacono Chasmensi, Vir insignis, & à scientia juris clarus, perhibente Art. 44. 1550 quò supplet munus Directoris causarum Regalium. *Cantor* post Brumanum, quidam Benedictus. *Custos*: Emericus, hoc 1560. decedente, Georgius Heressinczi ex Præposito Chasmensi. *Præpositus Chasmensis* mox factus Georg. Heressinczi *Dubicensis* invenitur Thomas de Thopolya, & post hunc Thomas Dyanvary. *Kemlek* Emericus Velikinus. *Chasmensis.* Lucas, dein, Thomas Dombrensis. Archidiaconos alios desideramus, prouti & Canonicos, sequentibus exceptis. *Stephanus* de Szentgyerghvara. *Joannes* Zondinus. *Nicolaus* Zelniczey. *Petrus* Heressinczi. olim Provisor Castelli Zilnicze. *Nicolaus* Pisinus. *Antonius* Vramecz. *Georgius* Wyrflel. &c. . . . Zaberdinus Episcopus Tininiensis, suprafatus Thomas de Thopolya, Præpositus B. V. M. de Campo Zagrabiensi. Franciscus Custos Chasmensis.

Nicolaus Comes à Zrinio, Prioratus Auranæ Gubernator, Dal. Croat & Sclav: *Banus* ad Annum 1557. Quô, sponte resignato, Magister Tavernicorum Regalium factus, & Partium Cis-Danubianarum, ac Sigethanæ Arcis Præfectus. Vir summi encomij, immortali memoria *Sigethanus* passim dictus; ac omnium literis celebratus. De quo videndi Scriptores, & nos in Civili Historia, dignam Hæroe tanto, mentionem facturi. Innumeris clarus victorijs, vitam mortalem posuit 1566. Successit Zrinio. Anno, quo is resignaverat PETRUS Erdödius de Monyorökerek.

VICE-BANUS. Ambrosius Litteratus de Gregorianczi, Supremus Comes Comitatuum Zagrabiensis & Crisiensis. *Protonotarius* in Anno 1555. invenitur Michael Miletiacz.

Nobiles, sequentes nominari reperimus. Joannes Alap de Nagykemlek. Petrus Sarchich de Grancha. Joannes Bozna de Hrelich. Franciscus Merniavchich, Franio dictus. Michael Forgach de Repincz. Judlium Cottus Crisien. Stephanus Homzky de Hom Judl. Cott Zagr Philippus Horvath de Klokocs Judl. Zagr. Mathias Litteratus Zermegh de Bonthussovcz. Michael Tomazovich. Laurentius Litteratus Palffiy de Capolna. Stephanus Litteratus de Feyerkeu. Paulus de Ratka Vice Comes Varasd. Petrus Kercsevacsky de Grachenicza. Balthasar Barberio Balthasar Szíszkovichki.

Eruimus demùm Frangepanios Scribi: modo Comites de Frangepanibus: modo Comites Zluni de Fragepanibus: modo Comes Frangepanus de Tersatch; modo Comes Tersachky de Frangepanis. Familiam Comitum Ursini, *Blagai* scribi credimus, hinc, Ursini Familiam, à Frangepaniana distinguendam.

L. GEORGIUS I. DRASKOVICH.

OMnium singulorùmque præconiis, ac tot tantisque monumentis celebratum Episcopum, Pontificum, Regum, oraculis laudatum, tot magnorum Virorum testimoniis, *Magnum* pronunciatum, magnum Factis, virtutibus, Immortalem: ac post naturæ fata, ut ita dicam viventem (cum omnium, hodie etiam celebretur sermonibus, desideriùmque sui apud omnes æternum reliquerit) attigimus. Multi de illo, scripsêre hactenus, sed nemo satis. Hic unum; alter aliud recenset. Nos plura de Eo haberemus, ex Instituto, in unum collecta, dabimus.

GE-

GEORGIUS DRASKOVICH, antiquissima celebrique Comitum Draskovich è Familia oriundus. Hujus celebris, illustrísque Familiæ *Genealogiam* Franciscus Ladani, Comitatus Varasdinensis Notarius conscripsit. Quæ typis necdum edita. Georgius quoque Rattkay in sua Historia quædam habet. Nos è monumentis ipsis, alijsque quæ ad nos pervenunt. Veterum Concivium nostrorum scriptis, hæc eruimus. Familiam hanc DRAGOS olim fuisse vocatam. Quæ ex illustrioribus quod fuerit, testantur subscriptiones apud Lucium videndæ. Obtento dein pro Fidelibus servitiis, Hungariæ Regibus præstitis, CZETTINÆ Comitatu, Comites *Czettinæ* fuère appellati, nonnunquam etiam Hudinæ Comites leguntur, & scribebantur. Neque mirum istud cuipiam fit. Nil enim usitatius Illyris, ac diversas sortiri nominum appellationes. A quopiam Insigni facto, Virtute; Castello, quin naturæ defectu, persæpe mutata agnomina, ut plures hodiedum, & vulgus servaret. Imo agnominum desinentia in *ICH* (uti clareret ex superius *adductis* memorijs) à xiv. Sæculo promanat. Draskovich quoque sub ANDREA III. (vide, quæ Pag 99. retulimus) hoc nomen acceperunt. Andreas Comes Czettinæ, Andreæ Regi, totus adhæsit, ut à Studiosis CAROLO, universis fuisset spoliatus, persequente eum JOANNE I. Episcopo. Michaele è contra Successore, favente admodum: ac procurante ut Fidelitatem Andreæ, Rex Andreas Donatione Comitatus Tininiensis remuneraretur. Quâ occasione ex avito Agnomine Dragos, & nomine *Andreas* adpellativum Draskovich formatum est. Quo exprimebatur ad confusionem inimicorum Andreæ, *Ecce* aut *vide* charum; *Drag* enim Sclavonicè *Dilectum*: *vich*: vide, aut Ecce denotat: imò quidam Drasgovich scriberant. Dum autem LADANIUS in sua MSS Familiæ hujus historia, Tininiô, urbe interioris Croatiæ Draskovichios scribit, non ita accipiendum censeremus, quod urbis Ejus privati Cives fuerint. Cum Cettinensem Comitatum tenuerint. Tininiensis autem Comitatus (Donatione Belæ III.) Supremus ac perpetuus Comes, quidam *Dominio* appellatus, tunc fuerat. Comites Hudina possessionati, ut diximus, non solum in Dalmatia, Croatia, sed & Sclavonia fuerunt. Mergerchuche Eorum fuisse, instrumenta docent Postquam Draskovich sunt appelati, utraque Respublica Sacra nempe & profana, tot hujus Familiæ Viros veneratur, suspexítque. Ludovici Regis temporibus floruit NICOLAUS, Castro Bilina à Rege remuneratus, de quo, ob res præclarè bello Italo gestas, hæc Ludovicus: *Qui pro nostri Regij honoris exaltatione, cum hostibus nostris penes Civitatem Salerni conflictum Personaliter viriliter inivisset, & in eodem stragem non modicam fecisset, ubi non sine duorum lethalium vulnerum plagis, & quamplurimorum familiarium suorum periclitatione nostræ claritati fidelia obsequia, cu avit exhiberi* Sub Mathia I. celebris est CASPARIS Draskovich virtus, ad *Jaiczam* alibíque sæpe testata, de quo Mathias Rex, *Casparis* extollens virtutem: *Qui strenuitate* inquit *& fidelitate suis suffultus, nonnullos Turcas interimendo, cum plurimorum familiarium suorum nece, & periculo, sævissimas vulnerum plagas conflictu in Eodem sustulisse non formidavit.* Sed missa hæc aliaque facimus, cum Familiæ historiam non scribamus. Ignotum est nemini, Primos Magistratus, Familiam hanc tenuisse, Bani: Palatinus, ac in aliis Dignitatibus fuère, constanter claruère, Fide, Fidelitate, Amore in Patriam pietate in superos. Ac licèt, bis ad extrema, & occasum advenisse observati sint. DEI tamen providentia gloriosius surrexerunt. Primùm fuit sub Andrea III. quando omnibus pro fidelitate in Regem fuère privati. Sed majoribus postea aucti fortunis, Dignitatibus. Aliud in Bartholomæô Draskovich Patre Episcopi Georgij; de quo inferius. At clariores surrexère. Ut ex *Ipso Juris Corpore*, ubi frequens Draskovichiorum memoria, est colligere. Quin in Sacri Romani Imperij Comites elevati sunt, sub hac inscriptione: Draskovich. S. R. I. Comes à LOTTENBERG. Dignum observatu censemus In Priori Familiæ casu Andreas & Paulus, aut Paulinus ut scribunt aliqui, à Michaele Zagrabiensi Episcopo, Eorum ut creditur Avunculo, educati, in utraque Republica Familiam illustrârunt. Paulus Ecclesiasticus factus, Ecclesiam Martyrio illustravit. Andreas virtute bellica clarus, confecto Bulgarorum bello, in Croatiam rediens, ducta in uxorem Pauli Dalmatiæ Bani filia, facultates amplissimas consecutus est.

In Altero. Qui 1522. aut 1523. accidit. Quô Tininium Ejusque Provincia Solymano cessit, & Bartholomæus Draskovich avitis quibusdam Thesauris congregatis, SVARCZAM, Castellum in ulteriori Croatia situm, non procul Carlostadio cum uxore & liberis, sese recipiens, Thesauros in templum quodam, condiderat: Quos tamen 1527. ibidem grassatus Turca abstulit; relicto unico gladio, quem è vivis excedens, Filiis hæreditatem reliquit. Tres Bartholomæus habuit filios. Georgium, Casparem, Joannem. Hos tanquam Sororios suos, erudiendos susceperat, Episcopus Magno Varadinensis Georgius Utissinovich, dictus Martinusius S. R. E. Cardinalis. Ex quibus *Joannes*: ad Sigethum fortiter dimicando ocubuit. CASPAR absolutis studiis, sub Joanne de Zapolya stipendia meruit, & ad Avunculum reversus, postea in Transylvania apud ISABELLAM Decennium vixit.

Histor. Balth. Kercselich.

Quò, ad Ferdinandum transeunte, & à Conjuratis cæso, Caspar ad Fratrem Georgium pervenit, charus omnibus, & accepta in conjugem Chatharina, Lectissima, ditissimâque fœmina, LUCÆ Szekel de Kövend filia, Vidua autem primùm Michaëlis de Peren, tùm Adami Taykovich Bohœmi, facultates amplissimas nactus est. Georgius verò Ecclesiasticus factus, in Tridentino Concilio, ac postea, Ecclesiam illustravit. Ad quem, jam convertimur.

NATUS ergo Georgius Draskovich, in Arce *Bilina* Anno 1515. Nonis Februarii est. Patre Bartholomæo, Matre Anna Utissinovich, Lectissima Domina. Post Parentis ægestatem, ab avunculo Georgio, magno Varadinensi Episcopo educatus, & Cracoviam missus in virtutibus & litteris, ea posuit fundamenta, quæ in illo postea orbis veneratus est. Absolutis Cracoviæ studijs Philosophicis, Avunculi impensis, Bononiam missus est, ubi Juris scientiam accepit, & Theologica absolvit studia. Romam inde transiit, & in rebus sacris, & Ecclesiastica historia sese excoluit. Tanta studiorum Georgij, fuit Commendatio, & admiratio, ut Ferdinandum Ipsum non latuerit. Qui Redux, & Ecclesiasticæ militiæ adscriptus, ad OLAHUM pervenit. Hic, Georgio usus plurimum. Sunt qui Philosophiam, Viennæ Georgium docuisse volunt, alij, Doctoratum accepisse solum. Varadinensis Ecclesiæ Canonicus, & Cantor quod fuerit, ex Carmine Saphico Georgij Wyrthel, inferius videndo, colligitur. Leleszienss primum, ut quidam scribunt fuit Præpositus, tum Posoniensis, novem continuis Annis, ac tandem 1559 in Episcopum Quinque Ecclesiensem eligitur. Et Ferdinandi Cæsaris Consiliarius declaratur. Quid Draskovichius quà Præpositus egerit? nos latet omnino. Statim tamen, ut Episcopus Quinque Ecclesiensis fuerat nominatus, scripsit ad Clerum sibíque creditas oves Epistolam. *Vienna Austriæ in ædibus Collegij Cæsarei Soc. Nominis JESU Anno Domini 1559.* impressam Quam, quod integram non habeamus, dolemus. Illud ipsum tamen, quod ad nos pervenit, communicamus, ob tanti Viri memoriam. Fragmentum nostrum, non descriptum, sed ex tunc impressis est.

GEORGIUS DRASROVITIUS, GRATIA DEI. ELECTUS

Episcopus Quinque Ecclesiarum ac laudatissimi & Pientissimi Cæsaris Ferdinandi in Ungaria Consiliarius, suis Diœcesanis, omnibúsque sibi hac electione à Christo commendatis gratiam & pacem à Deo JESU Christo Domino nostro

USitatum fuisse sanctissimis Episcopis & Martyribus, adeoque ipsis Apostolis Domini, O „ charissimi filij mei in Domino, ut, quoties suo munere, pastoralique officio coram „ fungi ipsis non licuisset, gregis tamen sui maximam per Epistolas & nuntios, diligentissi„ mámque curam, gererent. Quam ob causam, ne ab eorum sanctissimis vestigijs indignè „ recedere videamur, tum maximè, quod vos (ut par est) in Christi JESU visceribus „ tanquam filios charissimos diligimus, non passi sumus, quin, quod ratio temporum atque „ impedimentorum gravissimorum, ac justissimorum propriis verbis id facere nobis mini„ mè concedit, per literas saltem functioni nostræ aliqua ex partè responderemus. Cum „ itaque certò intelligamus hisce calamitosissimis temporibus nostris, non solum colla vestra „ Turcico jugo durissimè premi, verumetiam, quod longè gravius esse judicamus consci„ entias quoque non paucorum ex vobis diversarum hæresum undis graviter ac periculosè „ jactari & affligi: quid officio nostro, atque Christiana pietate dignius à nobis fieri potu„ it, quam vos Deo in primis Opt Max pro nostro in vos paterno affectu, tanquam toti„ us boni & autori & promotori ex animo commendare: ac deinde has literas nostras, qui„ bus de communi vestra salute ageremus, ad vos transmitendas curare? Nam quemadmo„ dum pij parentes afflictis, & deploratis liberorum rebus, non possunt non condolere, ita „ nos quoque non possumus non graviter discruciari dum vos filios nostros infinitis malis, „ & duriori, quàm Aegyptiaca fuit, servitute premi cernimus Cum itaque quæ scripta „ sunt, omnia ad vestram ædificationem scripta esse velimus, vestri jam officii erit, ve„ strarúmque partium, ô filij, nostram hanc parentis vestri epistolam eo affectu, quo „ scripta est, hoc est, benevole, filiorum more, Christianóque zelo perlegere. Cum „ autem non solùm admonitiones audire opus sit, verum etiam Pastoris vestri exhortatio„ ni jure Divino atque humano morem gerere & obedire debeatis, petimus à vobis, ut „ dicta nostra non in spinosa petrosáve loca, sed in optimam & fructiferam terram cadere „ patiamini. Quod vos pro vestro in veterem Christianam Religionem amore facturos „ non diffidimus. Nescit homo an odio sit, an amore dignus, inquit Rex sapiens Salamon: tanta nimirum humanæ mentis est voluntaria cæcitas, tantus virtutum omnium ne„ glectus ac beneficiorum Dei in nos colatorum oblivio: quarum altera Christianæ fidei „ inimica est, altera charitati semper hostis: utraque Mater omnium calamitatum, famis,

„ pestis

„ pestis, bellorum, similiúmque ejusdem generis malorum. Quorum miserijs cum cernimus humanum genus affligi, miramur, ac dubitare incipimus, num Deus nos his malis castiget, tanquam odio, damnationíque destinatos, an verò tamquam amore paternæ misericordiæ ad pœnitentiam revocandos. Tametsi autem in tanta rerum humanarum confusione, quæ ut alibi forsitan magna, apud nos in Ungaria certè maxima est, difficilè potest dijudicari, utra lance Deus has clades nostras, amoris, ne, an odij pensitet. Ego verò tamen veluti Antistes & pastor vester sperans fore, ut in illam potius, quam in hanc partem causa calamitosi hujus regni nostri propendeat, nostrum profecto esse judicavi, vos pro ratione officij nostri ac debita potius pietate consolari. Breviter itaque & morbi causas, & remedia pariter explicabo. Duo (quod non sine magno animi nostri dolore cognoscimus) contagij genera nostram jam pridem invaserunt gentem: novarum scilicet rerum curiositas, & mutuæ refrixio charitatis, è quibus infelicissimi duo isti bubones proruperunt: ex uno quidem latere Turcica tyrannis, ex altero verò hæresis Lutherana. Malum sanè ingens illud & horrendum est, hoc autem multo gravius ac perniciosius, & utrumuis attigeris pestilentissimum quoddam ulcus esse senties. Jam verò cujusmodi malum sit Turcica tyrannis, quia sensimus, atque experti persæpe sumus, facile agnoscimus, idque ne nimirum noceat, facilius cavemus. Unde proverbium illud locum habet: Tela prævisa minus feriunt. Hæresis autem Lutherana & quævis alia ex eadem progenita, quia non perinde externo sensu atque malum Turcicum, percipitur, cujusmodi sit, ignoramus planè: unde fit, ut morbus, qui ex ea in animabus hominum generatur, tanquam incognitus, maximo cum periculo, ea labe infectos ad gravissimam eamque æternam, adigat mortem. Serpit prorsus morbus hic, quo nullus lætalior, nullus tristior potest existere, occulte ac veluti cancer venenum ad cor transmitit, viscera corodit, consumit, enecat, & transversum in omnem calamitatem hominem miserrimè agit. An non serpsit hæc gangrena ex Saxonia primum in vicinas provincias, in Mysniam, in Turingiam, in Franconian, in Sveviam in Marchiam, in Sylesiam, ac inde demum per Bohœmos ac Moravos ad nos in Ungariam subrepsit? ecquid aliud pestem hanc in Ungaria molituram putatis, quid effecturam aliud, quam quod jam in Germania passim perfecit, nimirum ut Verbum Dei verborum conviciorúmque fuco quodam, libidinosis hominibus grato, non tam obtegatur, quam ab omni humano corde explodatur: contrà verò mendaciúm Sathanæ disseminetur facilius, & ut nova commenta damnatarum opinionum resuscitentur, & Catholicus, orthodoxusque scripturarum intellectus aboleatur. Ut nulla sit unitas Christianæ fidei, nulla charitas mutua, nulla pietas, obedientia nulla: sed tot sint circa fidem ipsam opiniones tot sectæ diversæ, quot domus, quot familiæ, ne dicam quot capita, quod si fortè quispiam hæc vera esse ignoret, aut falsò dici suspicetur, se ipsum penitius examinet, diligentius vicinos inspiciat. Germaniam collustret attentius, audiatque crudeles illas sectarum inter se digladiantium voces atque tumultus: quæ hereticis omnibus jam inde ab orbe condito fuerunt semper propria, ac videbit facile, verissima esse quæ diximus: imo sane, si ea ipsa, quam diximus, perscrutatio sincero fiat pectore non dubito, quin, ipsum sathanam non tam se in Angelum lucis convertere, quam horribiliter sub tenebrarum insidijs grassari, queat animadverti. Legite Stanislaum Osium Warmiensem Episcopum, legite Martinum Cromerum, legite Fridericũ Staphilum, Theologos præstantissimos, & vitæ sanctimonia comendatos. Legite Wilhelmum Lindanum Dordracenum: Legite denique reliquos omnes tam nostræ ætatis, quam præteritorum etiam temporum præclarissimos quosque Catholicos Authores, & videbitis optime, quam impudens sit horum omnium novatorum supercilium, quam inconstantes doctrinæ. Neque sanè mirum videbitur, cum certo certius hoc ipsum inventum sit Sathanæ, qui ab initio inconstans, mendax, omniumque hæreticorum Dux est, & antesignanus. Ante annos quadraginta una fuit fides credentium in universo Christiano orbe, una vox Deum invocantium, mens atque animus unus, unum in peragendo Divino cultu cor atque consilium, idem pietatis ac amoris erga Deum Proximum studium: unus denique verus Deus & homo inter Deum & hominem primarius mundi totius mediator Christus JEsus Dominus & Servator noster. Jam verò quid Christus? *Reliqua desunt & desiderantur.*

Sunt, qui Draskovichium, Cancellarij munus gesisse scribant. At istud non eruimus Olahus enim subscriptus in instrumentis reperitur. Comitari solebat FERDINANDUM, ut 1558. in MARIÆ obitu summa approbatione, sermonem dixerit. Vicésque Olahi agere potuit. Ferdinando Draskovichium, à Confessionibus fuisse, quidam scribunt. Ferdinandi nomine, quà Hungariæ Regis, ad Tridentinum Concilium Anno 1561. deligitur. Quod mu-

munus ei, Litteris suis, Rex *Pragæ*, Die vigesimo Decembris significat, jubetque ut ad 15. Januarii diem Tridenti sit. Porro quid Ferdinandus de Draskovichio senserit ex ijsdem patet litteris, in quibus hæc exprimit. *Te igitur ex Hungaria in Persona nostra Regia, singularem ob morum integritatem, ac scientiarum peritiam, ad sacrum hoc Concilium mittendum ante alios omnes eligimus, committimúsque Fidelitati tuæ, ut nulla interposita mora vel difficultate iter maturare, neque expectatis aliis, Chanadiensi nempe & Tininiensi, qui pro universo Clero Hungariæ proficiscuntur, antecedere, ut ad 15. diem Januarij Tridenti adesse valeas.*

Apostolici Regis jussa, illico executus est, Tridentum summa hyeme, summisque viarum incommodis festinando. Suo adventu Tridentinos Patres mirificè recreavit; tùm ob celebres tanti Oratoris virtutes, Doctrinam, præstantiam, tum quod sperarent, cognito oratoris hujus adventu, aliorum quoque Principum Oratores properaturos. *Credentionales* Georgij Litteræ, in publico Patrum consessu recitatæ: In his ita Ferdinandus: *Nolentes sane propter absentiam nostram, tam pio & præclaro instituto quidquam inpedimenti vel difficultatis injici, aut quidquam à nobis desiderari, quod ad rem juvandam pertinere queat. Confisi de singulari pietate, fide, probitate, eruditione, judicio ac multarum rerum usu, & experientia Reverendi devoti Georgij Draskovichij Ecclesiæ Quinque Ecclesiensis Episcopi, ac Consiliarij Nostri, fidelis Nobis dilecti, eundem in solidum solenniter Commissarium, Oratorem, Nuncium, Procuratorem & mandatarium nostrum facimus, constituimus & ordinamus &c.* Dum has Ferdinandi Literas, Draskovichius Concilij Patribus exhiberet, sequentem fertur præmisisse sermonem. Quem ante nos. P. Peterffij, pag. 426. edidit.

ORATIO.

Habita à Rssmo Domino Georgio Draskovichio Episcopo Quinque Ecclesiensi, D. Ferdinandi Romanorum Imperatoris Electi, Consiliario, & pro Regno Hungariæ. Oratore. Tridenti, in Generali Congregatione Die 24. Februarij 1562.

Si vobis Illustrissimi Legati præclare domus, quæ est Ecclesia DEI, optimi firmissimíque Cardines, huic sacrosanctæ generali Synodo divinitus dati, ac donati Præsidentes vosque Patres, Pastorésque Amplissimi, atque vigilantissimi: si vobis inquam, Ferdinandi Cæsaris Augustissimi fides, pietas, vita propemodum Angelica, ac in retinenda, defendendaque Christiana Catholica Religione perpetuæ vigiliæ, labores plurimi, indefessúmque omni tempore studium, jam antea perspectissima non essent, crederem equidem me, si hæc sciens tacerem, non modò accusandum meritò, verùm etiam tanquam omnes impietatis limites dolosé transgressum, jure optimo damnandum esse. Verùm quia optimi Catholicique Cæsaris raræ, & inauditæ virtutes, Vobis notiores sunt, quam ut à me in medium proferri debeant, hæc tanta, tamque præclara, & planè cœlestia dona, in hoc nobilissimo omnium Christionarum Principum Capite, stellarum instar micantia, maxima admiratione veneranda rectius, quàm oratione etiam splendidissima celebranda esse meritò existimaverim. At nisi hunc talem, tantúmque, nobis Imperatorem DEUS pro sua benignitate dedisset, infelix profectò, infinitis propè malis afflicta hæc nostra tempestas & esset, & haberetur. Gratias itaque DEO æterno suplex agere debebit, quod illi præter ullum meritum, hic alter Constantinus Catholicus obtigerit: nam per DEUM Immortalem, nonne verum Constantinum, aut eò etiam majorem dixeris? qui ante aliquot sæcula hæresis, vel schismatis injuria colapsas Ecclesias, Imo verò pœnitus deletas, hisce calamitosissimis temporibus, nova, liberalique fundatione restaurat. Collegia & Cœnobia eversa, solóque æquata reparat, & nova etiam magnâ impensâ exædificat. Clerum denique ipsum, una cum Orthodoxa Religione, in plerisque locis extinctum, non sine maximis curis, & incredibilibus sumptibus, pristino splendori restituere omnibus viribus annititur. Sed ne curiosè magis explicare, quàm strictim quædã attingere voluisse videar, illud hoc locò dicam, & verè quidem laudatissimi hujus Imperatoris curâ, atque operâ perfectum esse, ut multorum scelere deformata Religionis nostræ facies, suum decus, suum nitorem recuperare posse videatur. Jam verò quantum illud est, quod ut Christianos è Turcarum faucibus eripere, eosque à sævissima illorum tyrannide in libertatem asserere possit, nihil eorum, quæ ad hanc rem rectè, ac laudabiliter gerendam adhiberi debent, omittit, Sed continuis bellis, magnô studiô, incredibili curâ, ita se impio illorum conatui opponit, ut quòd Germani, quod Itali, quod Poloni, quòd aliæ prope omnes gentes securius vivant, id ipsi uni secundùm DEUM acceptum referre debeant. Quis enim est in orbe Christia-

stiano locus, quem non Turcarum rabies jam olim pervagata esset? nisi hic talis, tamque Pius Imperator se suosque Clarimssios liberos huic pesti objecisset, ejusque impetum solus ex omnibus Christianis Principibus sustinuisset. Sed hæc ejusmodi sunt, ut nullis verbis, nulla ratione satis explicari possint. Atque hunc quidem Imperatorem omnium Virtutum heroicarum cumulatissimum thesaurum, si Vobis Patres laudatissimi! hic coram intueri liceret, verbis exprimi non potest, quantô gandiô perfunderemini: vicissimque ne cogitatione quidem complecti possum, quali, quamque inexplebili lætitiâ sua Cæsarea Majestas afficeretur, si in hoc augustissimo loco, in quo olim Paraclitus ille Spiritus Sanctus sub ignotarum linguarum forma visibilis apparuerat, verè repræsentante, tot Doctissimorum, ac Religiosissimorum, imò verè Apostolicorum locumtenentium Patruum Venerandas facies præsens inspiceret: certè temperare non Posset, quin in omnium Vestrum oscula rueret, imò, quô est in rem Christianam studiô ipsamet Majestas sua huc libeuter venisset, si propter plurimas, easdémque gravissimas S. R. I. Regnorúmque, & Dominiorum suorum occupationes in præsentiarum, suæ Majestati id facere licuisset Ne tamen interim quicquam, quod in hac parte muneri Cæsareo incumbit, omitteretur: voluit S. M Oratores & Commissarios suos ad hoc Sacro-Sanctum Concilium tempestativè, & ante omnes Christianos Principes mittere, qui & Personam suam referent, & cum plena authoritate, & mandato, nomineque & loco M. Suæ celebrationi hujus Sacræ Oecumenicæ Synodi interessent. Quæmadmodum hæc & alia multa præclara, quæ in mandatis habebant, Reverendissimus Dominus Muglitius Archi Episcopus Pragensis, & Mag. D Sigismundus à Thun M Suæ Cæl. Oratores hîc præsentes, Vobis Illustrissimi Domini Legati! privatim luculenta oratione copiosè exposuerant. Ex his itaque, quæ jam dicta sunt, Antistites Sanctissimi! manifestè apparet, quô studiô, quamque propensa voluntate sit ejus Majestas in hanc Sacram Synodum; præsertim verò, cum non solum ab eo, qui modò universam illustrat Ecclesiam Pont. Max. verè Pio IV. verùm etiam ab aliquod Sanctitatis suæ Prædecessoribus Pont. Max. (piæ memoriæ) magna contentione semper petiverit, ut jam tandem Majorum suorum exempla secuti, convocato veteri de more Generali Concilio, extirpatisque hæresibus, & veteri Ecclesiasticæ disciplina restaurata, Christi fidelium saluti prospicerent. Quamvis Sanctissimus quoque D. N. Pientiss. Pastor statim in ipso Pontificatûs sui felici initio, ante omnes alias gravissimas, urgentissimásque curas, hinc data opportunitate, inprimis de congregando universali Concilio, spinisque ex agro Dominico resecandis, pro innata sibi pietate, & sapientia ultrò susceperat. Id quod jam in Sanctitatem suam laudatissimè, omniumque Christi fidelium mirifico applausu reipsa præstare cernimus. Pater Cœlestis! Serva hæc orbis lumina, quæ ad conservandam, tuendàmque Rempublicam Christianam, imò verò prætiosò Filii tui Domini Nostri JESU Christi sangu ne acquisitam Ecclesiam virtutibus, pietatisque studiis cumulata, ita conjuncta esse voluisti, ut alterum in altero cernere liceat. Quod Sanctitatis Suæ præclarum, summóque Pontifice ac Pastore dignum, universóque orbi Cristiano salutare studium, cum non sine magna animi voluptate Christianissimus Imperator videret, Sua quoque Majestas Cæsarea, tanquam primogenitus Ecclesiæ Catholicæ, sedique Apostolicæ addictissimus Filius, hoc Sacro Sanctum Oecumenicum Concilium, quod in Spiritu Sancto ritè ac legitimè congregatum agnoscit, pro Cæsareo suo munere, quotiescunque res postulaverit, ab omnibus injuriis tueri, manutenere, atque defendere sese promptam, ac paratam benignè offert. Quo autem hanc suam voluntatem ejus Majestas Vobis magis testatam faceret, non solùm ut Imp. Rom. ac Boh. Rex, ac Archi-Dux Austriæ, hos graves & præstantes, murerique huic obeundo, maximè idoneos viros, quos coram cernitis Oratores suos, huc mittere dignata est, sed etiâ, quatenus est Inclytæ Hungariæ, antiquissimi illius, & nobilissimi Christiani orbis propugnaculi, me licet immeritum huic sanctissimæ Synodo, nomine suo Regio, cum plena authoritate, & mandato interesse voluit. Et quamvis litteras ejusmodi plenæ authoritatis, mandatique vobis nuper exhibere, certas ob causas non poteram, locum tamen Regi Panoniæ debitum, Amplitudines Vestræ Illust & Reverend. non expectatis literis, quas jam ad manus habeo, mihi dandum & assignandam benignissimè adjudicârunt. imò absque mora humanissimè assignârunt, & dederunt. Quod Amplitudinum Vestrarum egregium, & memorabile factum, cum vestræ erga Catholicum Imperatorem, Regémque meum Serenissimum observantiæ, & amoris sit illustre testimonium, Majestati suæ gratissimum, omnibusque amoris, & benevolentiæ officiis pensandum accidit. Ego vero pro hac Amplitudinum Vestrarum erga me insigni benevolentia, quum omnia, quæ ad cumulum officii mei spectare cognovero, diligentissimè implevero, DEUM etiam æternum Vobis omnibus supplex exorabo, ut Vos omnes, & singulos hic felices conservet, & post hanc

 vitam

vitam, donet eam, quæ nescit temporis modum. Postremò, ut & officio meo, & Illustrissimarum, ac Reverendissimarum Amplitudinum Vestrarum expectationi satisfaciam, fidemque Reverendissimi Domini Archi-Episcopi Pragensis, Oratoris Cæsarei nuper pro me interpositam redimam, literas plenæ authoritatis, & Mandati, Regis mei reverenter exhibeo, orans, ut & illas in hoc ornatissimo consessu pro recepta jam consuetudine publicè perlegi facere, & me cœpta hac sua singulari benignitate atque humanitate complecti dignentur.

Inter reliquos, Qui conficiendo Librorum indici, à Patribus designati, ea Lege fuêre: *ut non ante finem Concilii index publicaretur*: primo loco, SPONDANO refferente, *Georgius Draskovichius Episcopus Quinque Ecclesiensis*, *Orator Cæsareus pro Regno Hungariæ* fuerat. Tum: narrat idem *Spondanus* ad Annum 1562. *Pallavicinus* Item, *Lib. 15. C. 20.* Ortam fuisse inter Hungariæ, & Lusitaniæ, Oratores, de prærogativa Controversiam, Utroque primum sibi, in mandato legendo locum deberi propter Regni sui eminentiam contendente. Ante hanc, intercesserat alia, intra Oratores præmissos contentio. Dum solennem pararet Draskovichius cum Archi-Episcopo Pragensi, Cæsaris Oratore, Tridentum ingressum, Ferdinandus Martinez Mascaregna, Sebastiani Regis Lusitaniæ Orator, misit ad Legatos Pontificis Nuncium, Draskovichium haud ante se, induci in cœtum posse, cum is Hungariæ Regis, Personam referet, & non Cæsaris, ac proinde sibi, ut Lusitaniæ Regis Legato, istud deberi. Permolestus accidit hic Legatis Nuncius, quod decisio odiosa foret. Re discussa, pro Draskovichio pronunciatum, ex Curiæ Romanæ consuetudine, quia Tridentum prior venisset. Quâ, sic superata, de *loco legendi mandati* acrius inter Oratores disputatum

Draskovichius, Hungariæ Regnum, amplius Sæculo ante Lusitanum fuisse institutum; precelluisséque multis Sæculis amplitudine, potentia allegabat Tot item Ei Regna conjuncta esse. Apostolicum esse Regnum. Proinde nec à Sede Apostolica, sine injuria postponi debere, tametsi Clades magnas, & Turcicam rabiem DEO ita permittente, in multis Regni partibus debeat tollerare. Jerosolymis aliisque Palestinæ locis suum ideo non negari respectum, quod in servitutem Mahometis abiverit. LEOnem IX. Affricanis respondisse Episcopis (dum, duod Carthago desolata esset, Ecclesiæ Ejus juribus præjudicatum volebant) Jura Ecclesiæ Carthaginensis conservari debere integra sive Carthago deserta jaceret, sive resurgeret aliquando gloriosa. *MASCAREnius* contra, Lusitaniæ Regni, navigationibus suis non solum Latissime dilatatum objiciebat Imperium, sed Orthodoxæ Fidei Zelum, Religionis Christianæ, extra Hispaniam propagatum studium, Curam; ut Orthodoxa Religio, dum in Germania, Hungaria deficere observaretur, Lusitanorum Zelo, partibus in illis propagaretur. Apostolicæ Sedis Legati ita deliberarunt: *Oratorum mandata eo ordine Legenda esse, quo erant exhibita, nulla dignitatis Principum habita ratione.* itaque Draskovichius, tametsi mondata sua 24 Februarij primùm exhibuisset quia attamen cum reliquis Ferdinandi Oratoribus, die sexta receptus fuerat, in Oratione sua, superius producta (cujus *Spondanus* etiam reminisceretur) agit Patribus gratias; quod Ei, locum Regi Pannoniæ debitum, adjudicâssent, atque sine mora dedissent

Præterea quæ in Eodem Concilio egerit Draskovichius? Quæ de illo, Patrum omnium fuerit opinio. Ipsorúmque Summorum Pontificum, *Sfortia Pallavicini*, aliisque Historiæ Concilii Tridentini Scriptoribus videndum. Ad Cæsaris vota, cum Galliæ Oratoribus, Potestatem sub utraque specie sumendæ à Fidelibus Eucharistiæ, majorem in modum, & vehementius exorabat. Nec scripsit solum hanc in rem, *ut Pallav. Lib. 17. Cap. 4* 7 Sed ut idem C. 14 egit cum Legatis fortius; Quin sermonem in hanc dixit sententiam. Eodem Pallavicino *Lib. 18. Cap. 3.* refferente. *Rem* suspicioni obnoxiam non esse, quod Cæsar
„ jam senex, ac brevi ante Divinum Tribunal sistendus, vellet quidquam efflagita-
„ re, nisi quod arbitraretur ad DEI gloriam cessurum. Nec similiter in tantæ pru-
„ dentiæ Principe, post tam diuturnam Intentámque regendi exercitationem, creden-
„ dam esse ignorationem illius, quod in suis subditis ad animarum salutem condu-
„ ceret. Non aliud velle Cæsarem, nisi quod liceret per Ecclesiæ dignitatem, pro
„ qua vitam profundere præsto erat; Sed Ecclesiæ morem esse, in rebus arbitrariis,
„ & à DEO non præscriptis, leges variare pro conditionum varietate. A Synodo
„ Constantiensi vetitum illud fuisse, prius constitutum; postea id ex parte relaxatum
„ à subsequo Concilio; Sed eodem vetito, per Pontificem Pium II. ad vim pristi-
„ nam restituto, fuisse concessam à Paulo III. ac Julio III. facultatem illius abrogan-
„ di: Interim fuisse Græcis indultum, non usum modo Calicis, sed varios præterea

ritus,

„ ritus, ab Ecclesia Latina diversos; idque per summam prudentiam, exemplo Moy„ sis, qui nonnulla permisit Populo suo, propter duritiam Cordis. Unam dunta„ xat rationem objici posse, nimirum, periculum fundendi sanguinis Christi. Huic „ occursum iri per Præsulum vigilantiam. Sed tandem, quando Christus rectè ef„ fusum duxerat suum totum sanguinem in hominum salutem, haud illi molestam „ futuram aliquam Ejusdem effusionem, quæ humano vitio contingeret in eo mini„ sterio, ubi hoc pacto consuleretur innumerabilium animarum saluti, quæ eodem ipso sanguine redamptæ *sunt.* Quibus subdit Pallavicinus: *Ita peroravit Antistes, ut illis populis fieret satis, qui agrotorum insanientium instar, ab amico & perito medico, potionem pro sua libidine violenter petebant.*

Sane quos Labores (ne tantus populorum numerus obstinatè hoc exigens, non sine æternæ salutis jactura ab Ecclesia divellatur) in causa hac Draskovichius fecerit, qua contentione eam promoverit, *Pallav.* perhibet. Cum JOANNE Baptista OSIO, Reatino Episcopo satis disputavit. Egit rem, per crebriores cum Papa Litteras. Cum Patribus Ipsis, & potissimum Hercule GONZAGA Cardinale Mantuano, Legatorum Primario. Imò animadvertens Patres, in negativam proniores sententiam, questus est, contemni authoritatem, tot repulsis, Cæsaris: quæ tamen adjuvanda esset, pro totius Ecclesiæ incremento. Hinc nec adesse Patrum Cœtui biduo voluit. Quibus effecerat, ut res definienda, arbitrio Papæ relinqueretur.

Post hæc convenerant Oratores in domum Antonij Muglichij Moravi, Archi-Episcopi Pragensis, Oratoris Cæsarei, Veneto, & Florentino exceptis, ad quos verba fecit Draskovichius. *Ibi Draskovichius* (narrat Pallavicinus) *illos exstimulavit, ut inter se in unum coalescerent, Legatósque urgerent ad graves morum emendationes exagitandas, eásque proponendas. Synodum sine fructu sterilescere, & in quæstorum scribarumque Correctionem effundi; ad speculatrices decisiones esse conversam, ut à rerum agendorum sanctionibus distrahatur. Hujusmodi decisiones frustra confici, utpote Catholicis supervacaneas, & hæreticis inutiles: Una proinde Oratores pergerent ad Legatos, flagitarentque ab illis, ut in proxima sessione, seposita trutina de ordine ac matrimonio, unicè navaretur opera, ad expurgandam Ecclesiam tot corruptelis, moresque tam depravatos emendandos.* Profecto magnam in Concilio, Dexteritatis, eloquentiæ famam sibi comparaverat, ut teste Pallavicino *Lib. 21. Cap. 8* aptissimus Legatis Pontificijs videretur, componendæ litis, Gallos inter & Hyspanum Oratores

Dissoluto Tridentino Concilio redijt Draskovichius Anno 1563. Decembri mense, ad Ferdinandum. Qui, non desinebat Eucharistiæ sub utraque specie summendæ postulationes. Itaque PIUS Papa IV. Die 16. Aprilis, Anno 1564. Pontificatus sui Anno V. desere petito Ferdinandi ad Olahum Strigoniensem Archi-Episcopum, & Hungariæ Primatem, Bula relegata. Quam cum Peterffius fol, nobis 157. produxerit. non repetimus. Videnda ibi, una cum Decreto Ferdinandi, *de sumptione sub utraque.*

Redux, Patriæque reditus Georgius Draskovich è Sede Quinque Ecclesiensi, per Ferdinandum (Papa pro more Confirmante) transfertur ad Zagrabiensem Ecclesiam Quæ à morte Brumani, carebat Pontifice Neque *Annos post aliquot*, ut Timon scripsit, in *Purpura Pannonica* Episcopus Zagrabiensis renunciatus est, Sed à Ferdinando, & statim à reditu. In Instrumento enim Anni 1564 Viennâ Kalend. Januarij (quô Ferdinandus contributionem decretam à Regno, ad perfectionem Castri Szi§zeg ordinat) expedito, legitur: *Georgius Draskovich Episcopus Zagrabiensis.* Item infra in *Carmine Saphico* à Patre id est Ferdinando, Ecclesiæ hujus Antistes scribitur constitutus Obijt autem Ferdinandus Die 25 Julij Anno 1564 delatus Pragam ad tumulum. MAXIMIlianus vivo Patre consors Imperii & Regni factus ac 1563. die viii. Septembris coronatus (de quibus accurate Istvanffius) summam rerum & curarum adeptus est. Quid his Annis in Pannonia actum, ad Istvanffium, Petrum Bizarum aliosque, consulto quoque *Juris Corpore* Decretisque Ferdinandi, Lectorem relegamus.

Porrò Episcopus Noster Georgius, quid in Ecclesia Zagrabiensi? Quid in Sclavonia egerit? superest recensendum. Tridentino concilio absoluto, ut Decreta Ejus, Fidei, morúmque ex asse observarentur, omni studio procuravit. Vicarium suum Georgium Hereffinczium, Cathedralis Ecclesiæ Custodem, posuit. Diœcesim totam, singulasque Parochias visitavit Ipse. Concilii Tridentini Decreta (quæ in publicis Hungariæ Regni Comitijs, promulganda OLAHO non videbantur, ob illorum temporum infelicitatem, ac quod Art. 13. Anni 1542. Status & Ordines Sacræ Coronæ, dum agendum, pro celebrando quamprimum Generali Concilio, *pro complanandis omnibus differentijs, variisque Opinionibus de Religione*, Statuunt; dum Regis nomine Orator, Regni Item, *Duo ablegati* Eidem

dem interfuerunt Concilio Decretis Ejus subscripserunt; haud necessariam fuisse Ejus promulgationem.) Potissimum autem impediebat, quod sperarent, uti & acciderat, concedendam *sub utraque specie, Sacræ Comunionis* facultatem. Qua obrenta, promulgatâque, monumentis Ecclesiæ, & Istvanffio attestantibus, dilata est Ipsius Concilij Promulgatio, quod quidam, hac rursus ratione, obtinendam crederent facilius, Matrimonij & Sacerdotij conjunctionem. Profectò MAXIMilianus Die 22. Octobris 1564. pro impetrando Sacerdotibus conjugio ad *PIUM* Pontificem scripsit: *è diverso si Clero hac concessione subveniatur, sicuti Sanctitas Vestra dignata est Laicis, concessione Sacri Calicis subvenire sperandum est, omnia futura tranquilliora.* Ita apud Timon, *Litt. Procer. Europæ,* Post bella aliaque ex alijs impediverunt. Usu tamen inductum acceptatúmque est) servanda voluit, Ipséque servavit. Ac oratione sua, effecit apud Sclavoniæ Status, ut idem Concilium acceptaretur, præcipue cum salutarem Concilij Doctrinam Statuta, ex Draskovichij factis, experirentur. Equidem Primus ille *Scholas* Zagrabiæ instituit, & à Clero tradendas voluit. Seminarium Clericorum primus instituit, suis sumptibus sustentans juvenes. Conciones ad Populum ipse habuit, ac *Missionarij* instar, dum Parochias visitaret, Doctrinam Sacro-Sancti Concilij explicabat. Succurrebat pauperibus, orphanis, viduis. Verbo PATER ab omnibus nuncupabatur. Singulari in omnes fuit humanitate, mansuetudine. Ut ad sui amorem omnes pelliceret. Litteras ut ipse coluit, ita Litteratorum amantissimus. Antonius VRAmecz, Varasdinensis Archidiaconus, Authore Draskovichio, typique Mœcenate Historiam suam edidit. Wyrfiel quoque Carmen scripsit Saphicum. Alia, Alij. Hæc aliáque non solum Ovibus suis, charum redebant Pastorem, sed DRASKOvichij Nomen Diffusum est, ut S. PIUS V. Summus Ecclesiæ Antistes & Pontifex sequentis tenoris (quam accuratè legendam exoramus, ad cognoscendum, Quis? quantúsque DRASKOvichius fuerit?) dederit Epistolam.

VENERABILI FRATRI
GEORGIO EPISCOPO Zagrabiæ.

VEnerabilis Frater salutem & Apostolicam benedictionem. Christianæ Charitatis affectus, pastoralisque servitutis commune nobis cum Venerabilibus Fratribus, & Episcopis nostris vinculum non sinit nos expertes esse ejus lætitiæ, quam de illorum virtute conceptam animo percepimus. Itaque cùm de sua eximia in DEUM Omnipotentem pietate, Religionisque Chatholicæ studio, ac Divini honoris Zelo, multa constanti plurimorum famâ ad nos allata essent, faciendum esse existimavimus, ut non solum quantopere hæc nobis grata accidissent, tibi significaremus, sed tibi quoque de eis gratularemur. Vera autem gratulatio est, quam non præsentis temporis aut necessitas temporalis, extorquet, aut terrena commendat utilitas. Sed quæ de Sanctis, bonisque operibus suscepta cœlestis mercedis gloriam habet. Quod enim in gubernando, custodiendóque grege fidei tuæ ab Omnipotente DEO commisso, eam prudentiam, vigilantiamque adhibes, ut bonorum tuorum fama istis Panonici Regni finibus non contenta, huc ad nos usque perferatur, hoc gaudendum esse in Domino cognoscimus. Itaque gratias agimus Redemptori nostro, qui inter cætera pietatis suæ dona ita fraternitatem tuam Catholicæ Religionis amore incendit, ut quidquid ad ejus conservationem, propagationémque pertinere cognoscit, id & diligenter, & alacriter exequi non desistat. Quamvis autem eum, qui adjuvante DEO ità sit animatus supervacaneum videatur esse magis hortari; tamen, quia te inter cæteras tuas virtutes, fraternæ quoque hortationis verba libenter suscipere existimamus, idcirco hortamur, ut quam ingressus es ad Cœlum ferentem viam, ab ea ne iter tuum deflectas donec eò, quò contendis, pervenias. Sit Clero, populóque tibi commisso vitæ tuæ Sanctitas regula, atque norma, ad quam actiones, morésque suos uterque studeat conformare. Mali vitiorum pœnam, boni virtutum prœmium sibi à te expectandum esse intelligant. Hæreticorum venena, ne gregem tuum inficiant, quantâ potes diligentiâ, vitare, contende. Quominùs ea semper agas, quæ DEO beneplacita sunt, nullius te hominis metus deterreat. Nemo mercedem tuam evacuet. A nobis autem omnia fraternæ charitatis indicia semper expectato: de qua nostra erga te propensione, cum hoc dilecto Francisco Dietalevio copiosiùs egimus, qui tibi has nostras literas reddet, cui fidem habebis. Datum Romæ apud S. Petrum sub anulo piscatoris Die 9. Augusti, M. D. LXIX. Pontificatus Nostri Anno quarto.

Tam luculento SSmi Pontificis testimonio, tantâque virtutis Draskovichij existimatione, ferventior factus Episcopus, ad reducendam Ecclesiasticam disciplinam, totus incumbit.

bit. Perlustrata Diœcesi, ut res firmior esset Synodum bis celebrat. Primam Anno 1570 Alteram 1574. Constitutiones Synodales, quas Typo dedit, nósque aliquando legimus, non sine dolore desideramus, ut eas hic adjungeremus. Ordinem Synodi, sive nomina Parochorum, aliorúmque Virorum qui interfuerunt, inferius Cap. XVI. exponimus. Uti Virtutum æstimator; ita vitiorum vindex fuit Draskovichius. Profecto monumenta perhibent, totque sententiæ fidem faciunt, Disciplinæ à Concilio Tridentino præscriptæ fuisse studiosissimum, eamque induxisse. *Georgium Trulya*, dum sæpè exoratus, monitus resipiscere noluisset, ac fœminam quam uxorem suam contendebat, sub spe obtinendæ eatenus à Romano Pontifice indulgentiæ, beneficiis privavit & perpetuo mulctavit exilio. Atq; hoc non solum juxta Canonicas Sanctiones, sed ipsa Sanctorũ Hungariæ Regum Decreta, S. nempe Stephani *Cap. II.* S. Ladislai C. I. item II. Colomani *Cap. IX & XII. Georgio* similiter *Ivanchich* idem facere decreverat, sed pœnitentem instar Patris Evangelici, habuit. Ladislaus Kerhen, post primam, ab Episcopo factam monitionem, juxta Cap IX. Colomani Regis, scripto sese obligare debuit, ut si Criminis ejus, reus fuerit adinventus, Beneficiis, sine sententia alia, careat. Observatum hoc, in *Vicarialis* fuisse Sede Successorum Epporum Zagrabiensium, indubium est. Fuere autem præmissi, ab ANDREA Dudichio Sbardellato dicto, alias in Episcopatu Quinque Ecclesiensi Georgij Draskovich Successore, ad hæc provocati, ut Romana Sedes, ad indulgendum CLERO Matrimonium stringeretur, nec Andreas solus, incontinentiæ damnaretur. Hæc retulimus, ad cognoscendam fortitudinem, Prudentiam, Zelum Draskovichij, qui, murum se, pro Domo DEI, & fortem quidem exhibuit. Sed & alia vitia, vindicabat. Apostasiam FRANCISCI FILIPOVICH, qua ratione detestatus sit? infra Paulo dicturi. Sane quisquis æquus rerum æstimator est, vel his perpensis; quantum DEO Ecclesia Zagrabiensis debeat, dum misereri Ejus, tali PASTORE dignabatur, ac talibus quidam temporibus, quibus iniquitas triumphare contendebat: Quanta item fuerit Draskovichij Virtus? cognoscet facile.

Verùm tantas inter, pro DEI Ecclesia curas, Vigilias, Solicitudines, Labores, MAXIMILIANUS Rex, ad preces, votáque totius Sclavoniæ, ac difficillimis quidem temporibus, ut totius Patriæ interitus merito metueretur, post mortem Petri Erdödi BANI, Regna hæc gubernanda, providenda GEORGIO Draskovich Episcopo Zagrabiæ credidit, EUMque 1566. Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclavoniæ BANUM jussit, nominavit, constituit. Admirandus nobis Episcopus, qui nempe, & Sacra & Profana curavit adeo; ut in utrisque æternum sui reliquerit desiderium. Ecclesiam sustentavit: Patriam servavit: Fidem Orthodoxam plantavit; Regem in Regnis firmavit, Rebelles conpescuit, justitiam docuit, hostes domuit, Providit omnibus. Neque hæc, ad extollendum Draskovichium, sed *pro Veritate* scribimus. Enim vero. Quæ pro Ecclesiæ, & Orthodoxa Religione fecerit, ex superius recensitis claret; Sclavonia vigilantiæ Draskovichij debet, quod in fide Orthodoxa permanserit, utpote, qui passus non est, ut à *Romana* dissentiens Ecclesia, in Sclavonia obtinere possit, Bona, Dignitates, Officium, famulatum. Quod in Legem postea transiit. Quin Draskovichij providentia Art. xxx. Anni 1567. Rasciani, & alij dubiæ fidei homines ex Hungaria Croatia, Sclavonia proscripti, ac *sub nota infidelitatis* eorundem protectio verita.

Patriam servasse, hostésque domuisse Draskovichium, illorum temporum testatur historia. Ut enim in Hungaria & Transylvania, varij diversique bellorum eventus (apud Istvanffium videndi) sic, & Sclavoniæ Croatiæque, quærebatur ruina Equidem 1565. Anno Turcæ, *Costaniczâ* & Banialucâ trans Colapianas partes, vulgo *Prekokupje* populantur; quos tamen Joannes Alapius inter *Hrasztoviczam* & *Vinodol* adeo profligavit, ut è quingentis, pauci admodum malè gestæ rei nuncij, ad suos reverterentur, Præfecturam Bosniæ Mustapha Sokolovich, eodem Anno jussu Solymani suscipiens, Arcem Krupa egregiè summáque virtute Mathiæ Bakich diebus 25. defensam, cæsis, aut igne consumptis Mathia Bakich aliisque Præsidiarijs intercipit. NOVIUM post hæc, ad idem flumen Vunna æquè situm, in suam potestatem redigit. Sed dum vastandam Provinciam, quæ Cirsium inter & Capronczam protenditur, suscipit agreditur, à Petro Erdödio Bano, Savum cum mile quingentis equitibus traijciente, in fugam conijcitur: Sarcinis, impedimentis privatur. Bizarus Cæsorum tria milia fuisse scribit. Captos solum 128. Hæc qui diffusius nosse cupit: *Istvanff. Bizarum* consulat. Sequenti Anno à multis accuratè descripta obsidio Szigethana accidit, qua Imortale nomen, NICOLAO Zrinio est. Hanc Joan Sambucus, Istvanff. Franciscus Forgacs. M. Samuel Budina Labacensis, Bizarus. Thuanus Leunclavius & cdescripserunt. Nos missam facimus. Reliqua etiam apud Istvanff. videnda. Neque hæc retulimus, nisi ad cognoscenda, quæ temporibus Draskovichij contigerunt.

M m m Anno

Anno 1572. enarrata Rudolphi in Regem Hungariæ Coronatione *Istvanff.*; & post hanc, facta ex insidiis nocturno tempore à Turcis, CANISÆ invasione, & Crudeli direptione, nil aliud, in his partibus actum vel insinuat. Ex monumentis tamen Ecclesiæ Zagrabiensis, Litteris item MAXIMILIANI, CAROLI, ad Draskovichium scriptis, aliisque MSS. indubium est, Ab Anno 1573. continuas quasi Turcarum excursiones, his in partibus fuisse. Ut ob has, invitatus licet DRASkovichius, ad Dietam Anni 1574. á MAXImiliano privatis Ejus Litteris Viennâ 17. Januarii fuerit, deprecatus sit, quod ob Regni salutem, Vadorum Præsidiorúmque curam Ipse habere debeat, Turcis irruptionem parantibus, præsertim cum Collegam in Banatu nullum haberet. Aperit deinde Maximiliano, intra Colapim & Savum homines, ita affectos videri, ut si barborum incursiones ferre nequirent, potius se Turcis tradituros, quam aliorsum migraturos suadet Castellum *Blinya* demoliendum, ac in evidentibus periculis Collegam in Banali Officio exorat.

Ad has respondet Maximilianus, Draskovichio: Acceptam sibi esse Ejus Fidelitatem. Discretioni suæ, Castellum *Blinya* se committere, ut si recte refici, aut sine periculo retineri non posset, ne in usum hosti cedat, demoliatur. Præsidiarios ad frontem Confiniorum Collocari præcipit, ut incolæ ab incursionibus defendantur, nec causas prætendere possint se dedendi. Quod si defendi non poterunt, satius erit eos exterminare, & loca deserta fieri, quam ut ibi agentes jugum Turcicum recipiant, augeant: experti enim sumus, per ejusmodi deditiones, majorem Hungariæ Partem perditam, deserta autem, ut in Croatia & Sclavonia, loca, retenta esse. Pro *Hrasztoviza* Falconetas duas se ordinâsse significat, de adjungendo quoque Bano se cogitaturum. Opinionem requirens Draskovichij. Ad reliqua sibi respondendum ex consilio Hungarico. Vienna 27. Januarij.

Itaque grassabantur Turcæ his in Partibus assiduè, ut Anno 1573. Franciscum Filipovich Chasmensem Præpositum, & Cathedralis Ecclesiæ hujus Canonicum, non procul *Ivanitchio* dum cum Banderio Ecclesiæ, ipsis occurreret Captivum obtinuerint, Constantinopolim captum relegaverint. sub finem quoque Julij Anni ejusdē 1573. Bosnenses Turcas, in Insulam quæ est intra Savum & Colapim irruptionem fecisse, sed à Draskovichio Bano, retrocedere coactos, ex Epistola Maximiliani Die 31. Augusti, scripta, & Draskovichium Laudante, discimus. Sisciensses quoque, *Ibrahim Agam* cum Jeszenovicensibus suis stipendia deveheret, captum in itinere tenuerunt, quod plures irruptiones fecisset, quodvé redemptio Francisci Filipovich (quem illi *Delipop* id est *Heroicus Sacerdos* nominabant) evasura facilior crederetur: Displicuit hoc Draskovichio Agam à Sisciensibus emit, Maximiliano aperit, submittit. Damnabat Siscienses, nec enim fuisse liberum, Ibrahimum intercipere, extra prædæ vel excursionis circumstantias dicebat, quod Ipsum Maximiliano perscripserat.

Annis quoque sequentibus, majora nostris causâsse Turcas Incommoda, non solum ex diversis instrumentis deducimus, sed *Decretum VI.* Maximiliani, *Anni 1574.* indicat. Profecto præter indicatas superius Maximiliani ad Draskovichium litteras, Idem Maximilianus Viennâ 4. Februarij Anni 1574. significat Draskovichio se in Bohœmiam cum Rudolpho Hungariæ Rege alijsque Filiis suis profecturum, ac in sui locum CAROlum Fratrem relinquere. Casparum Alapij in Socium, & Collegam Banalis Officij se resolvere, commendatque Regnorum horum Curam. XV. Item Aprilis Viennâ, mittit Draskovichio Budensis Præfecti, quem illi Passa vocant, Epistolam Lamentatoriam, quod in districtu Zachesna milites Croatici Castrum Balay agressi, omnia ferro & igne devastarint, multis captis & occisis, prædáque nec exigua ablata, de quibus informari vult à Draskovichio. Quid Episcopus responderit? ignoramus. 26. Aprilis commendat Draskovichio Confiniorum cúram præcipuè *Hrasztovicza*, cum Turcæ vi tota, irrupturi in Partes illas dicantur, ad sese vindicandum de Venetis, Hinc & Fratrem suum Carolum, quem affectum erga Confinia Croatica sciret, se propediem missurum, quem Draskovichio commendat. Prima Maj Irruptionem Turcarum ad Pertinentias *Sztenichniak*, & nostrorum excursiones *Kosztaniczam* versus nuper factas, se intellexisse Cæsar scribit, Laudat Draskovichij in excubijs diligentiam, hortaturque ulterius ad fortiter resistendum barbaris. Retinendos item, cum bona consolatione in sedibus suis subditos. Promittens crebriorem militibus solutionem. 28. Maij Viennâ, scribit Draskovichio Cæsar, Jacobum à Ramingen in Lieblachsperg, Supremum munitionum Magistrum & Consiliarium suum, se in Provincias has exmisisse. Commendat Draskovichio, ut in his rebus, cum Eodem Jacobo corespondeat, & ubi in Confiniis defectum aliquem depræhenderint, ipsum cumprimis emendent. In transmittendis tormentis, munitionibus, Jacobo adsit, Eum, securo Comitatu adjuvando. Providenda demum erga pretium victualia, commendat.

Viennâ Die prima Junij, scribit Maximilianus Draskovichió Quendam SOLYMAN Agam,

Agam, qui in Castello *Granijcza*, ante decennium ad Savum exstructo, proximis annis fuerat. Quo Castello fortuito combusto, cum in conspectum Bosnensis Præfecti Solyman venire non auderet, tuguriolo ad Savum ædificato, *Sisiensibus* insidiabatur, ab Ipsis tandem captus. Qui ubi sit? quærit. Prouti & *Curt Aga*: Item *Ferhatus Begus* in deserto templo Seleznai *med Jurissevom* capti, cum repetantur. Item Viennâ 8va Julij. Cum de Castro *Zizeg* non amittendo, magna esse cura debeat, ad preces quoque Zagrabiensis Capituli, militum, qui hinc inde dispersi vagantur, pars aliqua in Zizeg collocetur. ibique ordinariam Stationem teneant, ut inde, quo necessitas tulerit semper educantur. Operam in hoc Draskovichii, & quantus numerus dari possit postulat. Item Viennâ 10. Septembris: Nunciatur Turcas magno numero. Budâ, Pesthô, Strigoniô, & vicinis locis, jam ad partes Sclavoniæ exivisse, ac aliquid insigne moliri. Monet Draskovichium ut vigilet. Restaurationem Præsidii Capronczа, Litteris 19. Novembris scriptis, commendat mandans ut proxima Regni Congregatione, munitionis Ejus necessitatem exponat. Laboratores gratuitos per Constitutiones Regni publicas, jam decretos, quantum sine detrimento aliorum Confiniorum fieri poterunt, dent. Unusque ex quovis Comitatu Nobilium deputetur, qui insumendos Capronczæ Laboratores notaret. Baronem Jacobum Zekel Capitaneum Capronczensem, ad Congregationem venturum, ut in his mandatis per STATUS exequendis, Draskovichium adjuvet. 20. Decembris significat Draskovichio, Franciscum Filipovich liberationi jam proximum, à Cæsare, Fide defecisse ac apostatasse. Utve Turcis redderetur gratior, jactare se, Zagrabiam intra triduum à se occupandam. Videret proinde, vigilaretquè more suo Draskovichius. 26. Decembris scribit Maximilianus, Commissarios Bellicos, Gebhardum Peuscher à Leonstain, Confiniorum Sclavoniæ Consiliarium Bellicum, & Colomanum Schrat, eo fine se mittere, ut Ipsi, Ejusque militibus octo mensium stipendium in pano & pecuniis exolvant.

DRASKOVICHIUS autem de Dato 23. Decembris Cæsari significat. 1mò. Defectus, qui in publicatione Novi Bani intercesserunt. 2dò. Regnicolas moveri nequivisse, ut Laboratores Capronczam mitterentur. 3tiò. Nobilium quosdam moliri iterum, Turcarum deditionem. Ad quas litteras Respondit Imperator Die 5. Januarij Anni 1575. Quoad defectus, ex Cancellaria Hungarica responsa habiturum. Laboratores cum lege sanciti sint, in Confiniorum ædificationem absolutè convertendos. De defectione Nobilium miratur, *Cum inauditum fuerit hactenus, vel Croaticos Rusticos se dedere Turcis voluisse.* Committitque movendum omnem lapidem, ut ab hujusmodi Cogitationibus abducantur: talésque si moniti non resipiscant, capiendos jubet.

Hoc quoque Anno 1574. Cum CAROLO Principe Fratre Cæsaris, constituit Draskovichius, ut Capitanei tunc *Vaivoda* nuncupati, sub ductu suo, qui nobiliores sunt, ad summum 25. vel 30. haberent milites, *Haramias* vocatos, Ignobiliores ad hoc officium elevati, 10. aut 12. Causa ordinationis hujus à Maximiliano probatæ, deceptiones, fraudesque variæ officialium erant, qui damno Cæsaris, pro multis accipiebant salaria, cum tamen plenum suorum numerum nunquam tenuissent. Hinc profectum fuit, ut incauti quidam dicerent, se ad Turcas potius deffecturos. Quod Maximiliano Draskovich insinuaverat.

Anno 1575. (iterum Istvanffio nil recensente) statim sub Anni Principium Turcæ Czettin arcem depopulati sunt. significat hoc Draskovichius Cæsari Die 3. Januarii. Prouti & Agam Bichir, Christiana Sacra postulare. Respondet undecima Januarij Cæsar. Strenuè invigilandum, *ne hac inflatus victoria hostis* majora tentet. De Bichir videndum, num sincero postulet animo, aut spe duntaxat, obtinendæ libertatis, quemadmodum Filipovich scriberet, hoc solum fine, & ad speciem tantum, se apostatâsse. Junio tandem mense, intra *Hrasztoviczam* & Vinodol, non procul ab Arce Budichina, atrox nostros inter & Turcas prælium commissum est. Herbartus ab Aursperg, cum filio suo Cæsus, Joannes Voikovich plurésque Centurionum capti, totus denique profligatus, à Ferhate Custode Bosniæ, exercitus. Arces *Busin* Keglevichiorum: *Czassin* Episcopatûs Tininiensis: *Zrinium* Comitum Ejusdem nominis, in Turcicam potestatem redactæ. De quibus copiosius Lib. 25. Istvanffius. Rumor fuit Franciscum Filipovich cum Ferhate fuisse. Incertum hoc tamen est, estò: CAROLUS Archi-Dux Viennâ 19. Februarii Anni 1575. scribat Draskovichio: Inaudire se, Filipovichium in Turcica Confinia venisse, & exitium finitimis nostris præsidiis, nominatim Siscio, Ivanich, CRISIO minari. Invigilaret, indagaret proinde, an venerit? & cujus conditionis sit?

Pactas hoc eodem Anno, cum Turcis inducias, Mandata Caroli Archiducis Die 12. Septembris ad Banos expedita docent. Quibus Passam Budensem de conservanda inposterum pace, ac firmandis induciis per litteras suas *assecuratorias*, se denuo obligavisse. Jubet

Banos, ut suos strictissimè coerceant, à quibuscunque excessibus. Mittens copiam obligationis Passæ, idiomate Hungarico concinatam. Jam ad Filipovichium convertamur.

Franciscus Filipovich Captivus Constantinopoli, squalore carcerū, miseriisque, fractus jamjam eliberandus, à Cæsare & Religione defecit, impia Mahometi amplectendo. In circumcisione facta, *Mehmetis* nomen accepit. Satis superque pro eliberando eo, egit Antistes, ut tot Ejus testantur litteræ, ad Maximilianum exaratæ. Satis Maximilianus ipse. Profectò 1573. Die 11 Februarii ordinaverat Cæsar, partem æstimationis CURTH Agæ, pro Francisco Filipovich redimendo, applicandam: partem pro Joanne Virkovich, & Gabriele Babonossich. Qui, cum eodem Præposito fuêre intercepti. Et dum Ibrahimum sibi, Item Enningium (quem Ungnad ab Anno 1570 captum, detinebat) Mehmet restituendos ursisset. Maximilianus tres prædictos captivos suos, repetebat: Scribens si sibi per populum liceret, illico eos, & sine precio restitueret, sed certissimum secuturum tumultum, nisi his restitutis, sui quoque redantur. Secutæ dein his In partibus cum Turcis dimicationes, ob quas de Eliberandis captivis, agi nil potuit. Infelix miserque Filipovich, spe obtinendæ facilius libertatis (ut Cæsaris Epistola, paulo insinuata loqueretur) Mehmet fit. Quo animi sensu, hæc intellexerit Episcopus, adeo in Orthodoxa Religione fervens, facile intelligimus. Tanto sceleri, hanc pœnam posuit. 1mo. Excommunicatum, lato Anathemate, per universæ Diœcesis Parochias ad præscripta Basileensis Concilii, & Rubricas Zagrabiensis Ecclesiæ publicavit. 2dò. Mobilia universa, quæ in suis ædibus comperta sunt, Carnificis manu comburi jussit. Ædes Filipovichij, ad detestandum tantum facinus inijciendumque terorem spectantibus, *atro* deturpavit *colore*, fenestris, portísque fractis. Beneficium Canonicale in perpetuum extinxit, nullo ad hæc tempora succedente. Redditus Beneficii Canonicalis, pro *Organista* applicuit. Vineas duas, quas Filipovichius plantaverat, è fundamentis evelli mandavit. Indulgens, Præbendario S. Francisci vocato, ut illam, quæ in *Novovesschina* fuerat, Petro autem Heressinczio Lectori alteram, in loco Poberuh vocato, si voluerint possint iterum implantare. Prior vinea, hodie *Franciscus*: altera *Mehmet* appellatur. Hæc autem fecerit Episcopus ideo; ut oves suæ, exterioribus his, ab Apostasia deterrerentur. Facile enim plures Captivi esse, poterant, excursionibus Turcarum continuis existentibus. Quare non solum scelus Filipovichij Castigabat, sed servare alios procurabat. Mansit biennio ferè, Domus Filipovichij deserta, deturpata. Postea Anno nempe 1576. Fundum illum, pro scholis, erigendòque Clericorum Seminario (quod antea Domi suæ, servabat) convertit applicuit. Hodiedum Seminarium (in quo humaniores scholæ traduntur) Cathedralis Ecclesiæ Zagrabiensis Clericorum, ab atro videlicet colore illo, *Cherna Skola* idest *Schola nigra*, vocitatur, audit.

Rebelles conpescuit Draskovichius: Equidem Anno 1573. Plebs rustica repentina in Dominos seditione concitata, quod se in tolerandis servilium operum Laboribus ac pecuniariis exactionibus supra vires & æquum gravari lamentaretur arma sumit, initio ducto in regione illa, quæ *Savam* inter & *Colapim* est. Propositum fuerat Nobilium domus expugnare, consumere flamma, dissipatisque rebus, delere funditus. Ipsos denique Nobiles capere, cruciare, occidere. Ad Decem hominum convenêre milia. Georgii Punek in planitie Szamoboriensi sita domus, temerarii ausus fit victima. Ipséque occiditur, cum pluribus alijs, qui in manus inciderant. Cum ad *Savum* venissent, missi ad Carnioliæ, Stiriæque rusticos, horum nomine nuncij, Nicolaus Pozebecz, & Vincentius Lepoich, qui illos, *ad Libertatis* ut dicebant bellum, provocarent. Factum istud à nuncijs, relatúmque rebellibus, quod dum trajecto Savo, ad Varasdinensem Campum pervenisse eos intellexerint, ij confestim consociabuntur. Itaque trajecto *Savo*, Szomszedvariensem Provinciam, villásque cumprimis Francisci Tahij oppresserunt. Reliquas item Nobilium ædes, Prædia; rapinis igne desolârunt. Ad *Termas Szdubicenses* congregati, Mathiam Gubesz audaciorem rusticum, Regē salutârunt, proclamarunt conditione ea, ut cum libuerit eligentibus, deponetur. Damna maxima, rapinis incendijs causata. Sclavonia in extremis periculis, à Turca ex Confiniorum parte: à seditiosis in Zagoria. *Draskovichius* indictis commitijs, Nobilitatéque Zagrabiam evocata; quid agendum consultat. Scribitur Herberto ab Aursperg, sed is, absque permissu Cæsaris, negat sucursum. Viennam igitur Simon Keglevich & Joannes Berzei sine mora expediuntur. Interea Gubesz Arcem *Sztubicza* occupat, suos præmiat, libertates largitur. Tollit nempe tributa omnia, Decimas abrogat, & dividenda æqualiter omnia spondet. Verbô, quod occurrit cuipiam, permittit, promittit, pôllicetur. Ex quo major undique ad eum plebis accessio. Periculum tantum considerans Draskovichius, Cohortes quæ ad præsidium colapis publico Regni stipendio alebantur, *Haramias* vocatos, constituit, creditis populo Sisciensi Colapianis partibus. Nobilitate

litate item provocata, ante nunciorum reditum, temerarijs ausibus obviandum censuit. Mathias Keglevich, & Casparus Alapi reliquis Præpositi, qui 800. Equites numero, pedites mille fuerunt. Animadvertens horum adventum Gubeszius, ad pugnam suos, sermone vehementi hortatus est. Primi itaque in Dominos suos irruêre, ut quosdam Nobilium trucidârint etiam. Sed in medium acti, ad extremum Nobilitas ut causa, sic armis potior ac superior evasit. Cæsi plurimi, capti permulti, reliqui fugati dissipatíque. Sævitum in reos vehementius, ut patibula, quercus pyrus aliæque arbores, supplerent. Opiniones hominum variæ, de tumultu fuerunt. Clandestinis *Ambrosij Gregorianczi* Consilijs Concitatos, fama ferebat: quia Tahio inimicaretur. Alij à Turcis inflamatos volebant. Res tamen in publicum nunquam prodijt. Ex reorum examine, Eliam Gregoricz & Gregorium Gozetich, cum seditionis Authores compertum fuisset, Draskovichius! una cum supradictis Nicolao & Vincentio nuntijs Viennam examinandos submisit. Ubi examinati fuêre. Ac prima Januarij (Ex Epistola ad Draskovichium data colligitur) remissi sunt, *ut ubi peccaverunt, ibidem punirentur.* Gubeszius Dux, Rex, scelerati exercitus, prima ignorabat consilia. Andrea Passanecz Legato suo, capitali supplicio sublato, Ipse ignitis forcipibus laceratus candenti corona ferrea redimitus, ac in quatuor frustra dissectus, meritas sceleris, & usurpati Regij nominis pœnas solvit.

REGEM in Regnis firmavit. Neque solum ijs, quæ supra retulimus, At manifestata conjuratorum in Regem proditione. Anno igitur 1568. Transylvaniæ Vaivoda Joannes, nonnullos. Hungarorum ad proditionem solicitavit. Multíque subscripserunt. Georgius Bocskai, simulatione visendi Jeremiæ filij, qui intra Clientes Georgij Draskovichij Eppi Zagrabiensis versabatur, peragrata majori Regni parte exploratísque animis, Zagrabiam venit. Tentat Draskovichium, Joannis offert Litteras, spes facit amplissimas. Pandit omnia. Rogat Sclavoniæ, in scelus proceres. At Draskovichius, temeritatem arguit, ad debitam Cæsari fidem, orat, obsecrat. Bocskajúmque dimittit. Universa Maximiliano Primus omnium aperit, pandit: Joannis Litteras, tam sibi, quam ad Status scriptas, Cæsari substernit. Hinc Timon *in Epitome sua Cronologica* injurius admodum est Draskovichio, dum scriberet: *Franciscus Tahius . . . ad defectionem tractus est. Quin nihil propius factum est, quam ut Georgius Draskovichius Episcopus, ijsdem retibus cum Vidua Nadasdy Palatini teneretur.* Nil commemorat, unde hæc notitia sibi. At perperam sane. Nisi rediens fors Bocskay, ut similes adsolerent, ad decipiendos alios, talia de Draskovichio sparsisset. Is primus fuit omnium, qui malesana & nefanda Consilia Regi aperuit, uti Epistola ad Draskovichium 1568. scripta testatur. Ac in tantæ fidelitatis prœmium Arce Trakostayn cum fundis eo pertinentibus, GASPAR Episcopi Frater, donatus est, ob merita (ut Maximilianus in ea Donatione) Georgij Præsulis, in nos Patremque nostrum. Quis porro credat, si complex sceleris fuisset Draskovichius: ut præmietur Castro. Ut Banatum sustineat. Ut gubernet provincias. Ut ad majores elevetur dignitates. Unde quæso! uni Timon hæc innotuêre, & reliquis omnibus, fuêre ignota, Inferius, Virorum testimonia de Draskovichij virtute producimus, S. Pij V. superius produximus, quod eo Anno scriptum, ac post publicatam proditionem. Ego sane, Pij V. Maximiliani Cæsaris, tantorúmque aliorum Virorum testimonia, anteponenda Timoni censeo. Proinde cum Art. III. Anni 1569. firmetur Subditorum in Regem devotio, *Regem* Regnis servavit firmavit Draskovichius. Addenda Quæ Clarissimus Istvanffius testis præsens, Lib. 25. fol. nobis 342. commemorat, de Comitijs Anni 1582. ita concludens: *Postremo cum se Draskovichius Jaurinensis, ac Radetius Agriensis Episcopi, ac plerique e magnatum numero, qui Cæsaris Consiliis a ibibebantur, partes suas interposuissent, proque Cæsare omnia æqua & honesta, ac tolleratu haud indigna promisissent, oblato ab Ordinibus ad biennium subsidio, ac ijs quæ ad Confiniorum tutelam contribuenda erant, ita contentioni querelisque finis impositus est.*

JUSTITIAM docuit. Perhibent hoc late tot, in foris sententiæ. Leges constitutæ. Sublatæ miserorum oppressiones. Mensurarum instituta æqualitas. Decreta in favorem subditorum scripta. Confirmata antecessorum Episcoporum indulta. Quæ tanta apud Episcopales Subditos est cernere. Imo pervolante fama de Draskovichij justitia, incolis impleta sub eo Sclavonia. Dicam amplius. Rusticæ seditioni Ansam præbuisse Episcopum, illi loquebantur. Qui subditos suos oneribus exsugebant. Anno namque 1568. Suorum Officialium excessus sustulit, subditósque à quibusvis novis oneribus liberavit, Judicijs suis octavalibus. Eberhardum, ac Osvaldum imitatus.

Inoleverat istud: ut Vice-Banorum, Proto-Notariorum, Vice-Protonotariorum, Vice-Comitum, & Judlium, verbo omnium, qui Comitatus gerebant officia, subditi: à Laboribus publicis, Contributionibus, alijsque oneribus imunitarentur. Ecclesiæ Præterea Prædiales, & Libertini Procerum, ex Privilegiis & Lege eximebantur. Processit isthinc, ma-

gnum in reliquos Regni incolas onus, dum ipsi universa suffere, pro alijs supplere cogebantur. Præcipue adeo, ut vidimus, fatalibus temporibus, quibus roboranda erant confinia, resistendum hostibus, commeatus ducendus, Laboratores gratuiti impendendi. Sed neque beneficium ullum sensère, præmissorum Comitatensium Subditi. Quin novis novisque premebantur oneribus, pro suorum Dominorum avaritia, cùm in vicem stipendij sui, talia suorum rusticorum onera extorquerent, sese uti volebant exolverent. Summa hinc rusticorum lamenta. Defectiones frequentiores. Desertarum occasio. Turcici potius jugi desiderium, Spontanei è Patria tantorum recessus. Morem hunc sustulit Draskvichius, Labore immani, Invidia avarorum. Patriæ felicitate, miserorum sublevamen. Ac ut res firma perpetuo esset, absens licet à Comitijs, effecit, ut Articulo II. Anni 1574. tolleretur. Articulus ille satis innuit, rem per prædictos, defensam fuisse. Sed totius Hungariæ sententia, sublatam.

JURIUM Ecclesiæ defensor fuit Strenuus. Anno statim 1567. Avita Prædialium Ecclesiæ Privilegia (de quibus Cap. VIII.) Articulo XIV. Anni ejusdem confirmari procuravit. Maximè ob VIII. Anni 1566. Articulum, quo exemptiones antiquæ abolentur. Quare ne irrita evadant Privilegia Ecclesiæ, Art. illi per XIV. Anni 1567. obviatum. Ubi Prædialium, à Libertinis distinctio, Illi, ijsdem prærogativis semper usi, quibus alij possessionati Nobiles, dicuntur: hinc & eximuntur. *Hi* ut xemptionem à sua Majestate obtineant, commendantur. Illi ab olim esse ibidem supponuntur. *Hi* à Dominis suis terrestribus exempti, facti declarantur. Ut *Trans Colapiani* exemptionem obtineant, Egit Episcopus. Ad Regni tamen Sclavoniæ conventum, petitio remissa. Teste XIII. Articulo. Capituli sui jura egregiè tuebatur, tot extantibus memorijs. Anno 1567. dum Mathias Keglevich Siscienses Capituli Subditos, ab usu sylvarum Castri sui *Blinya* arceret, varijs gravaminibus & exactionibus, quas inponebat, ut Coloni Siscienses necessitate cogente, abitum cogitarent, Draskovichius Maximilianum admonuit, supplex pro Sisciensibus, quorum virtute, Pars illa Regni staret, ut nec Keglevichio, quod neget, esset: Si ab illis locus non defenderetur. Vetat igitur Maximilianus Mandato suô Posoniô 29. Julij expedito 1568. non admittit Subditos Capitulares, contra tot rescripta Regia, Dicari. 1575. Instante judicio, ratione telonij Capitularis, per Civitatem occupati, cum Bani Draskovich vigore Privilegiorum Civitas deprecaretur, observavit Draskovich Privilegium Belæ Regis 1266. Anni, non loqui de causis contra Civitatem motis, sed tantum contra privatos. Qua super re, consultus Cæsar, Respondit: *Privilegia & Libertates Civitatum, cum Regni Hungariæ legibus concordare debere, & cum quis à tota Communitate injuriatus est, Coram præsentia suæ Majestatis aget, cum à privatis, coram Civitatis Magistratu.* Itaque Draskovich, *judicatum* stabilivit sententiam tulit, & ad *Curiam Regiam* misit.

Anno 1570. Quô tanta erat Sterilitas & penuria, ut ad pellendam famem, ad inusitata conficiendi panis, ac eduliorum genera homines adigerentur, exindeque pestilentes morbi emerserint. Magna primũ Eppi eluxit Charitas, nã sua omnia, in pauperes errogavit, ut Pater Patriæ, & pauperum sit compellatus. Dein Comitatus Szaladiensis Decimas (quæ ob injurias temporum, & hostium incursiones ad nihilum ferè redactæ fuerant) svadente Eppo, ea Lege Capitulum Regi locaverat, ut finito triennio, Libera dicatio permittatur Capitulo, quod futurum Cæsar significavit. Banffius alijque, in Comitatu illo Nobiles, contractus veteres objiciebant. Sed responsum, *1mò.* Contractus illos, servare illos hactenus noluisse. *2dò.* Non accedente consensu Regio, & Summi Pontificis, Canonici jure Decimandi Capitulum privare, nequivêre. *3tiò.* Articulos, 27. Anni 1569. Item 8. 1553. proponebant. Hinc Præsidio *Kanisa*, cum Vicinæ illæ Decimæ fuissent, aquiescendum Banffio fuit. Magnum sane, prudénsque Consilium hoc, Draskovichij fuisse, res ipsa docuit. Christophorus Ungnad, Arcium Agriensis & Varasdinensis supremus Capitaneus, à Patribus Franciscanis de Observantia Conventus Varasdinensis, Possessiones duas Alsó- & Felsõ Kocsan (quas nunc Collegium Varasdinense PP. Societatis JESU possideret) census annui titulo acceperat. Sed nec censum neglectum in 400. fl. Hungaricalibus exolvere voluit, nec Villas reddere. Prætendens Bonorum incapaces *Fratres minorum* esse. Villásque ad Arcem se applicaturum. Recurrunt illi ad Draskovichium, qui re Maximiliano perscripta, ne istud pateretur exorat, cum res scandali foret. Nec pauperes, sumptuum defectu, vel judicem vel advocatum haberent alium, ac Apostolici Regis pietatem, nec Lege provisum haberetur, Proinde Rex, Lex esset. Mandat itaque Cæsar, neglecta persolvi. & possessiones illas, pro Conventu recipi. Quod & factum, Festo S. Margarithæ 1572. per Joannem Petricsevich de Miketyncz Vice-Proto-Notarium, Christophorum Paris de Kapolna, & Georgium Madarász Judlium Cottus Varasdinensis.

Her-

Herbartus Baro ab Aursperg Anno 1575. paulo ante suum obitum, persuaserat Regi, ut Dominium *Szunichniak* à Comitibus de Nádasd, pro Generalatu emeret. Agebatur res cum Nadasdio, nec disponi voluit, nisi antea obtento, tam ampli Dominij cambio. Cæsar mandat Viennâ 16. Maij Draskovichiô, moveret Nadasdium, ut cum pro publica necessitate Dominium suum applicaretur, Triginta milibus pro Eodem accipiendis, contentaretur. At cæso Auspergio, nil fuit agendum Draskovichio.

Anno 1572. RUDOLPHUS Maximiliani Cæsaris Primogenitus in Regem Hungariæ eligitur, & 25. Septembris Posonij coronatur. Maximilianus in Comitijs Ratisbonensibus 1576. IV, Idus Octobris moritur. Turcæ neglectis induciis Gvozdanszko oppidum non multum Zrinio dissitum, ac ab Argenti fodinis olim celebre vastant. Anno 1577. Quo eodem Anno Præsidium in territorio Dubovacz inter Colapim, Dobram, & Mresniczam amnes, impensis CAROLI Principis, Cæsaris Rudolphi Patrui, è fundamentis erigitur, ac Carolostadium nominatur. Primus loci, & Copiarum Præfectus Joannes Terenberg, Segniâ translatus, constituitur. Indicuntur ad Kalendas Februarij Posonium, publica Regni Comitia. Quibus

GEORGIUS Draskovich Anno 1578. à morte Joannis Listhy, ad Jaurinensem Ecclesiam, per Rudolphum collocatur. Regnique Cancellarius declaratur. Cupiebat Cæsar, exorabat Zagrabiensis Ecclesia ut *Administratoris* titulum reservaret. At Religiosus Episcopus, plura Beneficia renuit. Itaque Christophorum Ungnad in Banatum Successorem obtinuit, tardius autem, finitisque Comitijs, quod permovendus ad retinendum Zagrabiensem Episcopatum putaretur, in Sede Zagrabiensi Joannem Monoszlay.

VARIANT Scriptores de Anno, quô, Draskovichius Titulum Archi-Episcopatus Colocensis (cum Colocia heu! per Turcas vastata, & captiva luxisset) est consecutus. Errant omnes, qui istud ad Rudolphum, & Annum 1578. aut sequentes statuunt. Quoniam si fides Litteris Regijs, expeditionibus publicis adhibenda, Draskovichius 1573. aut sub finem Anni 1572. Titulum Archi-Episcopi Colocensis obtinuit. In omnibus enim, quos copiosiores vidimus Draskovichij ab Anno 1573. inclusivè, Titulis ita Legimus: *Georgius Draskovich, miseratione Divina Ecclesiarum Baccienssis & Colocensis electus Archi-Eppus, Zagrabiensis Eppus, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæque Banus, ac Sacræ Cæsareæ Regiæq; Majestatis Consiliarius.* Quin Reges Ipsi, Regia Cancellaria, Camera, hos ei Titulos dedisse ab Año 1573. cōperiuntur.

Bene igitur in *Compendio Archi-Eppi. Strigonien.* Tyrnaviæ 1752. editorum fol. 112. *Georgius Draskovich*, Colocensis, *Joannes de Monoszlo* Quinque Ecclesiensis. *Joannes Listius* Jaurinensis, scribuntur. Et à Gregorio XIII. Die XV. Maij 1573. confirmati.

Temporibus Ejus hæc Banorum memoria. PETRUS Erdödius. 1566. mortuus. Post hunc GEORGIUS Draskovich Eppus. Ad Annum 1578. Franciscus Szlunius, Banus, aut Draskovichij Locumtenens fuerit? dubium est. Cum in monumentis, utroque lagatur nomine. Nos re perpensa credimus, primò associatum sibi à Draskovichio fuisse, dein à Maximiliano confirmatum. Obijt XI. Decembris 1572. Ætatis 36. Vide Epitaphium Ejus, Parte II. Datus dein Collega Draskovichio Casparus Alapi, ut superius monuimus. *Joannes Forchich* de Buthynovecz Vice-Banus. *Emericus Petö* de Hethes Protonotarius. *Joannes Petricsevich* de Miketyncz Vice-Protonotarius. *Petrus Ratkay* de Ratka Capitaneus Gentium Suæ Majestatis. *Petrus Orehoczi* Vice-Comes, *Georgius Spanich* Vice-Comes. *Joannes Kuskoczi* Judlium. *Blasius de Kazohari* Fiscalis Regius. *Christophorus*, *Marcus Mathias*, *Orsich* de Zlavetich alias Orsichgrad vocato. Emericus Huzi. Nicolaus Zloboscsini. Stephanus Mindszenti. Stephanus Kapitanffi. Pluresque alij. Familia *Giulay* cujus antea *Trakostayn*, & *Vinnicza* fuerant 1566. defecit in masculo ex Sententia Fororum, Vinnicza ad Fœmineum sexum devoluta, *Trakostayn* Fisco Règio, dein Draskovichijs obtigit.

Nomina Canonicorum Zagrabiensium.

Præpositus Major. Joannes Monoszlay. *Lector.* Christophorus Mikulich. 1569. mortuus. dein Petrus Heressinczi. *Cantor.* Joannes Dombrinus. Commissarius ad Metarum revisionem & rectificationē versus Stiriam. Vide Art. 42. 1569. *Custos.* Georgius Heressinczi 1574. mortuus. Postquem Valentinus Napulli, *Præpositus Chasmensis* Franciscus Filipovich. Post hunc, Nicolaus Zelniczey, *Archidiaconi Cathedralis*, Georgius Petrovinai. *Dubicensis.* Martinus Zempchinus. Annò 1565. Decanus, post hunc Antonius Vramecz invenitur. *Chamarcensis.* Stephanus Leporinus. *Goricensis.* Joannes Xanthus. *Kemlek* Thomas Vereczey. *Vasca* Nicolaus Dusnych. *Chasmensis* Mathias Dombrensis. *Bexin* Nicolaus Zelniczey, postea Antonius Vra-

mecz. Historiæ, Concionum Scriptor, & Parochus Ecclesiæ S. Marci Liberæ Regiæque Civitatis, Montis Græcensis Zagrabiensis. *Varasdinensis.* post Antonium Vramecz, Georgius Wyrflel. *Urbocz* Paulus Zegdei. *Canonici.* Christophorus *Grangya.* Paulus *Kralioczi.* D. *Petiniensis* Episcopus. Mathias *Varasdinus.* Caspar *Ztankovacbki* Abbas de Topuszka. Michael *Brumanus,* Georgius *Trulya* est in studio. Canonicatu privatus. Ambrosius Pupchich, Philippus Zedinich, Michael Grabantich, Joannes *Dombrensis.* Nicolaus *Mikaczius* est in studijs. Michaël *Jagussich.* Ladislaus *Kerben* licet senior, ultimo tamen loco ponitur.

Præbendarij Ecclesiæ Zagrabiensis.

Mathias de Filarkis.	Georgius Zlobocsini.
Paulus de Kudowz.	Vincentius Persich.
Nicolaus Rudnaij	Georgius Jansechich.
Blasius de Chasma.	Georgius Zlivarich.
Bartholomeus Husztarich.	Georgius Hoziak.
Georgius Franchich	-- -- Vacat.

Porro Georgius Wyrflel. Parochus Loci, sive B. V. M. de Zagrabia & Canonicus Zagrabiensis, in Anno 1572. Carmen Saphicum, cujus superius meminimus, *Viennæ Austriæ ex Officina Caspari Stainhofferi* sequens edidit. Quod tum, quod rarum esset; tum quod Draskovichij gesta confirmet, Damus.

CARMEN SAPPHICUM.

Ad Reverendissimum D. D. Georgium Draskovich, Episcopum Ecclesiæ Zagrabiensis, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæque Banum, Sacræ Cæsareæ Regiæque Majestatis Consiliarium, & Dominum suum Colendissimum

Georgius Wyrflel. P. L. Canonicus Eccl. Zagr.

DIcat Augustum celebrem, potentis
Imperi rebus, celebrem triumphis.
Pace felicem numerosa Musa
Vatis Horati:
Non moror. Donis celebrem beatis
Ipse ego dicam, celebrem stupendis
Præsulem factis, populi benigno
Pectore patrem.
Præsul illustris celebrande nostro
Barbito, Præsul venerande nostro
Pectore & vultu, meliore semper
Omine salue.
Ipse præclaris meritis salute
Digne cœlesti, patriæ salutem
Qui tuæ reddis, meliore semper
Omine salue.
Sed quid ingressus mare fluctuosum
Differor? quo se mea cymba vertet?
Quid prius dicam, mihi tu benigna
Dic mea Clio.

San-

Sanguinem clarum, ſtudium Juventæ,
Et viri vitam, varios labores,
munera & curas, titulos, honores.
Ordine narra.

Sanguinis clari, Venerande Præſul,
Pignus, antiquo ſoliti vocari
Draſcowyth fama ſuper aſtra longè
Nomine noto.

Draſcowyth nomen ſpacioſus orbis
Novit, hoc clarum proavi, paterque
Tu, tui fratres meritis habetis
Clarius amplis.

Hîc tuum clarum taceam parentem,
Cujus eſt ingens labor atque Virtus
Karlowyth Bano, miſeróque toti
Cognita Regno.

Fratrem Joannem taceam tumultu
Martio inſignem, Getico peremptum
Enſe, dum Chriſto patriæque fidis
Militat armis.

Caſparem fratrem taceam potentem
Subditis, caſtris, domibus ſuperbis,
Ære, præclaris titulis & armis,
Milléque rebus.

Te Pater dicam patriæ, tuæque
Exequar primæ ſtudium Juventæ,
Per tuas laudes gradiar licet te
Impare Muſa,

Ut tibi lucem ſuperi dederunt,
Nil tibi majus fuit aut ſecundum
Quam tua vita & pietate Divum,
Querere laudem.

Undè te extemplò ſtudijs dediſti, &
Artibus, quarum medio paratur,
In Deum fervens timor, & cupido,
Cognitióque.

Aurea, & rerum venerans parentem,
Ipſe quæſiſti properè ſecundas
Omnium rerum nimium latentes
Noſcere cauſas.

Non secùs quàm vel volitat per herbas
Floridas, dulces apis ut liquores
Hauriat, formica vel ut futuro
Providet ævo.
Sic memor seræ quoque tu senectæ
Debitus rebus gravibus gerendis
Litteris temet puerum tenellum
Ritè dedisti.
Te Scholæ multæ stupuêre, tantas
Ingeni dotes, facilemque venam
Mente miratæ, tibi prisca Gracchi
Sita polono.
Urbs solo, quondam celebre lycæum
Detulit primam sophiæ coronam.
Hinc Varadinum te habuit Magistrum
Agmine cinctum.
Pubis extento, varíisque sacri
Te chori ornavit titulis supremus
Urbis Antistes, tibi semper omni.
Affectus amore.
Te quoque ingenti numero Vienna
Audiit clara Methodo docentem,
Syderis cursus, tacitásque miro.
Ordine causas.
Ac tibi summâ sophiæ coronam
Contulit magno comitante cætu,
Sed novem es visus meliore dignus
Monte Dearum.
Hinc Scholas multas etiam petisti
Italæ terræ, rediens Bonarum
Artium plenus, Patriæ cupisti
Vivere terræ.
Nonne te clarus pietate Olahus
Rebus admovit gravibus, tuaque
Usus est prudenti opera, tuóque
Sæpe labore?
Quid novem te Posonium per annos
Nonne Præpostum coluítque jasso?
Præsulem Quinque Ecclesiæ fidelem
Te coluêre.

Te

Te sua Cæsar pietate notus
Ille Ferdinandus voluit ministrum
Imperi, Regni, populíque magnis
Jungere rebus.

Te sibi junxit comitem, tuísque
Suasibus multum fuit usus, atque
Quod tibi sensit placuisse, gessit
Fortibus ausis.

Hinc piè vixit, variísque pressam
Cymbulam Petri Furijs procellarum
Ipse protexit, pietate clarus,
Te Duce Cæsar.

Te Tridentinæ Synodo Oratorem
Misit, hic magnis ubi rebus ingens
Suasor & sanctæ columen fuisti
Religionis.

Hic ubi es tanta gravitate, tantis
Floribus, tanta pietate, tanto
Omnium patrum & populi stupore
Tanta locutus.

Te pius Cæsar titulis honorum
Gratia donis decoravit amplis,
Ipse si vitam superi dedissent,
Plura daturus.

Nec tamen gratus placidi Monarchæ
Cessat ingentem tibi ferre amorem,
Patris in morem tibi fert & amplos
Donat honores.

Te Pater nobis dedit esse summum
Præsulem gnatus dedit esse Banum
Judicem summum, dubio Ducémque
Tempore Belli.

Præsul indoctas sapiente verbo
Edoces gentes, facis & salutis
Nos refertorem pietate vera
Noscere Cristum.

Judicis ritu sapientis atque
Candidi, justis populum gubernas
Legibus, quo suis oculo irretorto
Inspicis actus.

Banus hostiles prohibes cohortes,
Turcicæ gentis, reprimis furorem
Hostis insani, fluvios & arces
Robore firmas.
Vidimus multos fugere hinc colonos,
Exules terra patria relicta
Ad lares sed, te veniente, rursum
Huc remeare.
Vidimus multas propius venire
Partis adversæ temerè cohortes,
Sed citò nostræ dare terga parti,
Te Duce Præsul.
Tu faves spretis nimium Camœnis,
Barbaros pellis numeros, facisque
Nos tibi plectro nitido Latinum
Reddere carmen.
Es pater claræ patriæ, paterna
Unde te Tellus meritò supremis
Laudibus donat, tibíque ampliores
Optat honores.
Atque non fallor, monuit me Apollo,
Sunt tuis tantis meritis parata
Prœmia (& non est mora longa, crede,
Splendidiora.
Sic tibi semper meliora fata
Jupiter jungat placitus peractis,
Et tibi letum pylios in annos
Proroget ævum.
Sic mihi Divi quoque dent benigni
Vivere & tanto Domino, pioque
Præsuli servire, novásque semper
Dicere laudes.

Ad Jaurinensem translatus Ecclesiam, Quid fecerit? ignoramus quidem, Divinus tamen Vir, quid? nisi, bene fecit omnia. Synodum 1579. die 2. Augusti Sabariæ congregavit. Teste Laurentio Karolyi *in Speculo Jaurinensis Ecclesiæ.* Munificum in Ecclesiam Jaurinensem eum fuisse, narat. Constitutiones Capituli illius confirmasse, Possessionem Kony donâsse Præposito, commemorat. At studium illud, quod Rudolphus adhibuit, ut Draskovichius Purpuratorum Patrum Sacro Collegio adscriberetur, Facta à Rudolpho, Draskovichij in summum Regni Cancellarium (Vacabat Strigoniensis Sedes) imo in Regium per Hungariam Locumtenentem, elevatio: satis loquuntur, quæ Draskovichius in Jaurinensi Sede fecerit? Quæ in Cancellarii munere? Grata Benefactoribus suis Societas Jesu, agnoscit, confitetúrque;

Drasko-

Draskovichij Patrocinio, precibus; Præposituram Thurocziensem, Anno 1586. à Rudolpho Cæsare, sese obtinuisse.

Sixtus V. Pontifex Maximus, Anno salutis nostræ 1585. Pontificatus sui Anno I, Mercurij Die, ac XV. Kalend. Januarij, inter octo Cardinales, loco altero, Georgium Draskovich Comitatus Baraniensis Perpetuum Supremum Comitem (uti Legere est in Ciaconio) S. R. E. Cardinalem Presbyterum S. Stephani in Monte Cœlio, creavit. Quot gaudium Cæsari? Quot Archi Ducibus Austriæ fuerit? Quot Hungariæ toti? scriptum reliquit Istvanffius *lib. 26.* Allato enim, per Casparem Bononiensem Patricium, e Familia Arinorum galero Purpureo, ac nomine summi Pontificis, in templo D. Augustini de manu Casparis Episcopi Viennensis accepto, sacris Cæremonijs adesse voluerunt Ac pro sua in Cardinalem benevolentia; ERNESTUS, MATHIAS, & MAXIMILIANUS Archiduces, diem totum cum eo agere, domique ejus, prandere dignabantur.

Tandem dum rebus necessariis comparandis, ad Romani itineris (vocabatur enim ad Urbem à Pontifice crebrius) ineundi, operam impendit, gravi dysenteria oppressus Viennæ Pridie Kalendarum Februarij, Anno 1587. ad Cœlos translatus, susceptúsque, Vir DEI est. Lugebat orbatum se tanto Viro Cæsar, dolebant Panoniæ Proceres, *Qui EUM* (sunt verba Istvanffi) *propter singulares corporis animique dotes, plurimum amabant* Corpus ad Basilicam Jaurinensem delatum, ibidem in tumba stannea conditum est. De qua post centum Annos Lavacrum refusum (Laurentio Karolij attestante) Sacerdotibus servit in Sacristia. Tanti præsulis memoriam exigens, admonensque: Draskovichianæ puritatis, quam, vita, moribus, Religione, Doctrina, Fide, illibatam servavit, ita DEO Sacrificium offerentes, loti, purique: ad Altare accederent. In illa, versus sequentes est legere:

Purpurei Patris texi, centum ossa per Annos,
Jam lavo sacratas, tumba refusa manus.

Videre quoque in eadem Jaurinensi Basilicâ est Lapidem, cum Inscriptione sequenti.

GEORGIO DRASKOVICS. S. R. E. TIT. S. Stephani de Monte Cœli Pres. Card. Archi-Ep. Colocen. Episc. Jaurinens. & Comiti, S. C. R. M. Consilij per Hung. Locumten. Prius Episc. Quinque Ecclesiens. ORATORI in Con. Trident. Episc. Zagrabiensi. Dalmat. Croat. Sclav. Bano. per Hung. Cancell. Avunculo suo, Munijs vitaque defuncto pridie Cal. Feb. MDLXXVII.

In medio est insigne cum Grypho, globum anteriori pede tenente, ac inferius hæc incisio.

GEORGIUS DRASKOVITS Episcop. Jaurinen. & Comes, Abbas Pornen. Cruciger Sopronien. S. C. R. M. Consil. Pronepos. Veteri monumento à Turcis labefactato, novum posuit. pridie Cal. Feb. MD.CXXXVII.

Scimus à Timone Annum 1588. mortis, Cardinalis hujus statui; sed non solum præmissa Inscriptio, at & Scriptores allij Annum 1587. produnt. Et cùm 1588. sub Anni initium, Publica Comitia Posonij finem acceperint, Idem Timon dubium posuit, *Viennæ* vel *Posonij* objerit, est tamen certum, *Viennæ* mortuum. Quare Timoni non deferendum.

In CIACONIO Legimus. *Præter familiæ scutum, duo gessit propria insignia GEORGIUS noster Cardinalis, in quorum uno duas Columbas, ad fructum jugum devinctas, cum dicto ? CONTRITUM. AT NON LIBERATÆ. In altero vero leonem, cum animalium membris ante se fusis, & lemmate DISPERSIT. PAUPERIBUS.* Inter reliquas Laudes Ejus, est ibidem de Draskovichio Cardinale. *Eximia doctrina, ac Eloquentiæ Vir.* Enaratisque Ejus Dignitatibus, Officiis, subdit: *Qui antequam in Urbem veniret, Cardinalitium galerum suscepturus, ex Petramellario pridie Kal. Februarij 1587. Viennæ obiit, & in Cathedrali Giavarini Ecclesia sepultus est.* Vim eloquentiæ

Histor. Balth. Kercselics.

P. Fr. Georgius Nagy Generalis Vicarius Remethæ invenitur. Et Petrus Hoyzich Parochus in Petrovina. Comitis Thomæ Erdöédi Anno 1583. hunc Titulum invenimus. Thomas Erdœdi Comes perpetuus montis Claudij, L. B. in Okich, Czezarvara, Lipovcz & Dominus in Metlica. Quo postremo, Qualiter usus? satis indagantes, necdum comperimus.

LII.
PETRUS I. HERESSINCZY.

Bononiæ studuit, & Studiosus, Collegio Canonicorum Zagrabiensium adscriptus, dum gesto quoque Collegii illius Rectoratu, in Patriam redivisset, post diversa Capituli munia, Præpositus Major, & Tininiensis fuit Episcopus. Præter Theologiam, Juris quoque scientiam Bononiæ comparavit, ut in hac, celebris haberetur. Primus intra Prælatos, qui *Judiciis Posonienfibus & eorum Apellationibus* examinandis Art. V. Anni 1582 designantur, Petrus Heressinczi (quem quidam Heressenium scripsêre) est. Draskovichius multùm Ejus opera usus est: Quod plurimum profuit, valuitque ad virtutis suæ præmia, consequenda. Mortuo igitur Joanne Monoszlay, Petrus *Pragæ* à Rudolpho Zagrabiensis Episcopus declaratur Die VIII. Martii Anno 1585. Quam Ejus Promotionem significat Capitulo Rudolphus. *Nos* inquiens *ex certis causis, Episcopatum Zagrabiensem*, cum annexa illi Abbatia de Topuszka, Petro Heressinczi Episcopo Tinninienſi contulimus Mandamus ut ei omnia Bona Possessionaria Episcopatus, per Vos hactenus ex concessione nostra administrata, & res mobiles cum Inventario assignetis, & rationem de administratione facta ei detis. In Arce Pragensi Die 8. Martij 1585. RUDOLPHUS. *Georgius* Archi-Eppus Colocensis & Administrator Jaurinensis. Liquet hinc, ad diem XV. Kalend. Januarii (quô Cardinalis fuerat resolutus) Anni 1585. mortem Georgij Draskovich, collocari nequire. Quod Szent-Ivanius scripsit. Alijque post illum. Extat quoque Georgij Draskovich, *ad Capitulum* Epistola, Pragâ 18. Junij scripta, 1585. Quâ Davidem Rettgartler, Fratrem Petinensis Episcopi, pro Collegio Bononiensi commendat, ut propterea mors Draskovichij ad hunc Annum statui nequeat.

Post sui in Episcopum promotionem, ad Rudolphum evocatus fuit Heressinczius. Et Draskovichium in munere Cancellarii adjuvit. Quo factum ut Abbatiam de Giak 1586. consequeretur. Mortuóque GEORGIO Draskovich, in Cancellariatu successit, quin & JAURINENSEM Episcopatum est consecutus, retento quoque ZAGRABIENSI sub nomine *Administratoris*, Quare ab Anno 1587 Diei 15. Octobris, hunc Petro dari Titulum, Legimus. *PETRUS Heressinczi, Ecclesiarum Jaurinensis, & Zagrabiensis Episcopatus* (in quibusdam instrumentis legitur: *Episcopus Jaurinensis, ac una Ecclesia Zagrabiensis Administrator.*) *Abbas de Topuszka, & Giak, Suæ Majestatis Cæsareæ Regiæ Consiliarius, & Summus Regni Hungariæ Cancellarius.* Zagrabiensem Ecclesiam, moderabatur *in Sacris* & Ecclesiasticis per Vicarium Joannem OTTAVCIUM, In *profanis* verò & temporalibus per MIKACZIUM Cantorem, quem suum Plenipotentiarium dixit.

An ingressum ad Ecclesiam hanc, sive *Introductionem* Petrus fecerit, ante Annum 1588. dubitamus. Equidem *Pragæ* Eum cum Rudolpho fuisse, Instrumenta publica perhibent. Anno 1587. Die 1ma *Augusti Pragâ* Litteris suis, hæc loquitur: *Quod ob merita, in promovenda Doctrina Evangelica in Ecclesia Cathedrali, Stephani Budóvczi J U. Doctoris, & Cathedralis Archidiaconi, studio indefesso, temporibus retroactis, ac præcipue in hac longa* (NB.) *NOSTRI absentia nil prætermittens, quoad ad Prædicatoris munus spectat, eum, ac nepotem ex fratre Thoma Ejus, Nicolaum cum hæredibus, à decimis in Vinea Rachinsciak in Laschina libertamus.* Hinc apparet I. Longior Petri absentia, proinde non dierum vel mensium; sed Annorum fuerit. II. Credimus hinc Archidiaconos Cathedrales, *Concionatores* ordinarios, Ecclesiæ Cathedralis fuisse. Ut hinc, profectum arbitraremur, in casum defectus Concionatoris, quod Archidiaconus iste, supplere Concionatorem debere dicatur.

Terminatis Anni 1587. Generalibus Posonii Comitiis *Nicolaus ZELNICZEI* Anno 1588. *Petovio Die 21. Januarii* Capitulo significat: *Finita jam Dieta Episcopus noster Zagrabiensis propediem istbuc veniet, Congregationi Regni, per Banum, undecimâ Januarii Posoniô jam Varasdini indicta, pro die 21. Februarii. In qua Oratores, conclusos in Dieta Articulos refferemus, crediturque Archidux CAROLUS, aut IPSE; aut per speciales Commissarios suos, compariturus, aderit. Et vel ante, vel*

vel post Congregationem, Ingressum tandem suum intendit, Quod significo, ut Eum in die Ingressus sui, pro more excipiant. Ex his, ominamur Ingressum publicum, Anno primùm 1588. Heresinczium absolvisse.

Anno 1587. Viennam *Balthasarem Napulij*, Pragam *Georgium Zalatnokij*, Archidiaconum Urbocz miserat Capitulum, causâ primùm neglecti census pro Decimis à Camera arendatis. Dein, pro petendo succursu, in instauranda Ecclesia: tecti speciatim. Ter mile florenos Rudolphus, pro Ecclesia resolvit. 400. pro Censu. Patrocinante, ut *Zalatnokii* scribit plurimùm Episcopo. Qui

Cùm Anno 1588. ad Cæsarem *Pragam* redivisset, Cancellarij fungens officio, ac in Poloniam, *Benginium* nempe & *Bithoniam* oppida, reliquos inter Legatos pro Maximiliano eliberando (vide Istvanffium) missus fuisset, Anno 1590. Die x. Junii (in Episcopatu Zagrabiensi, successore aquisito, ante mortem) Pragæ subitanea morte, ex Apoplexia obiit. Delatus inde, in Jaurinensi Basilica conditus, requiescit. *Sepulchrum*: testante Lapide, hac incisione:

Reverendissimo D. D. PETRO HERESSINCZIJ Episc. Jaur. & Com. perpetuo. S. C. Regq. M. Summo per Hung. Cancellario. Paulus Fuichich Philosoph. & Medic. D. Patrono meritissimo P. Obiit Pragæ X. Junij MDXC.

Nulla hìc Zagrabiensis Episcopatus mentio, quia nempe vivens, Successorem ad vota nactus est.

Ad Altariam S. Achatij, & Sociorum Martyrum, Domum cum curia, hortum, vineam, terras, fœnilia pertinuisse ex collatione Custodi Szkoblich facta apparet. Et obligatio, ut singulis 4. & 6ta ferijs, in eo Altari per se vel alium Missam offerat. Ad S. Hieronymi: etiam similes fuisse appertinentias, cum æquali pro singulis ferijs 3. & Sabbatho obligatione. *Præbenda* S. Barbaræ per Resignationem Georgij Brassich, Andreæ Kadovich Præbendario S. Dorotheæ sub hac conditione collata, ut domũ & curiam: *Præbendæ ante unius anni decursum quemadmodum se facturum coram Capitulo oretenus obligavit, ex modernis ruinis bono & decenti modo erigere & restaurare debeat, hoc per expressum declarato, quod nisi suis promissis quoad domus restaurationem mature satisfecerit Præbenda S. Barbaræ alteri diligentiori conferretur.* Ob Resignationes Marci Matkovich, Georgij Brassich, Canonicorum Zagrabiensium, Præbendarum Chori. credere est, aut hos ad Capitulum translatos fuisse, aut Beneficium quoque Præbendæ conjunctim tenuisse.

Memoriæ ab Anno 1565.

Spe historiæ Civilis edendæ, prætermisimus hactenus ea, quæ ad Politicum Regni hujus statum pertinebant. Perpensis autem temporum nostrisque circumstantijs, cum vel fato, vel virium defectu, aut morte ipsa, conatus nostri impediri valeant, pro publico emolumento, & Patriæ notitia, summatim à MAXIMILIANI Regis Epocha, hæc attingere visum est. Si feliciora tempora DEUS elargiri dignatus fuerit, non deerunt quæ in civilem historiam Patriæ, ac fusius scribamus. Si verò DEO aliter nobiscum disponere visum est. Hæ ipsæ summariæ memoriæ; & calcar addent posteris ad easdem dilucidandas, & adjumento erunt, tum secuturo Scriptori, cùm vel maximè Lectori, si is Patriæ Civis fuerit. Cognoscet enimvero, ex ipso compendio, quæ Reipublicæ ratio fuerit? quis status? & diversis in occasionibus. Abindeque rationem usus & consuetudinis, fundamento quippe municipalium Legum, considerare ac metiri facilius feliciusque poterit.

1565. Inquilini à Dicis exempti. Fortificatum Crisium, Caproncza, S. Georgius. Causâ belli Turcici pag. 245. insinuati, *Subsidia* oblata sunt & victualia limitata, ac præstanda militibus ordinantur. Caspar Brumanus ob deliberatum homicidium proscriptus.

Ambrosius Gregorianczi, cum Petro Erdödio Bano, ob limites vicinorum Bonorum, in eas inciderunt discordias, ut alter contra alium gentes levaret, ac ad *Szomszedvar* pugnando, Patriam conturbarent. Superior evasisset Banus, nisi Ambrosio Vice-Bano, tanquam Nobilitatis Capiti, plerique Nobilium & de plebe in suppetias adcurrissent. Quo sucursu, fusi fugatique Banales sunt. Acerbius rem hanc tulit Banus, prætendens: si jure conveniri vi officij non potest, minus armis & quidem à Vice-Bano suo poterat. Al-

ter defensam, jus naturæ liberam, cuivis reliquisse allegabat. Banus à Regno satisfactionem urgebat, exorabat à Maximiliano Vice-Banus. Iste privatur officio, suique loco *Vice-Banus Joannes Forchich* creatur, & Rebellionis damnantur, qui contra Banum ad Szomszedvar auxilium præstiterunt. Gravius postremum hoc à Maximiliano est acceptum, quod Banus par Regi, ex pœna dictata haberetur, imo Rege major, considerato Andreæ Regis II. successive abrogato Privilegio. Itaque effectum sententiæ prohibuit, illamque nullam dixit. Ab officio supremi Comitis Comitatuum, Joannem Forchich inhibuit, nemini attamen Supremi Comitis officium contulit. Publicas Regni Congregationes, sine suo Regio consensu, & Regalibus litteris, à paritate Regni Hungariæ, sustulit. Denique Segnienses *Uskoki* dictos, ad Bona Claustri Lepoglava, ne quid mali ac inconvenientis intra Cives Patriæ, atque belli Turcici temporibus eveniat, invigilaturos collocavit. Pro quibus inde amovendis, Suæ Majestati supplicatum. Bani, sequenti anno mors, eripuit sententiam, dubiumque reliquit, an? & quid? Maximilianus de illo statuisset. Ambrosius Gregorianczi malè audivit, apud plerósque; ab aliis verò portabatur, divisaque erant statuum studia, & animi consternati.

1566 Supplicatum est nomine Publico Cæsareæ Regiæ Majestati, prô metarum rectificatione: ac ne extra Regni limites frumentum vendere liceat. Demum ne à Fumalibus quispiam sit exemptus. Stephano Tompa Captivo Turcico, subsidia data. In reliquo videndus Istvanffi, & Articuli Dietales.

1567. GEORGIUS DRASKOVICH Episcopus Zagrabiensis, & Franciscus Slunius de Frangepanibus, in Regnorum Dalmatiæ Croatiæ & Sclavoniæ BANOS sunt electi, præsentatíque per quatuor Commissarios, *Stephanum* nempe *Banffi* de Alsó Lendva & Comitem Szaladiensem, *Lucam Szekell* de Kevend Confiniorum Croatiæ & Sclavoniæ Generalem Capitaneum. *Balthasarem de Batthyan*, & *Gervasium Teinffenpach*. Quare pag. 251. insinuatum de Szlunio dubium non subsistit, & dum in Litteris *Locumtenens* legitur, id credimus ob Archiducem *Carolum* de quo infra) exprimi. Hinc corrigi debere opinionem illam pag. 251. positam, fatemur, cum monumenta publica perhibeant, utrumque à Maximiliano, BANUM fuisse constitutum.

Redivêre sub his Banis, Generalia Regni Comitia. Draskovichius prudens, ut offenso Cæsari satisfieret. Illico supplicandum Suæ Majestati proposuit, ut publicos Conventus Banis indicere, clementer admittat; cum status illud pro rato sint habituri, quod Sua Majestas confirmabit. Ut instar Regni Hungariæ ad continuos intertenendos vigore Articuli 15. anni 1566. Equites, Sclavoniam absolvat, quia hoc, in usu nunquam fuisset, & status ordinesque Sclavoniæ à fumis quinque pedestrem unum, Equitem item a Fumis 20. unum, ad jussa sui Bani, pro defensione Regni tenerent. Supplicatione hac Cæsari submissa, nec rescripto Regio expectato, ad publicas constitutione, processum est, & constituta sequentia.

I. Ad postulatum Suæ Majestatis, juxta antiquam horum Regnorum libertatem & consuetudinem, medietas subsidij in Hungaria oblati, à Statibus & Ordinibus pro anno præsenti offertur.

II Partes Transcolapianæ, cum reliquiis Comitatus Crisiensis, ob insignem cladem proximis diebus à Turcis acceptam, favente ipsis etiam veterana exemptione, ab omni contributione Regia immunes serventur.

III. Ad fortificandas Civitatem Capronczam duo processus ex Comitatu Varasdinensi, & unus ex Crisiensi: Ad restaurandum autem Ivanichium: duo processus Comitatus Varasdinensis, & duo Zagrabiensis, unus vero Crisiensis, Superintendentibus D. Vice-Bano Joanne Forchich de Bottinovecz, & Stephano Litterato Ladomer de Briszindvor, sic ordinantur, ut à singulis portis Laboratores pedestres sex, à fumis verò singulis robora quercinea 12. cubitorum, numero quatuor: ac à duabus portis virgultorum currus unus præstetur.

IV. Judicia octavalia juxta constitutionem Dietalem, ad Festum Epiphaniæ Zagrabiæ, vel ubi D. D. Bani celebranda Regnicolis publicaverint, exceptis Festis, ad dies 32. celebrentur.

V. Celebrandis Comitatuum Zagrabiensis & Crisiensis Judicijs brevibus præficiuntur; Vice-Banus, Vice-Protonotarius, Vice-Comites, Judlium, & Jurati Assessores.

VI. Ut Joannes Petrichevich de Miketyncz in absentia Magistri Protonotarij *Damiani de Aranyan*, Vice-Protonotarius; sigillum judiciale sub insignijs utriusque Bani exsculptum habeat, decernitur.

VII.

VII. Coloni rebellantes per Vice-Comites, Comites, & si necessum fuerit etiam Banos puniantur. Si verò illorum Domini, in veteranis libertatibus eosdem servare nollent, habeant facultatem juxta publicas Dietales constitutiones post solitam denunciationem aliorsum se conferendi.

VIII. Ad Munitionem Castri oppidíque *Czettin*, & erectionem Castelli novi *Prefzeka* ad fluvium Glina, laboratorum & curruum in partibus Transcolapianis Limitatio facta publicatur: videlicet Castrum *Ozal*, & Dubovacz Lab. 200. currus 20. *Sztenicbniak* cum pertinentijs Lab. 200. cur. 25. Nobiles Barilovich cum Antonio Gereczi Lab. 10. cur. 3. Totidem, Nobiles Otmich, & Vaikovich. Generatio Nobilium Klokoch Lab. 20. cur. 5. Nobiles Voinovichij & Buzavina Lab. 10. cur. 3. & sic de reliquis, à proportione per Vice-Comitem eruenda.

IX. Ad Castrum *Tersact* Comitis Stephani de Frangepanibus, Castra Ribnik, Novigrad, Zvechai, Lippa Lab. 150. cur. 20. *Bofzilievo* Lab. 50. cur. 5.

X. Ut his alijsque partium Transcolapianarum rebus, commodius prospiciatur & justitia administretur, partes illæ suum proprium & distinctum amodo & imposterum Vice-Comitem, Supremo Comiti Comitatus Zagrabiensis subordinatum habeant. Quare etiam NICOLAUS KERCHELICH in partium Transcolapianarum Vice-Comitem electus constitutúsque est. Judlium verò *Franciscus Spissich* in fumalium perceptorem.

Præterea lecti sunt ad Dietam Oratores, qui Episcopo simul & Bano legationis superattendenti, subordinati fuêre. Vide anni hujus Dietales Articulos 13. 14. 36. &c.

Plures quoque anno priori, violentæ cum gentibus Bonorum occupationes notantur, sic ex bonis Brezovicza Vidua Francisci Merniavchich Apolonia, per sororem Mariti olim sui, conjugis autem Ambrosij Gregoriancz: sic per Casparem Barilovich, consors Antonij Gereczi, ex portione sua in *Barilichgrad*. Sic Christophorus Grubai, sive Gruber ex Arce Szamobor, per Christophorum ab Ungnad ejecti fuere. Hinc ut tales, in integrum reponantur, contradictione inhibitione & repulsione non obstantibus statuitur, salva partibus, jura sua legitimè & juridicè prosequendi facultate.

Vice-Banus Regni à Civibus Crisiensis Civitatis, ex veteri Sclavoniæ more & constitutionibus, florenos 50. sibi quotannis administrari prætendit: Illi verò se immunes exemptosque esse responderunt, & cum utraque partium privilegia se habere, ac litteras superinde declarâsset, ad primas octavas fuêre remissi. Orphanorum Michaelis Raven curam, Vice-Bano tanquam supremo Comiti ex officio commissam fuisse invenimus.

Limitationem quoque Equitum peditumque, à Castris interteneri solitorum, sequentem eruimus. Castrum *Stenichniak* equites 8. pedites 50. Castra *Ozaly cum Dubovacz* equites 8. pedites 50, Castrum *Turran* Dñi Blagai equites 2. pedites 5. Castrum *Ribnik*, *Zvechai*, *Novi*, *Lippa* equites 8. pixidarios 50. *Bofzilievo* equites 4. pedites 20. Nobiles *de Perna* equitem 1. pixidarios 2. Generatio de *Klokoch* cum Gorichanij & alijs, equites 2. pedites 15. Antonius Gereczi de Bonis Budachkij equitem 1. pixidarios duos &c &c.

Præmissos verò Articulos die 29. Novembris 1567. confirmatos extitisse per Maximilianum Regem, cum subscriptione etiam Joannis Listhi notatum est, ita: ut status etiam quoad partes Transcolapianas, & Crisiensis reliquias, contributioni & publico oneri subijciendas, se Regno Hungariæ conforment, præsertim in exemptionibus & privilegijs Monasteriorum atque Ecclesiarum, Comitatuum, & Oppidorum, nec non Regni Officialium, à D. condam Hungariæ Regibus, feliciorum & tranquillarum rerum statu temporibus concessis: Ad pacatiora nihilominus pro hic & nunc usque tempora suspensis atque abrogatis. Banos autem in veteri consvetudine indicendi Regnorum horum Dietas, sic conservari, ut Bani hac de re prius suam Majestatem reflectant, & quarumnam rerum tractandarum causa? generalis illa Dieta indicenda sit, edoceant.

1568. Ex Generali Statuum Conventu, actæ sunt Majestati Suæ Sacrmæ gratiæ, pro confirmatione priorum Articulorum. Præterea supplicatum, ne Regni hujus civitates excessiva Regia taxa onerentur. Impositos enim Civitati Zagrabiensi fl. mille, totidemque Varasdinensi, Crisiensi autem fl. Hun. 800. exolvere impossibile foret, & aliunde vigore constitutionum Dietalium, tanquam Sclavoniæ Regni Civitates, ultra medietatem stringi non deberent. Intra reliquos octavalium Judiciorum Assessores, Ambrosius Gregorianczi, Caspar Druskoczi, Mathias de Chernkovecz, Christophorus Sissinachki, Moyses Homszki, & Joannes Dobrokuchai Parochus Krapinensis, fuerunt.

Serenissimus Archidux CAROLUS anno hoc, Regnum visitavit; ut ejusdem cognitionem caperet, & necessitates videret. Cui victualia è Regno gratis subministranda

da decernuntur. Comitatus Crisiensis ab omni Dica Regia ex resolutione Suæ Majestatis eximitur. Quod ejusdem impopulandi, & Militari jurisdictioni subijciendi opportuna occasio fuit. Hæc enim libertas, convolare undique fecit homines. Ut desolari incepta, Castra & Castella Comitatus Varasdinensis, nominatenus *Zajezda*, authoritate D. D. Banorum, veluti supremorum Regni Capitaneorum, secundum Articulos 1563. restaurentur, mandatum est. Lectique ad Dietam Nuncij Magister Protonotarius, Vice-Protonotarius, & Stephanus Kapitanffi de Desznicza, quibus inter cœtera commissum, ut Regnum in suis libertatibus conservetur & in causis violentiæ occupationisque bonorum, Interceptionis Castrorum, & Divisionis Bonorum intra fratres carnales & patrueles, Apellationes non admittantur, nisi extra Possessorium violenti, occupantis, vel intercipientis. Demum anno hoc, Epydemicos morbos in Regno viguisse, notatur.

1569. In locum Protonotarij Damiani de Aranyan, Regni hujus officio valedicentis, quod Locumtenentialis Palatinatûs Protonotarius nominatus fuisset Magister EMERICUS PETHEO de Hettes, sicuti in Protonotarium præsentiæ, sic & horum Regnorum successit. Joannes autem Petrichevich in Vice-Protonotarij officio fuit confirmatus.

Ad brevia Judicia quia miseris Transcolapianis Zagrabiam comparere pergrave esset, ideo in oppido *Sztenicbniak* pro illis partibus, distincta triduo, pro celeriori Justitiæ administratione, celebrentur judicia. Quod etiam de Crisio est conclusum.

Capitulum Chasmense ob inopem vitam suam cum semet declarâsset, authenticum capitulare sigillum suum resignare velle, & in aliena servitia Ecclesiastica conferre & abire. Ideo cum hæc sine detrimento jurium Regni & Regnicolarum fieri nequivissent, Suæ Majestati per status commendati sunt, ut aliquo vacante beneficio providerentur. Ad quam commendationem, Præpositura B. V. M. de Glogoncza per Præpositum administranda, provisi fuêre.

Intuitu & ratione Tributorum tam Cameræ, quam Banis provenientium, cùm graviores differentiæ intra superiorem inferiorémque Civitatem Crisiensem exortæ fuissent, hæ jussu Banorum ad sedem Judiciariam Comitatus Crisiensis legaliter revidendæ, relegatæ quidem fuerant: Regia autem ordinatione, utraque illa tributa per Christophorum Mikulich Lectorem Capituli Zagr. & omnium trium Comitatuum pecuniarum Fumalium primó constitutum (antea enim in singulo Comitatu, suus erat) Perceptorem, pro Hrasztovicensi munitione percipienda & convertenda erant. Maximiliano Banorum Salaria in se assumente.

Vuskokos ex Merzlopolye, item Rascianos DD. Kerecseny sub Arce Zelina, suis prædocinijs, & Nobilium hemicidijs, graves Regnicolis hoc anno fuisse, & præcipuè Nobili Herendich de Makla, notatum est.

Cum Posoniensis Dieta ad Kalendas Augusti differi debuerit, & Protonotarius Regni, intra nuncios anno superiori lectus, valedixisset, successor suus, etiam in ablegatione ad Dietam, succedere declaratur.

1570. Articulis Dietalibus relatis existentibus, ad Articulum 6tum subsidium, intellecta Suæ Majestatis necessitate, oblatum pro duobus præteritis, & currenti anno in fl. duobus & Den. 40. *Lucrum Cameræ* more antiquitus observato, à quavis integra sessione per Den. 10. Ubi autem dicam Regiam cessare contingeret, modalitate insinuata Lucrum Cameræ solvendum acceptatur. *Ad* 40. Assessores novi constituti: Magnificus Matheus Keglevich, Joannes Kuskoczi, Franciscus Gregoroczi, & Matheus Zalatnoky. Et cum Justitiæ administratio communis sit, & in Foris octavalibus Nobilium potius, quam rusticorum; ideo unius sessionis Nobiles pro Assessorum diurnis exolvendis, à quavis porta per Dens. 10. taxati, contribuere debuerunt. Ferijs autem 6tis & Sabbathi, pauperum causæ levandæ decernuntur.

Magnifico D. Nicolao à Salmis, pro suis in eliberatione Castri finitimi *Krupa* meritis, oblatum honorarium. *Tabi Franciscus* de Potentiarijs actibus sibi in Szomszedvar illatis, per homines Ambrosij Gregoriancz, de Bresecz & Mokricza lamentatur, ad viam juris relegatus.

Magna sterilitas & fames: morbi item, quæ ex Istvanffio videnda. Reliqua autem ex Articulorum 1569. combinatione. Ubi Articulo 19. dum Insula Muraköz à gratuitis Laboratoribus eximitur, ad *Kanisam* præstandis: accidit ideo, quia Zrinius ad Croatiam & Varasdinensem Comitatum eam pertinere sustinuit, igitur ad *Legrad* destinati fuêre.

1571.

1571. Jussu Maximiliani Cæsaris, Serenissimus Princeps Carolus à statibus ordinibusque Regni Sclavoniæ pro locumtenente Regio acceptatur & recognoscitur. Adjuncti Assessores novi ad octavalia judicia, Balthasar Tahi, Simon Keglevich, & Petrus Kastelanffi. Michaël Urnoczi Fumalium exactor constitutus. Reclamantibus Capitularibus Zagrabiensibus in auxilium eliberationis è captivitate Turcica Joannis Voikovich singulo Fumo Den. 10. impositi. Judicia illa Transcolapiana brevia, ex Sztenichniak, sub prætextu incommodarum viarum, reipsa autem ne comitatui Zagrabiensi præjudicetur, ibidemque novus Comitatus exurgat, Zagrabiam reducuntur. Ob sterilitatem annorum, & colonorum impotentiam nonnulli Domini Terrestres, pro militibus Præsidiarijs, erga tollerabile precium Annonam suppeditârunt. Castrum *Blinya* recenter è manibus Turcarum ereptum, munitum est Regni Laboratoribus & impensis.

Dispositione Locumtenentis Regij, Archiducis Caroli, *Joannes Szermegh* Consiliarius Cameræ Hungaricæ, cum Joanne Ainkereyter exmissi erant, ad revisionem & conscriptionem portarum & dicationis, sed status lædi his, Privilegia juraque Regni Sclavoniæ existimantes, cum gravius tulissent, Draskovichij consilio abiverunt. Pro fossa inferioris Arcis Ivanich flor. 150. ordinati sunt.

Erectum ad Ripam Colapis est præsidium BRESZT, pro cujus præfecto & custodia electus Paulus Bresztovszki, qui milites pro defensione Regni conducere debuit, ex contributionibus exsolvendos. Ad Dietam electi Nuntij; Thomas Dombrinus Can. Zagr. Protonotarius Petheo, & Caspar de Druskoch, quibus reliqua inter commissum, Bani Draskovich commendare virtutes & merita, ipsi Suæ Majestati perspecta. Ac orare, ut Castrum *Trakostyan* in Familiam D. Bani hæreditario jure transferre dignetur, cum aliunde cassatis Banorum tributis, & proventibus, salarium eorundem in se assumpsisset. Comitatus Crisiensis judicia, cum Zagrabiensi conjuncta sunt, & Zagrabiam translata, ob periculosum accessum, in Crisium.

1572. Claustrum *Ivanich* igne absumptum, restauratur. Ad coronationem Rudolphi, & subsecuturam Dietam electi Oratores Ladislaus Kerhen Archidiaconus Goricensis, Protonotarius cum Vice-Protonotario. Michaëli Urnoczi per suam Majestatem constituto dicatori, per Regnum adjungitur Christophorus Bradacs de Mikulincz. Colonorum ad Szomszedvar & Stubicza tumultus de quo pag. 248. Nec addere quidquam possumus, quàm causam rei fuisse exemptionem illam Comitatus Crisiensis 1568. factam relatámque, quam Coloni extensam cupiebant. Occasionem autem Tahij cum Gregorianczio discordias.

Mense Decembri Georgius Draskovich Episcopus & Banus in Archi-Episcopum Colocensem promulgatur. Franciscus Szlunius moritur. Protonotarius Petheo per litteras admonetur, aut in Regno resideat, aut officio valedicat. Reliqua ex Istvanffio videnda, & à nobis supra, in Draskovich Episcopo, sunt exposita.

1573. Georgius Draskovich, pro Bano plena cum authoritate recognoscitur. Tahius commendatur Principi Carolo pro restitutione Castri Statenbergh. In locum demortuorum, Joannis Forchich creatur per Banum Vice-Banus *Ladislaus Bukovachki*, & Nicolai Kerchelich, Partium Transcolapianarum Vice Comes electus Ladislaus Imprih.

1574. Ultra Breszt, præsidium in *Topuszka* erectum. Ad Kapronczæ præsidium muniendum, ordinati Laboratores, robora, currus, virgulta, quod qua ratione muniri debeat? Petrus Ratkay, Simon Keglevich, & Nicolaus Alapi ad videndum disponendumque ordinati sunt. Cum autem ad custodienda vada colapis, Montesque ipsos contra Plagiarios Valachos vulgo Martoloczi opus esset, in locum *quintariorum* Regni militum, stabilis Regni militia servanda censetur & statuitur. Quorum medietas in præsidijs colapis; medietas verò à Festo S. Viti per quatuor menses in montibus, Regno servire, & securitati Patriæ prospicere debebit, tempore residuo mansura ad colapim. Hæc militia suos Vaivodas & Decuriones habeat: conducaturque per Vice-Banum. Solutionem habitura à fumis, cum in locum quintariorum militum succedat, impositusque ad quemvis fumum fl. Hung. unus, & quia pro publica defensione, & salute Regni ageretur Nobiles unius sessionis concurrent. Hæc autem contributio, à Regni Thesaurario percipietur, & ab Eodem exolventur milites hi Regni. Quare Regni Thesaurarius constitutus est Michaël Konszky.

Die 19. Decembris, à Vito Hallek confiniorum Sclavoniæ Generali Capitaneatus Locumtenente, & Ottone Rattensdorff in Collegam Officij Banalis penes D. Archi-Episcopum

scopum Draskovich Banum, præsentatur & introducitur Magnificus *Caspar Alapi.* Vide supra pag. 247. Ad intersecandas indagines, & præcludendos fluviorum transitus contra Turcas in Confinijs Croatiæ, Partibus nempe Transcolapianis, constituti sunt Superintendentes, Nicolaus de Frangepanis Comes de Tersact, & Franciscus Ursini Comes à Blagay. Fortalia *Tovunszka pecs*, Crisium, Lettovanich firmabantur Regni providentia. *Constitutum etiam*, si Vice-Protonotarius activè vel passivè in brevibus Judicijs interessatus observetur, tunc Vice-Banus alium in sede subrogatum Notarium, substituere possit.

1575. Supplicando commendabantur Suæ Matti Ciscolapim habitantes, & commorantes; quia expositi Turcarum insultibus forent, vigiliasque à Siscio ad vadum *Sztrelechki Brod* vocatum intertenerent, deinceps à Dica & Subsidio Regio eximantur, nec quidpiam in medium Regnicolarum contribuant.

Nobiles Christophorus Szifzinachki, & Georgius Megiurechky cum alijs Ciscolapianis, munitione destituti, auxilia contra Turcas implorabant protestando de culpa, si hosti liber ad Regnum aditus evaserit. Paulus *Breszitovachky*, & Joannes *Krisanich*, restaurandæ Hralztoviczæ invigilârunt. Protestantes reclamantésque modo solutionis neoconductorum Haramiarum, reprehensi in publico sunt; tum quod Decreto per Regem firmato reclamare liberum non sit, cùm quod, securitatem Patriæ negligere viderentur.

Constitutum est etiam. Pauperes Nobiles, Viduas, Orphanos Transcolapianos & in Comitatu Crisiensi degentes, propter discrimina & viarum pericula, coram Judlium, ad Judicia Comitatuum Procuratores constituere posse.

In *Berkissevina* Haramiarum Vaivodatus unus minor, in Drenchina & Rakovo, Vaidatus major per Capitulum Zagrabiense causa Decimarum intertenendus disponitur.

1576. Simon Keglevich Viennam ad Archiducem Carolum Orator, Franciscus Sztolnekovich de Mikulich, in locum Joannis Blagonij factus Judlium Zagrabiensis.

Hoc Anno Rudolphus in Imperatorem est electus. Maximilianus autem 12 Die Octobris mortuus, & sequenti Anno Pragam delatus ad tumulum. Reliqua ex Istvanffio legenda.

1577. Carolus Archidux Croatiam lustrat, & Carlostadium designat ac erigit. Georgius Draskovich à Rudolpho ad Episcopatum Jaurinensem transfertur, Banique Dignitatem resignat. Cujus Collega *Caspar Alapi* videns nil sibi authoritatis relinqui, at Principem Carolum totam usurpare, ad Dominicam *Cantate* Generalia quidem Comitia indixit, sed quia in eodem Conventu, Commissarijs Archiducis negatum fuisset subsidium pro munienda Caproncza, *nisi Banus integra authoritate polleat;* Alapij hoc spiritu actum fuisse, ad Carolum eijciendum, & Maximiliani dispositionem evertendam, consideratum est. Hinc à submissis ad Majestatem Regiam, & Ernestum Oratoribus, de his edoctus, Resignationem suam, ut acceptare dignentur petijt, confestimque acceptata est.

Nobiles Prædiales Abbatiæ Topuszkensis, à Fumalibus Den. 10. eximuntur, sub conditione transituum Colapis bene custodiendorum.

1578. Commissarijs Ernesti Archiducis, *Georgio* videlicet *Draskovich* Archi-Episcopo Colocensi, & Jaurinensis Ecclesiæ Episcopo, ac Zagrabiensis Administratore, *Vito ab Halek* Supremo Confiniorum Sclavoniæ Capitaneo, & *Servatio Teinffenpach* ad Status Regni Sclavoniæ Anno 1577. missis, atque Præsidij Capronczensis ac aliorum fortificationem petentibus, responsum fuisse invenimus: Nil certi à Regno statui posse, ex quo de præsenti nullus in Regno haberetur Magistratus Legitimus, ob Bani authoritatis plenariæ defectum, ad quem plenaria authoritate providendum, lecti fuere Oratores nomine Regni, Petrus Rattkay, Petrus Heressinczi eo Anno Capituli Zagrabiensis Lector, cum Vice Protonotario Petrichevich. Ad quorum Oratorum preces, *Christophorus Ungnad* in Banum Dalmatiæ Croatiæ & Sclavoniæ fuit resolutus & 1578. Festo S. Agathæ, sive 5ta Februar. introductus, majóri pompa quàm Regni Sclavoniæ affectu. Quia videlicet & Banderio Banali caruisset, & Juramentum privatum coram Rudolpho, cum obligatione resignationis dum & quando Regi visum fuerit præstitisset. Ob Carolum, & Cæsaris dispositionem sequentem.

Ad Dietam 1578. Nuncijs Regni, commissum fuerat, Regni libertates servare: Bani *integram authoritatem* obtinere: Et accolas citerioris ripæ Colapis, tanquam continuo contra Turcarum depopulationes vigilantes, & Regnum custodientes: adeoque magna servitia Principi, Publico & Regno præstantes, à Dica exemptos procurare. Verùm *teste Istvanffio* postquam Rudolphus prima hac sui Regiminis Dieta, Regale munus sic divisisset;

fisset; ut *Carolus* Patruus in Sclavonia & Croatia; *Ernestus* Frater Cæsaris in Hungaria, tam absente quam præsente Rege, res bellicas, ac quæ ad finitima loca spectarent, gubernaret. Ipse autem Rudolphus, res ad Justitiam spectantes moderaretur, res hæc minus grata acceptaque, Regni Ordinibus accidit, qui à Rege suo res bellicas, ac omnia alia gubernari mallent. Annitente tamen Cæsare, nec aliud volente, ægrè tandem ad Articuli 15. Anni 1578. (quem Lector considera) dispositionem tracti sunt, perpetua à Rudolpho aversione, quod gerendis bellis aut se imparem: aut hac muneris Regalis divisione, fundamenta Coronæ Hungaricæ gubernandæ, à se eversa moliri, designâsset. Hoc Articulo, & 25. de commissis Regni Sclavoniæ, docebere lector, quos vide sis.

Sane dici nequit, quam erant singulorum Statuum & ordinum Sacræ Coronæ hac divisione offensi animi. In Sclavonia profectò (adnotante Vinkovichio) contra Ungnad Banum. murmur altius. *1mò* Quod Stirus esset, nec de Indigenatu constaret *2dò* quia semet ab hac Dieta absentaverat, hinc suspectū omnibus reddiderat, nec de Banderio solicitum exhibuit, imò metuebatur privato illo Sacramento renunciâsse. *3tiò* quia Banatum resignare prius debuerat, quam se subjectum dispositione Articuli 15. tollerare: titulumque *Dalmatiæ Bani* sibi exmitti. Quod propter Partes Adriaticas â Bano eximendas factum fuerat: quantumvis Partes illæ in Croatia verè sint. Pro Dalmatia tamen, quod mirari oportet, subsequis Dietalibus plane Articulis expræssæ leguntur. *4tò* Confinia à se divelli assentiri non poterat. *5tò* quod ipse Baronem de Sanneg sive *Cilleja* se scriberet, adeoque tam Articuli 15. contextu, quô Carolus disponendis rebus bellicis in Sclavonia & Croatia, prouti etiam, Ejusdem finitimis Præsidijs præficeretur: quam etiam Bani, è Stirorum numero constitutione, nil aliud sequi necessum est: ac Regnorum horum, à Sacra Hungariæ Corona separationem, atque cum Stiria conjunctionem. Hæc enim si Rudolpho in votis non essent; Fratri Ernesto res bellicas procurandi, conjunctim cum Hungaria credidisset. Nec dubitamus, quemadmodum Articulo ipso 15. præjudicatum Regno, multum extitit; sic actualem administrandorum Confiniorum rationem, hic firmatam plurimum extitisse. Atque hinc omnes controversias, intra Banum Regnumque Sclavoniæ, ac Vicinas Provincias, & Generalatus Sclavoniæ, emanare.

CAROLUS ut sese in constitutione Articuli 15. firmaret, ad Congregatos Sclavoniæ Status, Die 15. Julij Magnificum Virum ab Halek adesse jussit. Qui nomine Caroli Articulos sequentes Statibus attulit. *1mò.* Ut Status Sclavoniæ, armis bene accincti, ante Festum S. Laurentij ad Castra se conferant, ad suscipiendam certam, & Regno Croatiæ multum utilem expeditionem. *2dò.* Ut certus numerus Victualium majori ex parte gratis, reliquum verò tollerabili pretio, & vecturæ necessariæ, per Status subministrentur. *3tiò.* Ut pro re Tormentaria & Munitione vecturæ subministrentur.

Imperiosi hi Articuli, utpote nec cum Bano, nec Statibus concertati, diuturniorem, deliberationem, & considerationes varias causaverunt. Ex præconcepto mœrore, ac in Banum minori propensione, rerumque periculo, potiores à Comitijs sese absentârunt. Ac licet denuo invitati, præteriverunt nihilominus invitationem. Hinc ponderatis temporum rerumque circumstantijs, Caroli Legato abire volenti, responsum est ad Articulos. *Ad primum:* Status Sclavoniæ Patriæ suæ adesse non negligent, adeoque ad Campum Turapolia & Possessionem Szent Gyorgij Odra, juxta publicas suas Decretales Constitutiones, sub Regio Banderio, in Castris Bani libenter convenient, in quibus, D. Archidux Carolus cum Bano, eam mutuam cointelligentiam habiturus speratur, ne quid inconveniens, Regnique libertati contrarium subsequatur, quia Banus cuivis alteri Capitaneo contra authoritatem Banalem, & perpetuam libertatem Regni, quin ipsum Articulum 15. ut videlicet *Archidux Carolus eam cum Domino Bano Croatiæ & Sclavoniæ intelligentiam habeat, ne quid sequatur inconveniens, & libertati Regni contrarium* subesse non poterit. *Ad 2dùm.* A quolibet fundo Metreta Zagrabiensis Tritici media: Avenæ vero plana, una gratis: reliquum pretio prout Zagrabiæ venditur, pro sustentatione gentium, cum vecturis administrabitur. Ab ulteriori verò præstatione ac vecturis (cum & in Castris Banalibus necessitas horum sit futura) Sua Serenitas excusatos habebit. *Ad 3tium.* Civitates horum Regnorum, providebunt. Adjungendo: *Et hac fideles Regnicolæ ad Postulationem Archiducis Caroli inquantum pro præsenti, pro posse suo præstare possent, pro defensione Patriæ, & Familiarum suarum, Suæ Serenitati ita exhibent, ne tamen in usum deveniant; cum Regnum hoc Sclavoniæ semper fuerit liberum, Divisque Regibus Hungariæ spontanea solum voluntate ipsorum, accesserit.*

Sub his dein Comitijs in Vice-Banum & Supremum Comitem Comitatuum, *Stepha-*

 nus

nus de Gregorianz eligitur, ac ad Articulum super violentis occupationibus Bonorum confirmatum constitutum est. *Ut Actor sibi Bona violenter occupata rehabere volens cum præceptorijs literis Banalibus violentum admoneri faciat, ad remittenda talia Bona. Quo non facto, Judex Comitatensis, in loco Bonorum occupatorum statim præfigat Partibus terminum attestationis sive probarum, compertaque mera rei veritate in prima sede Comitatus, conscriptas attestationes clausò sub Sigillo producat. Ibidemque ipsis attestationibus conscientiosè ruminatis, Sententia definitiva, omnibus juridicis remedijs postpositis, pronuncietur. Litteræque adjudicatoriæ parti Triumphanti in debitam executionem deducantur: Contra Contumaces autem Banus cum Brachio procedat.*

1579. Ultra insinuatas in Joanne Monoszlay supra cum Turcis vellicationes, in Istvanffio fusius videndas, notari posse, e MSS. eruimus. *Imò.* Archiducem Carolum, non jam imposuisse statibus, sed per Legatos suos *Jacobum Szekel*, & Georgium *Collaui* aliter Wazler requisivisse status: ut cùm in novo Fortalitio circa Dubovecz, quod Carlostadium vocaretur, Residentiam Generalis, & aliorum militum erigere decreverit. Et Caproncensem munitionem ad finem perducere statuerit, vellent status pro suo in Patriam affectu adjuvare, Eumque optato responso consolari. Præterea ut ad hoc novum Præsidium, Trans Colapim tenuta habentes contribuant, cum ad illorum defensionem erigeretur. Ad *primum*, universæ Appertinentiæ Castrorum *Ozaly*, *Jasztterbarszka*, *Petrovina*, *Szlavetich*, *Turan* concurrent adjuvabuntque. Ad *2dum* Postquam D. Banus Transcolapianas partes, per hominem suum conscribendas, cognoverit: Possibilia fient. Interim omnes inibi Domini Terrestres, à fumo Laboratores 6. & currus 4. præstare debebunt.

2do. Ut Veteranus usus, & Regni Privilegia, signanter per D. condam Ladislaum Regem in Campo Rakoss in Generali Hungariæ Conventu confirmata, Suæ Majestati prò confirmatione submittantur conclusum est. Banus publicè protestatus super resignatione Arcis finitimæ Tòpuszka, Episcopo Zagrabiensi, nisi Episcopus curam Arcis habuerit, & necessaria militum Bano subordinatorum custodia, provisam servaverit. Secus àpercipiendis Abbatiæ proventibus, usque ad ulteriorem Suæ Majestatis revisionem inhibebatur.

Graviores ex facto quodam Vice-Bani, intra Civitatem Regiam Zagrabiensem, & Ipsum Banum ac Status Sclavoniæ subortæ erant discordiæ, ut Cives Regiæ Civitatis Montis Græcensis Zagrabiensis, publica constitutione proscripti fuerint, statutumque contra Articulum Dietalem VII. Anni 1572. nec Judicia, nec Congregationes Regni dehinc Zagrabiæ celebrari posse. Causam horum ignoramus, nisi quod Vice-Banum Civitas pro quodam casu in curiam Regiam evocare non sit verita. Factum attamen tam Vice-Bani, quam Statuum, postquam Banus protegere incoasset, in reciprocas quærellas cum Civitate devenit, Civésque in sua ad Rudolphum Instantia, ut Articulum proscriptionis Sua Majestas annihilet, contra Banum lamentabantur.

Lecti ad Dietam sunt Nuncij. Et quidem ad consessum Magnatum Caspar Alapij, & Petrus Heressinczij Præpositus Ecclesiæ Zagrabiensis. Ad Regnicolarem Nobilitatis & Comitatuum Regni domum (verbis MSS, utimur, & nomenclatura hujus Sæculi) Vice-Protonotarius Petrichevich, & Caspar de Druskocz. His reliqua inter commissum I. ut contra Magnâtes, & potiores Nobiles, ad Regni congregationes non comparentes, pœnalis procuretur Articulus. II. Ut quia plures Regnicolæ sub diversis jurisdictionibus accomodati essent, nec tempore insurrectionis sub Banderium Regium adessent: ea de causa Suæ Matti supplicetur, quatenus Banus ipse, totius Regni Supremus sit Capitaneus, illique: in confiniis Croatiæ degentes Capitanei subsint. III. Quia civitas Zagrabiensis, Regni Privilegiis & D. Bano se opponeret, & quærellas contra ipsum Banum erexisset, Vice-Banum autem pro quodam exiguo casu in Curiam Regiam evocare non sit verita, ideo nec Civitati Zagrabiensi Regni Libertas suffragari valeat. IV. Quia Banus cum D. Francisco Papendorff duorum erigendorum Præsidiorum loca, ad colapim designaverint, pro tutandis confinijs; ideo horum erectionem & provisionem ut Sua Majestas susciperet, implorabunt.

Constitutum insuper ut noviter erecta molendina per Regnum, Vice-Comites perlustrent, & quæ damnosa comperient, tollant. Uti illud infra S. Helenam in fluvio Lonya, propter damna in fœnilibus subditorum Rakonog exinde provenientia demolitum est.

1580. Inaudito exemplo, Comitia Poloniensia, *Ernesto* Fratre Cæsaris Præside, dissoluta sunt. Status enim vetustas libertates in integrum restitui: cuncta per Patriæ Cives geri & administrari; adeoque Exteros, è militaribus Præfecturis, & Dignitatibus politicis antea amoveri prætenderunt, quam ipsi ad proposita capita decernerent. Ad quæ, cum Ernestus tempus & spatium postularet, quo tam exteri incolumi honore dimitti, quam Cæsar Consuli posset, & procerum plurimi assentirentur, res ad seditionem proxima erat, itaque Ernestus clam Viennam, alij ad sua quisque loca reverterunt, Cæsare rem totam dissimulante.

Horum attamen Comitiorum tempore Posonij Joannes Jakopovich Civitatis Zagrabiensis Civis litteratus, nomine Civitatis contra Banum & Regnicolas gravius questus est, protestantibus Regni Nuncijs. Cives autem Zagrabiæ contra Vice-Bani servitores insurgentes, viam publicam ad *Kralievbrod* obstruendo, Equites ad Capituli portam hostiliter irruerunt. Eapropter Status sine mora Pragam expediunt, Mikaczium Præpositum Chasmensem, cum Joanne Zabok, ut penes Decreta Regni, omnia præmissa juridicè revideantur, Dominoque Bano, Vice-Bano alisque læsis Regnicolis ab una, parte verò ab altera Civibus ipsis, Terminus præfigeretur, coram Suæ Majestatis, Magistris Protonotarijs, & Juratis Assessoribus Sedis Judiciariæ Regiæ. Reliqua supra attigimus, & ex Istvanffio videnda sunt.

1581. Archi Eppus Colocensis Georgius Draskovich à Rudolpho nomine Ernesti: Servatius autem à Teinffenpach, Vitus ab Halek, & Michael Ringzmaul nomine Caroli, in medium Statuum advenerunt, expetentes ut ad Colapim Nova Prælidia *Kresza & Szredicsko* erigantur, atque in his 300. pedites, ac 200. equites per Status intertenerentur. Pro Bano Residentia, cum Castello munito in *Lettovanich* extruatur. Ad illud, si Bani necessitas postulaverit: consenserunt: ad primum autem si minus lata fuerint Prælidia non difficultari, Gentes autem Banales augere, & illorum solutionem renovare, Suæ Majestatis foret, uti sub Petro Erdödio provisione Regia 600. Equites, & 400. pedites intertenebantur. Interim cum status benevolè præstent impensas; Insurrectiones generales, *Quintarios laboratores*, frumenti gratuitam collationem, Dicæ Regiæ annualem exactionem, Præsidiorum erectionem: Vitas sanguinemque proprium, Haramias quoque, & alia quam plurima, ultra 100. pedites, proprijs conductos pecunijs intertenere non possent.

Hoc Anno, causa intra Cives ac Vice-Banum revisa est Pragæ. Et quia ipsemet 1578. pro Civibus contra Capitulum deliberâsset *Juxta Litteras Belæ Regis, per Carolum, Sigismundum, Vladislaum, Ferdinandum, & ipsum Maximilianum confirmatas, ac juxta ipsum Tripartitum neminem contra Communitatem Civitatis Regiæ Zagrabiensis litigare posse, nisi in præsentia Suæ Majestatis, & è contra.* Ipse attamen eatenus nec Banum nec Regnicolas informâsset: imo violentias Civitati intulisset, Regnum concitâsset, prætendendo se juri stare non debere, qui Justitiam alijs administrare obligatus, jura deprecari non posset, cum hoc nec Regiæ Majestati conveniret. Ideo Eundem ad satisfaciendum Civitati obligatum, & ab officiis in quibus peccavit juxta Articulum 12. Alberti Regis deponendum esse. Quare Missa Bano fuit quædam Instructio. Stephano Gregoriancz *non publicè coram Statibus officium Vice-Banatus ubi assumpserat, sed in partibus deponente* (sic expræssum legitur ad rem innuendam & tegendam) *in locum illius Vice-Banus & Comitatuum Comes, per Banum denominatur perque Regnicolas acceptatur Caspar de Druskocz.* Qua occasione & Comitatuum Restauratio facta. Confirmati nempe Cis Savani Vice-Comites Zagrabiensis Comitatus, Ladislaus Nespessy, & Thomas Aitich. In Vice Comitem Savanum electus Benedictus Arbanasz de Lomnicza: Transcolapianum Mathias Diankovich de Kobilich. Hinc quatuor hujus Comitatus Vice-Comites fuisse apparet. In Crisiensi Comitatu Georgius Fintich confirmatus. Atque hæc Zagrabiæ in Civitate Regia celebratis Comitijs acta sunt. Qua ratione, abrogata est Civium proscriptio, & statutum illud. Joannes verò Jakopovich à Civibus Magistratu donatus Judexque Civitatis ab ipsis est electus Stephanus poro Gregorianczi in sequenti Statuum Conventu (Bano absentiam suam per litteras excusante, & Regales litteras pro Dieta submittente: Statibus verò Petrum Erdödi, Banalis militiæ interea Locumtenentem cum Vice-Bano Druskoczi declarantibus, Reclamante Erdödio ipso, ob sublatas toties Locumtenentias, & Vice-Bani munus, cum Banalibus Copijs

S s s Regni

Regni confinijs invigilare: ac si necessitas postulet, quintam colonorum partem; & à 20. fumis unum equitem, ad surgendum vocare & conducere) litteras Testimoniales publicas petijt: se à tempore gesti Vice-Banatus officii, fideliter & probè Regnicolis inservivisse: paratumque ad satisfaciendum si peccasset esse, Quod testimonium sub Sigillo Regni obtinuit, nemine alio, præter Successorem Vicebanum Druskoczi, atque hunc Bani nomine, contradicente.

1582. Succuri sibi Archidux Carolus pro bellicæ administrationis officio postulabat. Cui status Regni deplorabilis descriptus est, quod nempe per Turcas adeo diminutum desolatumque haberetur, ut quod olim 15. millia portarum habuit, nunc perexiguas connumeret, pro Viribus tamen, & vicinarum Provinciarum salute succuri adlaborabitur. Hinc Arx S. Georgij cum oppido vulgo Giurgyevecz reparata. Ad Breszt & Szredichko sub ductu Casparis Alapij Suæ Majestatis Capitanei aucti pedites milites centum in locum *Quintariorum* intertenendi adeoque universim 200. Restaurationem autem *Dernye* quoadusque Joannes Globiczer Capitaneus Caproncensis, ibi arcem cum colonis pro se occupans, aut eam non restituerit, aut ad minus Regni dispositionibus non paruerit, neglectósque hactenus Laboratores non compensaverit, deprecari visum. Episcopus Zagrab. Joannes Monoszlai aliter Franchich, fl. mille ad erectionem Præsidij Breszt obtulit. Quo erectionis tempore Cives Zagrabienses cum adjutorio propinquiorum Dominiorum necessaria victualia, juxta Bani aut Vicebani limitationem vendenda, convehere oportuit.

Juxta VII. Articulum 1582. ad revidendas Metas intra Sclavoniam, Stiriam & Carnioliam e Regno lecti sunt: Caspar Alapy, Petrus de Ratka, Nicolaus Zelniczey Lector Capituli, Caspar Druskoczi Vicebanus, & Joannes Petrichevich Vice-Protonotarius Regni. Præfatis in Comitijs *Nicolaus Istvanffi* in Pro palatinum fuerat electus nominatusque: Oppida S. Georgius, Ivanich reparabantur per Regnum. Et Valla circa Carlostadium à Transcolapianis extructa & posita. Stephani Radetij Episcopi Agriensis, qua per Hungariam Locumtenentis in contemptum authoritatis Banalis & Regni libertatis expeditum inhibitorium ne à Bonis Nicolai Istvanffi & Balthasaris de Batthyan: sive Laboratores pro restauratione prædiorum, sive subsidia pro exolutione 200. Calapianorum Haramiarum imponere possint, non solum rejectum est, sed Suæ Majestati supplicatum, ut præfatum Locumtenentem à talibus extradandis inhibeat, cum non sit ratio ut publicis Regni constitutionibus parere, & publicæ necessitati prospicere præmissi Magnates non debeant.

Prætendebatur insuper, ut 260. illi pedites, cum Banali militia Archiduci Carolo plene subjecti evadant. Ut *Hrasztovicza* funditus demoliatur. Ut Episcopus Zagrabiensis custodiam Arcis *Topuszka* in se assumat. & si nollit, aut non possit: Abbatia Suæ Majestati resignetur, erga 200. Imperiales quotannis ex Dica Regia ab Episcopo percipiendos. Ut Castrum *Szisziег* æque Suæ Majestati resignetur, pro Bonis alijs cambiandum. Postulata hæc, nomine Rudolphi, Magnificus *Bernardus à Gaäl*, nomine Ernesti Comes de Turri in confinijs Croaticis Generalis, nomine *Caroli* Georgius *Collaus* aliter *Wazler* Capitaneus Petovij, proposuerunt, solicitârunt, urserunt, Banus ipse adlaborabat Quæ res, perexigui aliunde in se, affectus omnis in Banum, interitus erat. Hinc post diuturniores considerationes, ad prima duo postulata reclamatum est, cum pedites illi sub conditione & ad biennium conducti fuerint, nec Articulus 15. 1578. Archiduci Carolo Militiam Banalem subijciat, nisi *ne quid sequatur inconveniens, & Libertati Regni contrarium.* Præsidia quoque demolienda, non forent pro securitate Regni & vicinarum Provinciarum. Et quid juvat? vetera destruere, & nova ædificare. Episcopus Arcis Topuszka custodiam assumpsit. Capitulum autem, ad Cæsarem cum privilegijs & Donationibus suis per Romanos Pontifices nomine Ecclesiæ totius acceptatis confirmatisque, provocavit.

1583. Ad Kalendas Martij Posonij Dieta initium accepit. Sclavoniæ nomine adfuerunt missi Stephanus Budoczi Archidiaconus, & Joannes Zabok. Advenerat Rudolphus ipse, magnisque certatum animis, uti Istvanffius describeret, & ipsi Articuli, cum conclusione ponderati testarentur. Georgii Draskovich, & Stephani Radetij, sive respectu, sive credibilius amore effectum, ut tamen à prima die Martii ad 28. Aprilis duo Articuli conderentur. Quam rem Istvanffius Propalatinus scriberet, & Articulus I. innueret, verbis illis: *Quia tamen Domini Consiliarii nomine Suæ Majestatis, spem*

uberio-

uberiorem polliciti sunt, fore ut Majestas Sua ad istud initium restituendarum libertatum &c.

Varasdinensis Civitas tota incendio absumpta est, ut Subditi ejus à Fumalibus pecuniis fuerint exempti, ob restaurationem propugnaculorum, ac Sigismundi Palffi domuum, quæ pro hospitio Archiducis Caroli, & Commissariorum Regiorum deserviebant. Cœnobium Franciscanorum conbustum (quod locus ille à D. olim Hungariæ Regibus Deo sacratus esset) pro Annonæ conservatorio uti prætendebatur, negatum à Regno est: supplicatum præterea, ut Capitaneus Caproncensis *Glob.zer*, Bonorum Castri Raszinya partem, violenter occupans, prouti etiam portionem Petri Ratkay & Nobilium fratrum de Hassagy reprimatur, occupataque restituat. Secus ut Regni conturbator considerabitur, & juxta Regni constitutiones, contra eundem procedetur. 200. illi ad Colapim Haramiæ ultro intertenendi sub ductu Casparis Alapi Capitanei confirmantur.

Ob sterilitatem præsentis Anni, per solitas Nundinas, Fora hebdomadalia & Parochialium Ecclesiarum promulgatum, ne ulli salem maritimum permutare, quam Metretam pro metreta: aut emere quam Den. 50. metretæ partem quartam liceat, sub amissione salis & frumenti cambiati, vel pecuniarum.

Judicatus Comitis Curialis Abbatiæ de Topuszka, per Regnum non solum est agnitus confirmatusque, sed Nicolaus Sziszinachkij de quibusdam accusatus criminibus, ad Forum Curialis Comitis est remissus, cum Declaratione si non comparuerit, ut pro proscripto habeatur, tanquam crimina testaturus per contumaciam Judicium autem ante executionem, prouti & ipsa Executio sub sigillo Comitis Curialis, ad Comitem Banum, vel Vice-Banum transmitatur, tanquam contra Personam Nobilem promovendum.

Hoc eodem Anno, *Christophorus Ungnad*, tum quod, ut Exter consideraretur, cum ob minorem in se statuum propensionem, superiori anno satis testatam, vel maxime autem, quia demoliendam Civitatem Hrasztovicza cum Præsidio cognovisset, pluraque minus placitura ordinanda, ne is Author talium existimetur, aut ex sui aversione impediantur, atque ipse Cæsaris & Archiducum gratia decidat, cum ad intentiones Caroli perficiendas, proniores futuros status crederetur, si Nativo Bano consolentur, sponte Banali officio se abdicavit. Quare

Anno 1584. David Ungnad Præses Consilij Bellici, qua Suæ Majestatis Commissarius, in medium statuum comparuit. singularem Suæ Majestatis in hocce Regnum propensionem, non modo scripto, sed viva voce indicavit: *Banumque Thomam Erdödi* resolutum proposuit, & introduxit vi tanta verborum, ut suæ admonitiones, & propensionis Cæsaris atque Archiducum in hæc Regna commendationes, Lachrymas movisse scribantur. Banus pro more Vice-Banum ac Comitatuum Comitem edixit *Joannem Zabok*. Qui, non obstante exceptione Martini Zvirchich nomine Petri Rathkay posita, quod nominatus Vice-Banus violentus apparuisset, postquam is, se juri submisisset, & antecessor suus qua Vice-Comes Varasdinensis, cum Vice Protonotario Joanne Petrichevich ad cognoscendas violentias, & satisfaciendum læsis ordinati fuissent, acceptatus est, diesque in lætitjs transacta. Confirmatis etiam Vice-Comitibus, in eorum officio. Dein sequentibus diebus.

Ut Arx cum Civitate Hrasztovicensi quo citius demoliatur conclusum. Ut in *Bresz* vel ubi Bano commodius videbitur nova munitio primum ex sæpibus pro suburbio ædificetur, ac ex Arce & Civitate Hrasztovicza deductis Lapidibus turris Lapidea erigatur. Præter mille illos Episcopi Zagrabiensis Monoszlai florenos, hunc in finem 700. f. Hung. apud Lectorem Capituli Christophorum Grangya repositi, ordinati sunt. Ut 200. Haramiæ pedites interteneantur ad quorum exolutionem præter Fumales pecunias, ad quamvis portam fl. Hun. duo impositi. Ut Præsidia *Ivanich*, *Crisium*, *Capronczа*, *S. Georgius* opera colonorum muniantur. Quibus constitutis, cum Cæsaris Commissarij abire vellent, præter gratiarum Actorias Litteras, Supplicatio ad Carolum missa est per litteras, uti etiam ad Imperatorem Rudolphum. In qua, Regni miseriæ exponuntur. Et quidem, quod priscis temporibus unus Comitatus Crisiensis centum viginti millia Portarum habuerit, perhibentibus Dicatorum libris, modo in toto Regno vix 3000. numerentur: *2dò* quod Regnum supra vires suas, pro conservatione Patriæ & Vicinarum Provinciarum, tam contributiones quam labores gratuitos præstet. Item ad solutionem Gentium Banalium, à quavis porta Hung, unum, ad Intertentionem 200. Hara-

ramiarum singillatim Hung. duos, Fumales insuper pecunias pro Regni & Confiniorum necessitate. 3tiò Præsidia ad Colapim *Rechicza*, *Lettovanich*, *Herkovichij*, *Szredichko*, *Breszt*, *Drenchina*, & universa in tractu Colapis periculosa vada, usque *Siscium* provideat. 4to *Ivanich*, *Crisium*, *Capronczam*, *S. Georgium* muniat: tanto miseræ plebis onere: ut vix tempus excolendi agros habeat, Regni autem periculo: quia Coloni ad Vicinas Provincias, nempe Hungariam, Austriam, Moraviam, propter talismodi onera emigrarent. Ideo supplicatum est: ut Arces & Districtus aliunde ad Regnum Sclavoniæ pertinentes, & in Comitatibus Regni Sclavoniæ existentes, *Mokricza: Bresecz: Wisely, Kunsperg, Chetertek, Pisacz, Kosje: Szreda, Raka, Rogatecz, Trokenburg, Kerchko, Kosztanievicza, Thurn, S. Peter, Fastenberg, Metlica, Kochevje, Chernovlie*, aut integrè postliminio Regno incorporentur, aut ad minus ad munienda Regni Præsidia opem ferant. 2dò Si Civitas Hrasztovicensis diruta fuerit, adminus pro Patriæ securitare, Arx Hrasztovicza conservetur & milite alijsque contra Turcas muniatur.

Abeunte Commissario Cæsaris, Regni Privilegia, à Petro Heressinczi Episcopo Tinniniensi & Zagrabiensi Præposito acceptata, & sub Regni sigillo per Vice-Banum, & Vice-Protonotarium ad Sacrarium Basilicæ S. Stephani Regis, reposita sunt. Tum Assessores Judiciorum octavalium constituti: Thomas Milich, Antonius Vramecz Parochus Varasdinensis, Joannes Chernkoczi, Joannes Jakopovich Judex Civitatis Zagrabiensis, Nicolaus Mikaczius Præpositus B. V. M. de Zagrabia, & Stephanus Budoczi Archidiaconus.

Ab Anni hujus die prima Januarij inter Rudolphum II. & Amurathem III. Impp. ad annum usque nonum duratura induciarum prorogatio, licet constituta sit, Hasanes attamen Szigethi Præfectus, cum valida Turcarum manu in Comitatum Castri Ferrei (vide Istvanffium) invasit. Ejus exemplo Ferhatis Bosnæ Præfecti jussu, Bosniæ cæteri Duces Turcas cumulant, qua re ad Regnum delata, Castra Rakonog & Bosjako reparari & muniri jubentur, reparataque sunt. Turcæ autem sub finem Septembris egressi Labacum usque, gravissimam impressionem fecerunt, direptis passim vicis ac pagis, magnaque Christianorum multitudine, secum in servitutem abacta: Quos Thomas Erdödius Banus, cum Comite de Turri, coactis subito aliquod hominum millibus, nulla interposita mora maximis itineribus die 26. Octobris ad *Sluin* Croatiæ adsequuntur, invadunt, cædunt, captivos liberant, & prædam recipiunt. Amurathes de clade suorum ad quatuor millia edoctus, jure cæsos pronunciavit, quia contra induciarum leges peccantes.

Quibus actis in Conventu publico lecti ad rectificandas cum Stiris & Carnis metas, Stephanus Kastellanffi de Szentlelek, Caspar Ztankovachkij Chasmensis & Glogonensis Præpositus, Nicolaus Mikaczius, Joannes Zabok Vice-Banus, & Joannes Petrichevich Vice-Protonotarius. Transcolapianis partibus impositum, ut juxta limitationem Andreæ Deszpotovich de Honich Judlium Transcolapianum, nullo excepto ad Carlostadium Laboratoribus concurrant. Contra Magnates & Nobiles ad Regni Congregationes non comparentes, ut juxta Articulum in Generali Decreto contentum procedatur, statutum est.

1585. Supplicatum Archiduci Carolo de mittendis idoneis Commissarijs pro Metarum rectificatione: Ac danda satisfactione ex Generali Capitaneo Carlostadiensi, qui Nobiles Wolffgangum Kasznich, & Georgium Karachky in carceres intruserat, & Bona Familiæ Kobassich violenter occupaverat. Sed Carolo dissimulante, Rudolpho est supplicatum. Ad pontem Carlostadiensem erigendum Laboratores ordinati sunt. Demum in crimine raptus, Articuli Dietales, & Municipales Anni 1562. observari per publicationem in locis publicis, præcepti. In locum demortui Joannis Petrichevich, in *Vice-Protonotarium Electus Michaël Urnoczi*. Dica à Facultatibus desumpta, sic enim legimus in cujusdam Epistola, *Connumeratores pecorum taxam imposuerunt sine misericordia*. Graviores inimicitiæ intra Magnificos Stephanum Gregoriancz, & Joannem ac Stephanum Tahios; ut gentes suas alter in alios eduxerint.

1586. Kalendis Januarij Zagrabiæ, Posonij, alijsque in locis ingentes terræ motus auditi. Viennæ aliquot domus ruinatæ, & de turri majori S. Stephani corruenda metus, cum minores aliquot decidissent. Ad Regiam postulationem per Commissarios Erasmum Brovun, & Vitum ab Hallek ad Capronczam Laboratores ordinati, sub cura Joannis Keczer: Et Haramiæ 100. constituti, ac intertenendi promissi, qui in montibus Medved, Kalnik, Ochura contra Valachos *Plagiarios* vigilarent, & Stiriam à peri-

culo

culo Latronum securiorem redderent, Hoc Anno vivere desierunt, Vice-Banus Joannes Zabokij, cujus loco per Banum est nominatus *Ladislaus Imprich de Jamnicza*. Et Protonotarius Regni Emericus Petheo, de Hettes cui datus Successor *Martinus Szambothelij* simul etiam Personalis Præsentiæ Regiæ Protonotarius, Indigenatu Regni donati sunt Andreas ab Auspergh & Ludovicus Glabiczer Civis Zagrabiensis, ac uterque pro nobilitaribus insignijs Suæ Majestati commendatus.

Die 10. Decembris. Turcis affectu prædarum excurrentibus Thomas Erdödius ad Ivanichium occurit, ubi cæsis eorum mille & amplius, & captivis eliberatis, eos repræssit, & *Kostaniczam* flammis injectis cremavit. Inter alios cæsos perijt Alij Bassæ Bosnensis frater (natus e Familia Mechemetis Bassæ Vezirazemis, cum quo nupta fuit Selimi II. filia, Amurathis soror) cujus caput à cervicibus recisum, cum captivis quibusdam Viennam ad Ernestum Principem mittitur.

1587. Post cæsum Alij Beghum, confestim Zagrabiam itum. Et quia pronum cogitatu erat, Turcas reddituros, quod ipsum exploratores refferebant, ne insperatè hostis superveniat, constitutum est: ut omnes Domini & Nobiles, Regni consuetudine exercituare debentes, penes BANUM, ad terminum & locum ab eodem intelligendum, personaliter insurgant. Qui verò vel morbo impeditos se probaverint; vel pro stipendio Suæ Majestati inscripti essent, tales qua Nobiles & Regni membra Equitem sui loco, bene armatum & provisum mittent. Negligentibus Bona exequentur, & per Banum possidebuntur donec in duplo, proveniant sumptus illi, quos talis negligens in Castris fecisset. Ad Octavalia Judicia præter Vice-Banum & Protonotarium ex officio Assessores, nominati sunt, Caspar Ztankovachky Præpositus. Nicolaus Zelniczey Lector; Nicolaus Mikachius Cantor & Episcopatus Zagrabiensis Gubernator. Stephanus Budoczi Zagrabiensis Archidiaconus: Michael Zelnichey. Gaspar Petrichevich. Georgius Mikovich. Gregorius Sugnetich. Joannes Palffi. & Georgius Fudroczi. Sub-Vice-Comiti Varasdinensi Georgio Hergffi (Christophorus autem Vragovich erat Vice-Comes) binis in locis admissa potestas, quæ in aliis Comitatibus per actuales Vice-Comites fuit exercita.

Ob sterilitatem prioris præsentisque Anni, Stiri, Carinthi, Carnioli turmatim ad Sclavoniam convenerant causa frumenti coemendi, ut à grossis decem, Modius ad florenos duos fuerit elevatus. Metu autem Belli, ne domi caritas eveniat, non nisi partem tertiam præfatis emptôribus vendere licuit. Duas quemvis, sub pœna amissionis frumenti, servare oportuit. Restauratio Rakonog continuata, in locum interfecti per milites Carlostadienses, Pontis ibi inspectoris Andreæ Deszpotovich, Franciscum Aisich creatum fuisse Judlium, invenimus.

Banus ad Ernestum Archiducem in Regni negotijs profectus, cum plenaria authoritate sui loco, curandis negotijs Vice-Banum reliquit. Et pro tali ad tempus duntaxat Banalis absentiæ fuit agnitus. Magnifico Casparo Raab Archiducis Caroli Bellico Consiliario, datum testimonium & commendatio, de fidelibus servitijs constanter Suæ Majestati in confinijs, præstitis. Vaivoda Haramiarum in Ivanich, Georgius Zladojevich fuisse invenitur.

Ad Anni hujus Dietam, Posonium Legati exmissi Nicolaus Zelniczey, Vice-Protonot. Urnoczi, & Christophorus Vragovich, cujus initium ad Kalendas Novembris fuit. In qua qualiter? & quid tractatum conclusumque sit, cum ex Articulis, tum Istvanffio videndum. Uti &, de Turcarum excursionibus quas Hasanes per Insulam Muraköz, eam depopulando fecisset, ac cœteris accuratè ab Istvanffi descriptis. Rudolphus die 14. Augusti confirmat Litteras, super *jure Patronatus* Præpositturæ B. V. M. in area Capitulari, pro Episcopis Zagrabiensibus Pragà. Et pro Majoribus Præpositis, ac Lectoribus Capituli, fundos domuum perpetuos facit; Hereffinczius Episcopus Zagrabiæ sub dato Pragâ 15. Octobris, commendans sibi junctum sanguine Joannem Nardinum Subdiaconum & Canonicum Zagrabiensem, pro Bononiensi studio.

Decembri mense, ad Bihachinum (cujus supremus Capitaneus erat Vitus ab Hallek) Anserum anatumque nubis instar advolantium pugna, seque mutuis vulneribus conficientium accidit; de qua Istvanffius, Rosinus, ac alij.

1588. Georgius Stumberg cum Stipendiarijs 500, militibus Carlostadiensibus violenter in *Petrovinam* irruit, ibidem magna damna prædando inferens, scriptum Archiduci Carolo ut jubeat satisfactionem à Justo Josepho Turri Generali Carlostadiensi impendi

pendi

pendi. In locum Mathiæ Diankovich Vice-Comitis, Joannes Pogledich de Kurilovecz est suffectus. Plura dein constituta fuisse eruimus.

I. Ut universi & cuivis generis malefactores, homicidæ, fures, latrones, prædones, strigæ; intoxicatrices, incendiarij, siccarij, fornicatores & id genus perniciosorum hominum, ubivis existentes & latitantes per Comites vel Vice-Comites quorumvis Comitatuum, facta diligenti inquisitione, secundum leges in talibus observari solitas irremissibiliter puniantur. Defensores verò ejusmodi hominum qui eos extradare recusarent, pariter pro publicis malefactoribus habeantur & publicantur.

II. Unus Nuntius æquè unius duntaxat, & non plurium Principalium Legationem subire poterit, alioquin fidem, locum, & votum in Congregatione habere non possit.

III. Contra Regnicolas venire, vel nuntios ad Regni Congregationes mittere recusantes, decernitur ut Vice-Banus sine cunctatione, statuta 1498. Articulo Vladislai Regis pœna, in eosdem animadvertat.

IV. Judicia Brevia amodo & in futurum tamdiu decurant, donec causarum pluralitas exigit, idque ideo, quia hactenus plures unius sessionis Nobiles pauperes, usque ad finem Judiciorum innaniter expendentes, rebus suis infectis redire cogebantur. Et quidem Zagrabiensis Comitatus, exceptis festis sex diebus ad minimum, Crisiensis tribus consideat.

V. Montanis Haramijs D. Vice-Banus in Capitaneum præficitur, quos etiam sic distributos vigilias observari faciet: ad Montem Medved Haramiæ 20. ad Moraucham, Bisztag, Rakonog & Bosiako 20. ad Hochur, Lobor, Krapina 20. Quibus liberum erit, ad reddendam Regno & vicinis Provincijs securitatem, captos Plagiarios Valachos, mox vivos palis infigere. Quod ipsum per Fora & nundinas ubique publicetur.

Legati e Dieta Reduces Articulos Dietales præsentârunt, qui etiam publicati sunt, atque facto eorundem quoad Regnum Sclavoniæ examine cum sequenti modificatione & declaratione acceptati. Et quidem juxta Articulum Dietalem 10. denominati pro Sclavonia Comissarij sunt Magnif. Nicolaus Istvanffi de kys-aszonfalva officij Palatinalis Locumtenens. Michael Tahy, & Michael Zekelij Suæ Majestatis Capitanei. Nicolaus Zelnichey Præpositus Zagrabiensis. Vice-Banus Ladislaus Imprich, Vice-Protonotarius Urnoczi. Præterea Ladislaus Bukovachki & Franciscus Orehoczi. Quibus juxta conclusionem Dietæ, Camera Hungarica pro expensis dedit fl. Hung. 1000. Dicatores Camerales electi, in Comitatu *Zagrabiensi* Balthasar Drenoczi in *Varasdinensi* Christophorus Vragovich.

Ad 13. Articulum. Cum Archiduci Ernesto Status Hungariæ à singulis portis Denar. 40. titulo donativi, & pro Commissarijs confiniorum Den. 10. obtulerint. Nulla in Regnum Sclavoniæ obligatione inducta. Ideo status post Suam Majestatem in præfato Archiduce spem habentes, ac per hoc sua quoque fidelia servitia in gratiam Suæ Serenitatis recommendantes, utrumque oblatum pariter integrè in Sclavonia exigendum præsentant, ita tamen ut posthac semper modus quoad medietatem hactenus servatus, inviolatus remaneat.

Ad 15. Quia in conclusione Sua Majestas Articulum hunc, quoad vina tantum *Austriaca* non confirmasset, ideo quoad *Stiriaca* confirmasse censeretur, æquitati præterea consonum foret, ut vel reciprocum cum vicinis Carnis & Stiris sit vinorum commercium, vel nec illis, in Sclavonia illorum vina vendere liceat. Ideo suprafati Commissarij, cum Cameræ Dicatoribus, filiales Tricesimas ad limites ubi judicaverint, ponant. Quæ, sub amissione vinorum invigilabunt, ne ulla Stiriæ vina in Regno vendantur, quoadusque Sclavonica ibidem vendere admissum non fuerit.

Ad 16. Quia hoc eodem Articulo, fieret provocatio ad 6. 1405. quo: ultra Dravæ fluvium residentes, in suis libertatibus & antiquis consuetudinibus conservandi decernerentur: Ideo per hoc Regnum, & etiam Croatiam totam, in quibus Zagrabienses mensuræ antiquæ observantur, etiam in futurum sub pœna ejusdem Decreti Sigismundi Regis, serventur.

Ad 19. In Sclavonia & Croatia juxta priores constitutiones, intelligitur etiam de Indigenis, sive indigenatu donatis prouti similiter prærogativis Nobilium aut ex lege, aut usu gaudentibus. Justum enim est, ut gaudere volentes prærogativis, easdem se mereri demonstrent. Sed & stipendia militaria merentes, quà Nobiles, sui loco insurgentem mittent, quia insurgendo sunt Nobiles, stipendia merendo, mercenarij.

Ad

Ad 27. Per Regni Sclavoniæ Status, sic intelligitur, ut *tellonia Sicca* simpliciter aboleantur: *Injusta vero* Id est sine taxatione Statuum publica, quid solvendum sit? Sub amissione Officij Vice-Comitis distrahantur, sive suspendantur, quoad Privilegium tellonia le produxerint, & taxationem acceperint. Et quia Civitatis Caproncensis Ablegati exponerent, à militibus turbari Cives in suis libertatibus, ideo Vice-Comes Crisiensis, agat juxta Articulos respectivè 22. & 29. sibi eatenus incumbentia.

Ad 28. Status Sclavoniæ, Unam Romanò Catholicam fidem profitentes, sicuti eandem palam professi sunt 1548. Art. 5. Item 1563. Art. 31. ac tot alijs: ita nequaquam ob respectum Suæ Majestatis, sed Dei: per Ecclesiam suam nos regentis, adeoque ex debita Deo reverentia *Novum Calendarium* ab omnibus acceptatur. Et si qui protervi reperirentur, qui sub veteris Calendarij expeditione, judicia sibi impendi vellent, tales expeditiones nec acceptentur, nec sub his ulla celebrari posse in Sclavonia Judicia, uno ore conclusum est.

Ad 32. Assessores priores confirmantur, additis Casparo Skoblich Custode Zagrabiensi & Stephano Berislavich.

Ad 33. & 34. Illi ipsi Commissarij, qui superius ad 10. sunt ordinati, & quoad ista authorizantur.

Ad 36. Non obstante Vblis Cleri, tædiosa Statibus Prætensione, Lucrum Cameræ, Contributionem, & Subsidia distinguere nolentis, adeoque Articulo 14. 1567. inapplicabiliter inhærentis, qui videlicet de Lucro Cameræ, sive Dicis, Prædiales Ecclesiarum absolveret, Præsens autem sicuti Haramias pro omnium securitate intertenendos statueret, hi vero ex Contributionibus, non vero Dicis & per distinctos exolutores intertenerentur; ita ab omnibus, etiam Prædialibus Ecclesiarum, & Libertinis Dominorum, æqualia onera contributionis ferantur. exceptis tamen Nobilibus, sive Prædia, sive Bona titulo Pignoris possidentibus, qui vigore Nobilitatis suæ à contributione exempti lege sunt, nec nisi benevola Subsidia in extrema Patriæ necessitate offerre spontè possent.

Ad 41. Tametsi Capituli Zagrabiensis nulla sit specialis mentio, in Generalitate tamen illa Articulari, comprehensum intelligitur dum exceptum non est. Quare secundum Constitutiones Dietales, præarendare Decimas à Nobilibus, & Dominis terrestribus, Capitulum etiam Zagrabiense admittet.

Disputatum certatumque diutius hac de re, uti & 36. articulo fuisse, notatum reperimus. Post hanc 41. dispositionem, à Dominis Terrestribus & Nobilibus Decimæ illico conductæ, ut in Lettenye. Also Lendva, Kuthos, &c. &c.

Ex præmissis credimus, Annis his in usu fuisse, post redditum Nunciorum è Dieta, Articulos Dietales in considerationem accipi, & sub quo sensu? & qualiter in Sclavonia observandi erant Statui. Quæ res, tanto magis fieri poterat, quod nec in *Conclusione Dietarum* ordinum nomina exprimebantur, nec pro Legibus habiti fuerint, cum res ferè eadem, continuo confirmetur.

Comiti Thomæ Erdödi Bano (fors Christophoro Ungnad decedente, aut valedicente) pro officio Supremi Comitis Comitatus Varasdinensis consequendo, commendatitiæ litteræ ad Archiduces & Rudolphum datæ sunt. Egregius autem Paulus Serat Hrastoviczæ Capitaneus fuisse legitur. De Turcarum incursionibus videndus Istvanffius.

Nobilitate his Annis donatos cum Armis & Insignijs legimus sequentes. Ladislaum Hersich de Jakupa. Antonium Kunich. Petrum Rozman. Petrum Fleiszman Imperialis Cancellariæ Notarium. Georgium Donik de Tulinya, Jacobum Novak. Joannem Jakopovich. Gasparem Blasievich. Nicolaum Susich. Stephanum Nagyalias Baletich. Georgium Jurievich. Georgium Dominich. Nicolaum Karaszmanovich. Michaëlem Ljubemko, Michaëlem Poznanovich. Mathiam Gvozdanovich de Goza. Nicolaum Novakovich. Mathiam Bellavich. Joannem Milich. Michëlem Gregurievich Vicenotarium Ecclesiæ Zagrabiensis. Blasium Filipsich. Gasparem Dobrinich. Georgium Zbobochini. Joannem Zmailovich. Georgium Kelchich. & Gregorium Voichich.

1589. Arcis Civitatisque Varasdinensis fossatum exundationibus Dravi, Arenâ Cœnóque impletum Cives cum suburbanis incolis suis, Arcis item Colonis purgarunt, & violentum Dravi in fossatum impetum præcluserunt. Firmata quoque sunt Carlostadium, S. Georgius, dirutumque Claustrum Ivanich gratuitis Regni laboratoribus reparari ordinatum, Rakonog similiter per Banum extrui ceptum, Fumalibus Laboratoribus fossatò cinctum est.

Bano Capitaneatum Regni, sub ea conditione resignante: ut futurus abhinc pedi-

tum Regni Capitaneus semper imperio suo, & Successorum Banorum parere teneatur. In Capitaneum Haramiarū ad Colapim Magnificus *Stephanus* de *Gregoriancz* electus est, cum plenaria authoritate officiales subalternos constituendi & mutandi, prouti magis pro Regni utilitate Eidem visum fuerit. Et si sui seniores quospiam hostes Turcas caperent, de ijs, pro suo velle disponant. Si verò Haramiæ quidpiam lucrarentur, ijsdem, præter honestum munus, nil: sed Regno Residuum cedet. Præterea in Haramiarum horum ad Colapim, & Montanorum, pecuniæ contributionalis exactorem, & Lustratorem electus est Vice-Banus Regni Ladislaus Imprich, qui Regestrum superinde servare debebit, & Haramias partim panno, partim ære exolvere. Pro Regni exactore nominatus Caspar Petrichevich: In Vice-Protonotarium electus PETRUS Pojatich. Haramiæ montani ad Hochur, Lobor, & Krapinam imperio *Casparis Draskovich*: Ad Ivancz Bela Lesztakovecz Egregij *Petri Radovich*: Ad Hraschinam & Hum *Balthasaris Batthyan*. Ad Kemlek *Georgii Praschoczi*: Ad Rakonog & Bosjako *Gabrielis de Tah*: Ad Medved, *Stephani Gregoriancz*: ad Moraucham *Stephani Kastelanffi* subjecti sunt. Recenter nobilitatem consecuti se legitimant sequentes: Ludovicus Glaviczer Civis & Apothecarius Zagrabiæ. Stephanus Lucas Kallinchich, Petrus Bratomanich, Joannes Rukely. Comes Zrinius ab Arce Varasdinensi, insulam *Gardinovchak* vocatam, violenter & cum gentibus avulsit.

Nomina Virorum in officio existentium patent ex præmissis. Quorum aliquos compendiô rememoramus. BANUS post Christophorum Ungnad, Comes *Thomas Erdödi*.

VICE-Bani sibi hoc ordine successerunt, post Ambrosium Gregoriancz. Joannes Forchich, post hunc Ladislaus Bukovachky, huic successit Stephanus de Gregoriancz. secutus illum Caspar de Druskocz, dein Joannes Zabok, demum Ladislaus Imprich de Jamnicza.

Protonotarij superioribus Annis fuerunt Damianus Aranyan, quo resignante Emericus Petheo de Hettes. Post quem Martinus Szambothely 1586. electus.

Vice-Protonotarij Joannes Petrichevich. Michael Urnoczi ab Anno 1585. tandem Petrus Pojatich.

Supremus Regni Capitaneus ab Anno 1574. Caspar Alapij, post quem Thomas Erdödi qui & Banus.

Generales Partium in Croatia hodie Carlostadienses Joannes Lenkovich, post hunc Heribertus ab Aversperg, dein Justus Josephus Turri.

Generales Locumtenentes in Confinijs Partium Sclavoniæ, qui hodie Varasdinenses dicuntur. Lucas Szekely, post quem Vitus ab Hallek.

Comitis Georgij à Zrinio Anno 1585. hos Titulos legimus. *Tavernicorum Regalium Magister, & Ejusdem Principis ac Regis Consiliarius, & Partium Regni Hungariæ Cis Danubianorum ac Præsidij Canisiensis Supremus Capitaneus*. Reliqui insinuati superius.

Canonicorum Zagrabiensium Nomina eruta.

Præpositi Majores sibi succedentes. Post Joannem Monoszlay, & Petrum Heressinczi. Nicolaus Zelniczey. *Lectores* Post Christophorum Mikulich, Heressinczi, Zelniczey. Paulus Fulchich, *Cantores* Joannes Dombrinus: Philippus Zedinich 1584. mortuus. Hic domum erexit. Et cuivis Canonico in funere futuro, dandum Cæreum ordinavit, quod ab illo, hodiedum servatur. Successit huic Nicolaus Mikaczius, qui & Mikocs, & Mikachin scribitur. *Custos* Caspar Zkoblich. *Præpositus Chasmensis* Caspar Ztankovachky simul & Glogoncensis. *Cathedralis*, Stephanus Budoczi. *Kemlek* Joannes Radetius. *Chasmensis* Andreas Fabriczi. *Vasca* inde Urbocz Georgius Zalatnoky Episcopus Rosonensis & Suffraganeus. Varasdinensis Joannes Ottavczius. Canonici leguntur Balthasar Napuli, Joannes Domitius, Caspar Grangya, Gregorius Farenich, Mathias Fintich, Ambrosius Jaszkay, Joannes Puczinich, Georgius Otavczius, Joannes Nardinus, Thomas Dombrinus, Marcus Matkovich, Joannes Vidossich, Thomas Milich. Plures desideramus.

LIII.
CASPAR ZTANKOVACHKY.

DE Anno, quô, ad Infulas Zagrabienses Caspar elevatus est, quæstio ex ipsis monumentis esse potest, ut propterea diversæ sint Scriptorum sententiæ. Heressinczius ad Annum 1589. Titulos Administratoris Ecclesiæ Zagrabiensis, & Abbatis de Topuszka tenuit.

tenuisse legitur. Ztankovachkium ad Annum 1587. Istvanffius, Zagrabiensis Ecclesiæ Episcopum nominat *Lib.* 26. *Pag.* nobis 355. dum inter Legatos de inquirendis Regiis juribus, & investigandis Arcium & locorum hostibus vicinorum, rationibus, *Ad Ilyricum & Dalmatiæ reliquias Caspar Stancovatius Episcopus Zagrabiensis, cum Stephano Berislavio, ac Caspare Patricevitio* (adde Nicolao Zelnichey) *profecti fuere.* Episcopum hunc collocat. Sed ad Annum sequentem hæc collocanda. Equidem Comitia illa publica ad Kal. Novembris 1587. sunt celebrata, & primùm 28. Januarii 1588. terminata. Quibus Sclavoniæ eligendi potestas Legatos, ad Dalmatiam tribuitur. Hinc anno 1588 lecti fuêre Legati, ac inter reliquos Caspar Ztankovachky, & Nicolaus Zelniczey. Heressinczius cum Archiduce Carolo hoc anno 1588. Varasdini Congregationi Regni interfuit. Proinde credimus Ztankovachkium ad finem anni 1588. Episcopum Zagrabiensem *nominatum* fuisse, ac primùm 1590. Apostolica authoritate *confirmatum*: Die VIII. Julij consecratum. Electionis Annum, eruimus tum ex Istvanffio loco superius notato, ubi 1588. designari debere credimus. Cùm ex quibusdam evocatorijs 1589. quibus Caspar Ztankovachkij ad reddendam Contradictionis Suæ rationem evocatur, quam is quà Zagrabiensis Episcopus, medio officialis sui posuerat, dum ad mandatum Stephani Feyerkövij Episcopi Nitriensis, & Locumtenentis per Hungariam Regij, *metarum reambulationi* Castri Monoszlo contradixisset. Præterea ex orationibus versibúsque 1590. (dum CASPAR Episcopatum consecratus addivisset) eruitur: antea Eum Episcopatum Zagrabiensem fuisse consecutum. *Mathias Czbovich* Sisciâ oriundus, in oratione sua, quam ut scripta est, possideremus, post *Commissionem* superius insinuatam, adeoque 1588. aut sub principium 1589. nominatum supponit Episcopum, ita enim loquitur: *Cum in sacris, publicisque occuparis operibus, virtutes longe latéque disseminas, ut Hungariæ, atque Sclavoniæ Primates, & Proceres, Regnis ruinam minantibus, opera bonorum virorum laturi suppetias, te unum Zagrabiensi Ecclesiæ communi suffragio præficiendum censuerint. Ad horum arbitria, accessit grata Imperatoris voluntas.* GEORGIUS similiter ZVETINOVICH Sisciensis in oratione sua, post superatos Turcas (quod 1587. factum) CASparum electum supponit: *Nam dum hostis infestissimus Turca,* sic ille, *nostros lares, focosque variorum hominum liberos circumdare, ac perpetuæ captivitati subjugare vellet, tua sapientia divinitus illustrata, unà cum Siscienſium militum selectissima turma, ad depellendam eorum rabiem, instar Ducis & Imperatoris fortissimi tua præsentia propulsasti.* Narrans tùm sacra mitra insignitum. Iterum: *Post valedictionem piæ memoriæ Revendissimi Petri Heressinczij Ejusdem Episcopatus olim verissimi administratoris . . . te primum Invictissimo Imperatori Rudolpho commendavit.* Itaque cùm *Heressinczius* ad Jaurinensem Ecclesiam, Anno primùm 1587. sit translatus, appelletúrque *Verissimus administrator.* Hisque titulis usus sit, ac *post* Ejus *valedictionem* Caspar successisse dicatur, ante finem Anni 1588. aut 1589. initium, Ztankovachkium nominatum *Episcopum* haud fuisse crederemus. Quid porro fuerit? ut sua *Confirmatio* ad Annum 1590. dilata sit, mortémque Heressinczij secuta, assequi non valuimus.

ZTANKOVACHKIJ Illustribus fuit Parentibus. Draskovichio Episcopo junctus sanguine, Illiúsque cura æducatus. Pueritiæ annis, sub pijssimæ Matris disciplinâ transactis, Adolescens, litteris, virtutibus in Aula Draskovichij condiscendis deditus, ab eodem *Viennam* primum, tum *Bononiam* missus, Philosophiam, Theologiam, Jurisque scientiam, magna sui commendatione assecutus est. Ut ex his publicè disputaret, & Doctoratûs Insignibus decoraretur. In Collegium Canonicorum Zagrabiensium, à Draskovichio adscriptus, dum Bononiæ studeret, ejusdem Collegij postea Rector. Chasmensis Præpositus, inde, post Heressinczium ejusdem in Episcopatu Successor. Ita propensum in se, ob virtutes, habuit Draskovichium (qui Episcopum futurum prædixerat) ut Abbatiam de Topuszka, ei cesserit. Ex qua translatus, Præpositus B. V. M. de *Glogoncza* fuerat. Uti Ejus Tituli, testarentur. Suorum & Ecclesiæ Prædialium Judicia 1590. celebravit, absolvitque.

Ruinam Sclavoniæ, minantibus temporibus, Ecclesiæ huic Pastor obtigit. Tanta prudentia providit, Ecclesiæ Ovibus, Patriæ, ut *Banatu* quoque insigniretur. Statim à consecuto Episcopatu constituit: ut ad *Clericorum* Seminaria susceptus Alumnus, Coram Canonicorum Collegio, tali se obstringeret vinculo (plures enim, dicto vale, reverte-

„ bantur ad Sæculum) Ego NN. Seminarista Vblis Capituli hujus Almæ Ecclesiæ Zagrabiensis, Juro per DEUM, & per gloriosam DEI Genitricem MARIAM, & per omnes Sanctos & Electos DEI, quod obediens, ac gratus ero, Almæ huic Ecclesiæ Zagrabiensi, Ejúsque Prælato, & toti Capitulo, Dominis videlicet ac Patronis meis, sine quorum licentia & voluntate ex Seminario, in quod gratia eorum receptus sum, non discedam; sed cum & ubi opus videbitur, sacris initiabor ordinibus, & Ecclesiasticis ministerijs, in hac Diœcesi fidem Catholicam profitendo, perpetuo inserviam, sic me DEUS adjuvet, & B. V. Maria, & hæc Sancta DEI Evangelia.

Multis annis, & credibilius à SIMONE I. dum nempe ab Hyspano milite, ut superius descriptum Arx Episcopalis cingeretur, Cathedralis Basilica tecto caruit. Draskovichius dispositiones fecit, ut Basilica tegeretur. Incoatum à Successoribus opus tandem à Ztankovachkio absolutum anno 1591. est.

Jam ab annis prioribus, multa Capitulo fuêre incommoda, graviores lites, cum & ratione Subditorum *Gay* & *Okunscsiak*. Qui, evolutis disturbiorum temporibus, & Castrorum *Velika*, *Chasma*, *Monoszlo*, aliorúmque finitimorum amissione, se se ad Capituli terras receperant, colonias ut ita dicam, novas constituentes. Sed obedire renuebant, spe & libertatum, & protectionis Zriniorum. Post diversas judiciarias sententias, cum recedere cogerentur, supplices tandem, sequenti Sacramento sese Capitulo devoverunt. *Dominica Jubilate Anni 1590. in Sacrario:*

„ Nos Communitas Colonorum de Okuncsiak, juramus per DEUM vivum, & B. V. M. ac omnes Sanctos & Electos DEI. Quod amodo imposterum, isti Ecclesiæ. D. Regis Stephani, totique Capitulo Zagrabiensi, Dominis videlicet nostris Legitimis, modernis, & eorum Successoribus, erimus fideles, obedientes, & eorum Subditi. Ipsísque unà cum hæredibus & posteritatibus nostris, semper fideliter serviemus: nec alios Dominos præter ipsos, quamdiu in illorum bonis manserimus, agnoscemus. Ita nos Deus adjuvet, & Fides nostra Christiana.

Istvanffius ad Annum 1590. Turcarum consilia de transferendo in Europeos bello recenset, nullorum faciens motuum mentionem. Sed Epistola Præfecti Sisciensis ad Capitulum scripta, Turcas sub principium anni hujus (quo iterùm majores *terræmotus* Zagrabiæ fuisse notantur) hostem jam se demonstrâsse narrat: equidem anno 1590. Die 27. Februarii ita scribit: *Proximis diebus Turcæ cum tercentis circiter militibus, expeditionem fecerunt, duas villas super Granicze adjacentes, Bosniaki vocatas depopulati sunt: 42. captis.* Initium hoc fuerit ruptarum induciarum. Sed & secutas eodem anno (quo etiam Carolus Archidux Die 10. Julii, ut oratio funebris à *Mathia Essero* Caroli Sacellano typis data testaretur, vivere desyt) plures Turcarum excursiones, ut credamus, argumento est: Quod *Nicolaus Mikaczius* Cantor & Abbas Diakoviensis, ex publici Boni servitio, & Patriæ servandæ Zelo, *Cantoratu* cum *Præpositura* Chasmensi commutato, adsumpto Collega Stephano Fabriczi, pro *Siscia* Præfecto iverint: ut tempestivè loco, & Patriæ providerent. Castrúmque Capituli vetus *Gradecz* Laboratoribus pulveribúsque Pyrijs demoliverint.

Et quia ab anno hoc, gestisque bellis continuo, Sclavoniæ Croatiæque excidium imminebat, pluraque fata experiri Regna hæc opportuit, ob circumstantias admodum graves, & diversas. Eapropter diffusius, tam ex MSS. plurimis, quam & Istvanffio, Actorum publicorum quoque testimonio, in diversis varijsque casibus, Chronologica serie rem enarrare videbatur. Faxit Deus! ne similia Patriæ huic nostræ, unquam tempora reddeant, ut horum lectione adjuvari debeat. Speramúsque longiorem hanc narrationem, Lectorem boni æquivé consulturum. Igitur

Belli hujus originem, & causam hanc eruimus. Post factam ab *Amurate* Turcarum Imperatore, cum Persis pacem; Cùm *Sinanes*, sublato è vivis *Ferhate* æmulo, ut Primus Vizirius ad Clavum Imperij sederet, belli in Europam adversus Christianos continuò transferendi; procus, authorque extitit: quippe quod concessam pacem, frequentibus in Turcicam ditionem, & dirissimis excursionibus identidem violarent: Cæsar item *Rudolphus*, honoraria munera biennio neglexisset, sæpius solicitatus & monitus licèt, ad submittenda adduci non possit. Variantibus super hæc sententiis, visum Amurati fuit: *Muphti* sive summi Mahometanæ Religionis Antistitis, sententiam exquirere. Qui, auditis utriusque Partis rationibus, cùm ad conservandam pacem hortatus omnes fuisset, à Sinane convivio exceptus, ex hausto veneno, interijt. *Sinanes* mortem hanc, Mahometis vindictam ingeminans, secretis litteris *Hasanum* Bosnæ præfectum admonet, ut ea par-

parte, bello illato, causas novarum rerum quæreret, sic ut postea se ab ijs, contra inducias, armis petitum conquereretur. Præstitit hæc confestim Hasanes; Anno 1590. uti ex supra relatis apparet monumentis, & quia repulsus fuisset, per nuncios Amuratem certiorem fecit, veráque falsis miscens, inducias à Cæsareanis violatas significavit, suásque augeri copias petijt, quibus & sua tueri, & injurias ulcisci valeret. Interea dum nec Rudolphus, nec Amurathes, pacis violator esse volunt, sed alter accusaret alterum, *Simane* continuo hortante, in apertum & diuturnius bellum eruperunt. Accesserat ad præmissa, nova Poloniæ cum Regis, Austriaca domo contrahenda affinitas: munerúmque ex tractatione pacis Polonos inter ac Amurathem tardius missorum, mora: ac denique non remotorum à Polonis (uti ex Pactis publicis debuissent) à finibus Cosaccorum, qui toties subditos Turcicos deprædati fuerant, lamentatio. Ob quæ, Sinane periculum Imperio Turcico imminens, vociferante: suspitionésque alias ex alijs efformante, Hasani Bosniæ Præfecto, hostilitates ultro exercendæ admissæ sunt: Itaque

Hasanes 1591. Mense Majo atrocibus bellis initium fecit. Omissisque illis, quæ in Hungaria, vel Polonia acta sunt. Nos nostra duntaxat recensebimus. Ac licèt *Istvanff*. accuratè ista descripserit, ea tamen quæ ab ipso omissa sunt, ex monumentis, & MSS. authenticis addemus, desumendo & illius, sed notis compendiarijs, relationem. Prædictus igitur Hasanes, collectis totâ Provinciâ copijs, cum quinque armatorum milibus, ac totidem tormentis minoribus, quæ binis equorum jugis trahebantur, Regionem illam, quæ intra *Crisium*, & *Ivanichium* est, depopulari non cessavit, circumlato ubique terrore. *Gusetherovecz* pagum succendit, Castello intacto relicto. *Bosjakovinam* Castellum, in quo, haberi quidem tormenta, sed pulveris sulphurei, ne pugillum quidem, à transfuga edoctus, acri peditatus impetu cepit ac diripuit, injectóque igne concremavit. Tum ex *Rakonog* seu Rakovecz, *Verbovecz*, & S. Helenæ vico, pagísque cis Zagrabiam sitis, ingentem prædam agit, majorem acturus, nisi ingentes pluviæ authumnales, itinera cœno & crebris lacunis impedivissent, & exundantes *Glogovnicza* & *Lonya* amnes, barbaris conatibus suis, restitissent.

Insolentijs his barbaris, extemplô restiterunt, finitimarum Arcium Præfecti, nominatimque Capronczensis, Crisiensis, ac Ivanicensis, reducémque prædatorem ad *Gradecz* aggressi sunt. Cæso inter reliquos Osmane, & compluribus Turcarum captis, cum *Mustapha* equestris turmæ Verocensis ductore. Eliberatis 400. nostrorum, qui in captivitatem ducebantur. Ex quibus postquam intellexissent, tormenta à Turcis non procul à loco pugnæ, relicta esse, ea etiam in nostrorum potestatem devenêre. Hasanes accepto hoc detrimento, nihil territus, à Ferdinando Principe, qui Patri Carolo successerat, per litteras tormenta sibi reddi postulabat, nullo responso habito.

Prædicta, uti funesta erant Patriæ, sic rupti fœderis signum, & imminentis ruinæ his Regnis indicium, à nostris considerabantur. Ferdinandi autem Principis Curatores, prouti & Rudolphus ipse violari fœdus credere non poterant, verùm rem totam, ad male cultam viciniam referebant, eoque firmius interpretebantur, quod Hasanes, tormenta minora, quæ binis equorum jugis traherentur, adhibuerit. Quod sine violatione pacis (pactis sic interpretantibus) facere potuit. Quare facta præmissa, ut crudelis violentia, pari vi defensa, neutiquam verò ut ruptum foedus præcipue cum Hasanes tormenta sibi restitui postulaverit, accipiebantur.

Interim opportunæ à Regno, & singulis, dispositiones bellicæ non negligebantur. *Zagrabiense Capitulum* diligentiam cumprimis omnem adhibuit. Nicolaum Mikocs, passim Mikaczium appellatum, Patriâ Sisciensem utpote in pago *Tissina* natum, Præfecto Sisciæ, *Stephano Fabriczi* adjunxit. Castellanos & Vice-Castellanos plures constituit. Milites item, Pistores, Cocos, Molitores. Sisciensium singulos adesse oportuit & excubare. Kralevczensium aliorumque Stibrensium major numerus adhibitus. Est enim & horum obligatio, in necessitatibus arma corripere, hinc pacis tempore, exiguum quid præstant. Sane ad hæc usque tempora, intra Siscienses servantur Pistores, Coci, Molitores. Militum nomine, Pagi Cis Colapim Siti, ut Uroth, Drenchina, Prachno, & Sisciensium quidam, nonminus & transcolapiani pagi Komarovecz & Blinya considerentur, ut prærogativis aliquibus, ab alijs subditis gaudeant. Sunt & sic dicti Prædiales, per pagos singulos divisi, quorū Castellanatus proprius est in singula Turri tempore obsidionis Hæc retulimus, ut quæ erat illorum temporum providendi ratio, cognoscatur. Addimus ex Regestro authentico Anni 1591, & eorundem solutionem. *Castellani* singuli fl. 2. & medium, *Bombardarij* fl. tres. *Milites* singuli fl. unum & medium, prouti & pistor, *Claviger*

fl. unum. *Molitor* fl. unum, & quidam Stephanus Lovasz fl. tres. Intellige menstruatim. Anno sequente 1592. & 1593. præmissis duplicatam fuisse mercedem notatur.

Præter dicta, à Rudolpho subsidium in ære & milite orabatur. Quod is pollicitus est, & successivè præstitit, hoc autem anno nil fecit, ne foedera pacis rupisse, à Turcis existimetur. Capitulum Zagrabiâ de necessarijs omnibus providere debuit, & tempestivè succurere, in Annona, pecunijs, tormentis, pulvere pyrio &c. Ad quæ, tanquam publicæ necessitatis, templa & Clerus contribuebant. Decimæ quoque, quæ in natura dari solent, & in area capitulari depôni, eò applicatæ, Canonicis nil participantibus.

Thomas quoque Erdödius Banus, cum credito sibi Regno tot injurijs Hasanis concitatus, excitatis ad Signa & Castra Nobilitatis copijs, & adjuncto sibi e varijs Præsidijs milite, cum aliquod Colubrinis *Monoszlonem* sive montem Claudium, à sexaginta plus minus peditibus Turcicis custoditum obsidet. Præeunte *Stephano Tabio.* Cum sub Arcem pervenisset, erectis aggeribus, & minoribus tormentis, quassatis arcis muris, post tridui oppugnationem, dedentibus esse propugnatoribus, arx ea conditione recepta est, *ut ij qui intus erant incolumes dimitterentur.* Arx autem confestim diruta.

His ab Hasane cognitis, extemplò is, *Rustanem* legatum suum Constantinopolim misit. Qui, vera falsis miscendo, inducias ab Erdoedio Bano violatas, arcem cum insigni apparatu bellico, ac tormentis inusitatæ magnitudinis expugnatam conquestus est, brevique *Velicam* oppugnatum iri retulit. Proinde & suppetias, & facultatem armis ulciscendi injurias orabat. Atque ad persuadendum, rupta esse violataque ab Erdödio foedera, ingentem ferream sexaginta pondo pilam alibi acceptam, in vestibulo Curiæ projecit Rustanes, illaque, & similibus arcem concussam, & deditionem coactam, falsò retulit. Sisanus belli cupidine, rem verbis exaggeravit, ruptáque amicitiæ jura & foedera sustinuit, ideoque honorarium à duobus retroactis annis, à Cæsare neglectum inferebat. Amurates Cæsaris Bizantij legatum, admoneri de mittendis muneribus jubet, secus neglectum, amicitiæ ruptæ interpraetem sibi futurum: Hasani autem amplissimam authoritatem attribuit, ut curaret, ne quid ea in parte respublica detrimenti caperet. Certior fit, â legato suo, Rudolphus, de ijs, quæ Constantinopoli agebantur, ac subito, nominato Legato qui dona Bizantium deferrat, Hasanem Budæ Præfectum, medio Palffij de ijs certiorem facit, hortatúrque, ut si dona honoraria mitti vellet, Hasanis Bosnensis incursiones, & hostilia quæquæ adversus pacta foederum temerariè tentata, seriò interdicerentur. Quæ dum ab illo peraguntur, & Nuncij Budâ Bizantium eunt, atque illinc redeunt.

Hasanes Bosnensis, submisso Rustane Legato suô, Constantinopoli necdum redeunte, captis Septembri mense *Hrasztovicza* & *Gorre* arcibus, deditione Præsidiariorum, pagis autem alijs, succensis ac deprædatis, de Castello non procul à fluvio *Colapi* erigendo, præsidioque muniendo, deliberat. Alijs ad *Breszt* novi Præsidij locum idoneum esse sustinentibus: alijs ad *Berkissevinam* opportuniorem censentibus. Isto attamen Anno, nil tentatum est, in erigendo novo præsidio, ne Hasanes violator pacis, probetur. Sed obsessa *Siscia* sive Szilzeg ab eodem fuerat, spe deditionis ejusdem, ex metu Turcicarum copiarum. Opinione sua frustratus, postquam triduo in ulteriori Colapis ripa, ad turrim desertam è regione arcis cum copijs hæsisset, ac minoribus colubrinis, quarum pilæ ovi anserini magnitudinem æquabant, arcem petere non intermisisset, nec à Mikaczio arcis deditionem minis exprimere valuisset, brevi se, majoribus viribus rediturum interminatus, eo quo venerat itinere retrocessit. Aliud quærere non credebatur, quam bene observandi arcis *Szisząg* situs, & loci idonei, pro Novo Castello erigendo opportunitatem.

Hæc Anno 1591. ab Hasane Bosnensi, Nostrisque Acta sunt, quæ ut fieri solet, ab utrinque, violatæ pacis argumenta publico proponebantur. Turcæ Erdödium Banum accusabant: Nostri Hasanem, & dum quivis Imperatorum, sibi factas relationes, veras sustineret, alterque ab altero se læsum lamentaretur, res ut moris est, in apertum bellum erupit. Rudolphus profectò, a bello alienus erat, muneráque submisit, nec curam belli habuit, sed hæc componenda ratus, studium omne, servandæ pacis adhibuit, ac Thomam Erdödium, ut lamentantibus Turcis satisfaceret, à Banatu amovit, annis sequentibus. Capitulum verò Zagrabiense, Arcem suam *Gradecz* trans Colapim sitam (sunt enim hujus nominis plura loca) mense Julio, destruxit ruinavítque. Mikaczius Sisciæ regendæ præpositus, ab Istvanffio, vir fortis & impavidus, sed *suspicaci* ingenio, describitur, utpote qui Marcum quendam Centurionem peditum, ex suspicatu quod Se-

creta

creta cùm hostibus misceret consilia, & Hasanem evocasset; mensæ secum adhibitum per Balthasarem Kranecz, tormentorum magistrum, minoris sclopi glande confodi & noctis tenebris savô immergi jussit.

Mikaczij hujus, quasdam Epistolas Anno 1591. Sisciâ scriptas, jam ordine adducemus, tum ad priorum confirmationem, cum quod, à Scriptoribus, parum de aliquibus cum Turca 1591. gestis scribatur. Hinc ne damnemur illico novitatis, earum quasdam adducere visum.

„ *Prima.* Mile laberatores Castrum hoc non destruent, sine pulvere. Krelievcenses, qui jam septem septimanis hic excubant Provinciæ Gradacensi, petentes abeundi veniam, mittuntur Zagrabiam. Szisziensesurgent acerrimè ut dimittantur, sed non dimittuntur à Præfecto nisi gratia à Capitulo detur, sed tamen etiā sine ea, clam nocte discedunt, licèt milies puniantur, nam fame pereunt. Ex Gradecz in Vigil. Nativit. S. Joan. Bapt.

In 2da Festô S. Heraclij Szisziô scripta significant: *Quod in turri* penes culinam, „ nullam bombardam ponendam censeant, ob impedimentum foci, tametsi turris illa, „ sit caput Castri, ob continuas in ea vigilias, ut enim ex quatuor fenestris serviat bombarda, necessum est, eam habere spacium vertendi, movendi: quod sine multis hominibus, & in angusto ac fumoso loco fieri nequit. Insuper adeo per sex *Targiak* impositos, est coarctata, ut vix sex barbatis totidémque militibus locus sufficiat, nedum ut bombarda cum suis apparatibus commode nisi focus destruatur, locari possit. In ea turri est positum, quantum in ambabus reliquis, quæ utinam olim ad summum usque murum deducta fuisset, haberet Castrum quo se hosti trans-Savano & Colapiano fortiter opponeret. Quod attinet ad summam rei quæ toties fat acerbè ingeminatur, Respondent se excubare adeo, *ut quotidie miles conductus*, unà cum alijs indagines revideat, nocturnas excubias lustret, seséque unà cum Præfectis, vigilijs ferè conficiat. Nec se laboribus parcere, licèt populus famelicus, non nisi minis, vinculis, & laboribus ad eas adigatur. Nec tamen omnia pro voto posse fieri Valla ad Colapim fecimus plurima & nova, à Spectatoribus hucusque laudata, etsi imperfecta. Gradecz non potest demoliri, etiam cum mille hominibus. Pro Piscatoribus misimus heri. Nos hic miserè vivimus, metu & fame perimus. Turrim Castro oppositam judicamus non demoliendam, cum de se, sit imbecillis, ut in ea hostis præsidium sibi promittere non possit. Præsidia Germanorum expectamus alacriter. Cives mittantur quamcitius, hostis enim est paratus & armatus. Stibrenses non sufficiunt Civitati & Provinciæ invigilare, distrahuntur ad varia loca, & interdum novas stationes in locis magis præclusis formamus

3tia. De Dato 27. Augusti, Neminem profugisse ad nos novimus, ista confingunt Hrastovicenses egeni. nisi fors ad illos quispiam profugisset. Excubamus fortiter, & *Bliniam* usque Vigiliæ perveniunt. Unicum terret, esse Begos quosdam adhuc ad latus Bassæ, quorum is consilio utitur. Hodie manum operi admovere volentes, famelicæ plebis gravem inobedientiam experti sumus adeo, ut piscatum pòtius, quàm laboratum eant, nec nisi verberibus coguntur. Itaque in excipiendo hoste nobis nil promittere audemus, quin facile quod tentaverit, obtineat, si instructus venerit.

„ *4tà. 30 Augusti.* Mirandum, quod 100. peditibus conductis nil decreverint dari, magis autem quod nil peccuniæ miserint. Tertia jam die laboramus in diversis locis, foris tamen diligenter interea excubantes, vigiliásque noctu observantes.

„ *5ta Septembris* Nil necessarij præter pecuniam misistis. Refferet DS. Custos Castri difficultates, nec nobis quidquam credi volumus. Erigere fossata, respectivè est facile, etsi in eo magna difficultas, sed ea ut testam ovi, sine vitello & albumine conservare, hic labor, hoc opus. 100. Pixidarios cras assumemus. *Berzay* cras cooperire curabimus, cur in eo hactenus nullæ vigiliæ? Custos refferet,

„ *6ta. Sub dato 1mà Octobris.* Pro certo Bassa nudius tertius Kosztaniczæ fuit. Nescimus quid moliatur, verendum ne futuras nundinas, ut alias plerumque solet, turbet, quod facile attentare poterit, *Colapi* in cunctis locis vadoso. Ideo ad duos aut ad summum tres dies, alios 100. Pixidarios expediatis.

„ *7mà. De dato 7mà Octobr.* Postquam vos experimini, ut scribitis metum hostilem, ac flammas & depopulationes Bonorum, Nobis quoque tandem credite: esse aliquid grave, ferre metum hostilem. Nec tamen desperamus Petimus verò cessationem à vestris adhortationibus, cum calcari opus non sit, currentibus, quare potius nobis de vino Bukovcz mittant.

„ *8vò. De 16. Octobr.* Mittemus ad diem præfixum, secundùm ordines Capituli & „ Bani, quotquot poterimus: veremur tamen, quod non omnes quot arma levare pos- „ sunt, quia millium ex aquis eripiunt, ne pereat.

„ *9nà. 5ta Novembris.* Susurrus est, Bassam destinasse 260, Valachos, qui Zagrabi- „ am succendant, vigilate & videte,

„ 10. *De 8và Novembr.* Ultra 200. homines expedivi ad *Kralievecz* cum Collega, qui si „ non sunt adeo necessarij remittantur, nam hìc omnia terrore percelluntur.

„ *11mà. De dato 10. Decembris.* Petrus Erdödius, insinuat Mikaczio, ab explorato- „ ribus intelligere, mandatum Bassæ Constantinopoli venisse, ut *Bichacz*, & *Syscium* capiat. Has Mikaczius Capitulo mittens monet. *Videte utrum necessaria sit Castro, munitio & miles, ego nescio quid venturo hosti objiciam præter patentem murum. Collega nunc primùm meus, multis meis ante factis vociferationibus dysicit viam illam, Quâ Turca per fossatum, loco pontis agere injecto intraverat.*

Rediverat interea Constantinopoli ad Hasanem Legatus. Quare Anno Dni 1592. ad Provinciarum harum ruinam properabat Hasanes. Sclavoniæ quoque Status, prioris Anni malis edocti, extrema remedia tempestivè ordinârunt. Itaque.

Anno 1592. in generalibus suis, ex edicto Bani pro Dominica ante Epiphaniam Domini celebratis Comitijs, in locum mortui Protonotarij *Zombathely* ad vota Bani sub certis conditionibus acceptârunt Protonotarium Egregium *Mathiam Zekel.* Dein Archiduci *Ernesto* congaudent, de adepta administratione confiniorum, harum Sclavoniæ partium. Ac tandem ad Suæ Majestatis, & Archiducis Ernesti adhortationes constituunt.

1mò. Ut sub vexillum Regale, omnes Prælati, Magnates, Nobiles, & alij Possessionati Spirituales & Sæculares homines personaliter penes idem banderium & Banum, tempore generalis in extrema hac necessitate expeditionis interesse debeant.

2dò. Ut unusquisque Spiritualium, & Sæcularium Dominorum ac Nobilium, nemine excepto, à singulis decem fumis, Equitem unum bene armatum, & hastatum secum habeat: Et à singulo fumo pixidarios pedites duos. Non habens autem decem Fumos, vel etiam fundum unum integrum, is, cum altero Nobili se conferat & compareat. Prouti in stipendio alieno militantes, vel officiales existentes idem onus maneat, & pro sua persona Equitem sistant. Mulieres relictæ bene possessionatæ: & pueri, senes, & imbeciles qui ad bellum idonei non sunt, pro personis, & à bonis similiter præstent. Nobiles unius Sessionis à singula domo, esto non sit integra sessio insurgant. Viduæ autem quæ Filios ætatis idoneæ non habent maneant domi, & Deum orent.

3tiò. Fratres Eremitæ Regni hujus, si in medio sui militiam amantes non habent: tunc ab omnibus Monasterijs, quatuor Equites mittent.

4tò. Mercatores externæ Nationis, in Civitatibus & alibi intra Regnum commorantes, à mercibus florenos 500. valentibus, Equitem unum intertenebunt: Et ipsi vel personaliter, vel medio conducendi separati Equitis, adsint sub amissione mercium.

5tò. Civitates: Tonsores, sine quibus Castra esse non possunt, unico relicto, reliquos expediant. Et de Colonis in medium Comitatus Equites & pedites suos mittant.

6tò. Ad vehenda ingenia seu tormenta, & pulveres, cum alio apparatu Civitates, & Conventus Lepoglava currus cum omnibus attinentijs subministrare debeant.

Præmissa autem facere negligentes, puniantur per instantaneam occupationem Bonorum, cum quibus quid agendum sit? deliberetur per suam Majestatem Dietaliter.

7mò. Quia autem in bello altercationes ex eo plurium oriuntur, quod quorundam Dominorum, & potiorum Nobilium homines Vice-Bano & Comitatui parrere nolint, ideo cum illi, ad tales coercendos essent insufficientes, abhinc Capitaneus Regni omnibus, salva authoritate Bani, præsit.

8vò. Si modernus Capitaneus Regni *de Gregoriancz* ob adversam valetudinem, qua laborat, valedixerit, habeat liberam authoritatem Banus, habito mutuo Consilio cum Vice-Bano, & Vice-Protonotario in locum ipsius alium eligendi.

Nono. Ne etiam victualibus destituantur Castra, defectúque victualium ab externis Provincijs Regno auxilium desit, & eapropter militare recusantes, Status accusentur, indeque extremum malum ijsdem, Patria pulsis sufferendum veniat, conclusum est: ut universi Domini, Prælatus, Banus, Magnates, & Nobiles, Civitates Capitulum, & Monasteria. Parochi, & Altaristæ à singulis portis siliginis mediam, milij unam, spelteæ vel avenæ unam quartam Zagrabiensem contribuant. Quæ victualia (si remanerent) limi-

limitato precio divendi debebunt, ac tandem pro vendita summa toties quoties iterum emenda erunt.

10. Pariter à singulis portis Dominorum & Nobilium, illorum etiam unius sessionis, pro reparatione totaliter desertæ Ecclesiæ Sanctæ Catharinæ & adjacentis domus (quæ antea etiam pro usu victualium destinata fuit) in hac Civitate Denar. viginti, dandi ordinantur.

11. Supplicant etiam Status Suæ Serenitati, ut apud Provincias pro subministrandis 100 peditibus iu defensionem Castri *Szißzeg* efficeret.

12. Cum Civitas Zagrabiensis ob suas ruinas, singulari tormentorum præsidio egeat; Orant status Serenitatem suam, ne inde tormenta amoveat, sed potius adhuc certum numerum peditum, pro custodia eo conducat.

13. Id quoque statutum est: ut Arces desolatæ per plures fratres possessæ, per Vice-Protonotarium perlustrentur: Et comperto eò, per cujus fratris incuriam desolatio facta sit, alteri fratri reparare volenti sub sigillo Regni litteræ dentur.

Hæ statuum fuere, in extrema hac necessitate provisiones. Ex quibus plura observatu digna occurrunt. Quid nempe Protonotarius? quid Vice-Protonotarius, cujus major eruitur authoritas, hac Epocha fuerit? Quid Banderium Regale? quid Bani quid Comitatus? Denique cum *Fumorum*, & *Portarum* sit mentio, & statuta de plebe sub nomenclatura *fumorum:* Statuta autem de membris status, *Portarum* considerentur, qualiter ista intelligebantur. Verum cum talia ad historiam Civilem pertineant, hic negliguntur.

Periculum ab Anno superiore, evidens Patriæ huic uti relictum fuerat, sic & Anni hujus initio (quemadmodum ex Epistolis Sisciæ Præfectorum pateret, quas Mensibus Januario, Februario, ac Martio scriptas, tanquam nil memoratu, vel observatione digni continentes, omittimus) omnis continuabatur Vigilantia. Thomas Erdödius Banus, Aprili jam mense Castra metatus est, ex ratione tanti periculi, & Inimicorum insultus, prouti hæc, ex Litteris Mikaczij, ad *Drenchinam*, & Castra cum Banderio translati, *Blasio Giurak*, & *Mathia Fintich* Canonicis Zagrabiensibus, ad Arcem Szißzeg subrogatis, clara forent Quas describere lubet.

Epistolarum Mikaczij ex Castris ad Prachno & Colapim sitis, tenores sequentes.

Prima. *Ex Prachno ad Pontem 19. Aprilis.* Nihil boni sperandum. Detrectant Germani pugnam in Vepribus, sed campum apertum ab hoste petunt. In horas & momenta mile Consilia vana, neque stabilia. Heri vocatus in medium illorum, animadverti deesse consilia. Interogatus respondi inter alia: si diutius rem protraxeritis commeatu absumpto, Castra solvenda esse. Tunc hosti animus addetur, ad majora patranda, imo solutos milites insequetur. Placuit majori parti consilium. Alij qui metuunt pugnare in varias sententias Scissi, tandem decernunt, ut expectentur Stirienses cum Goritiensibus. Hoc decreto residuum Bonorum vastabitur, donec hinc discesserint confusi. Perscribi non potest, quæ aggravia, afflictionem DEUS hoc anno Zagrabiensi Clero imposuit. Excubiæ nullæ sunt ad *Urot*, nam Czettin cum suis dispersus hinc inde discurit, neque aliquos ex suis, plagis minísve ad excubias adigere potest. Omnes Zagrabienses ad inferiorem *Drenchinam* locavimus & *Rakovo*. Pontem verò hinc cum omnibus alijs custodio, positus opprobrio, plebi. Per Bona nostra miser Decanus cum Castellano vagatur, sed nil efficit precibus, vi autem resistere non est tutum, prout Domini Fratres qui apud nos fuerunt refferent. Orate Dominum in Cilicio & cinere jejunantes, ut malum cervicibus nostris imminens avertat.

Secunda. *Ex Castris ad Pontem 20. Aprilis* 1592. Litteras quibus immane exemplum Hraßztoviczæ ob oculos ponunt, non sine gravi animi mœrore accepimus. Quod quidem exemplum mihi bis per Banum est propositum. Hac in re quid facto opus? docebunt tempora, modò præsenti tempestate bellica liberari possemus: Sed vereor, ne sit jam decoctum negotium, nam *Sisciani* nullum penitus discessum, sed deditionem machinantur. Si in Castrum extraneos habere possem malem, fors omnem metum suspicionis adimerent. Banus hic extitit, plura scribere prohibet dolor, conficimur omnes mœrore ac timore. Valete orantes Dominum pro nobis.

Tertia. *Eadem Die.* Utinam Germani abessent potius, dici non potest quantis calumnijs & opprobrijs ad pontem ventitando nos afficiant, postulando commeatum.

„ Sese prætendentes gratia nostri, fame perituros. Quibus si meo jure uti possem, ne „ micam quidem darem. Tempestas hæc omnia consilia pervertit. *Bassa non discedet,* „ *nisi oppidum fecerit, ut est Drenchina.* Labores, quos in ponte sternendo fecimus incas- „ sum ire videmus, ejúsque omnem custodiam, cum Germani in sylvis confugere de- „ trectent. Hortatus sum Generalem cum Lachrymis ne patiatur, ne tantas expen- „ sas, commeatum, direptiones frustra patiatur, neve dimitat exercitum sine conflictu. „ Petiit ille, propter Dominum, ne se, & suos gravis armaturæ, hoc facto perderem. „ Magnam bombardam cum tunella una, ac globos 25. coactus sum accommodare ad „ *Breszt.* Ut illius Castra --- hostium. Attigit nudius tertius globus prope Papilionem Bassæ, „ unum ibi hominem ac bovem interemit. miserè vivimus, gentem nostram ob famem „ retinere non possumus, aperto campo, frigore & fame perit. Provincia tota desolatur. „ expediveram 60. cum Czvetkovich & Czettin prohibitum injurias, parum abfuit quin „ fuerint interfecti sclopis Uskokonum.

Quarta. *De Dato 23 Aprilis.* Male agitur nobiscum. Aquæ super ripas excreverunt. „ Pons est disjectus. Omnes in terrore. Hostis maximas copias in sua Castra cogit, sé- „ que nimium munit. Tormenta duo adduxit maxima, horatim convenire scitur, „ Consilia agit plurima. Explorator refert Bassam etiamsi Cœlum rueret, non cedere, „ neque loco moveri velle. *Ambitum sui novi Castelli* terra munit. Indies plures papilio- „ nes visuntur. Heri locutus sum Vice Generali, nostro quamvis optimo fautori in „ omnibus, in rebus tamen bellicis mirabili & astuto homini, adeo ut nemo præter il- „ lum sit, qui plus dissvadeat hostis aggressum. Cohortatus illum sum, ut sese accomo- „ det tempori, necessitati, periculo, & tantis regni cæterorumque Regnorum expensis. „ Promisit operam. Sed finitis consilijs privatim de rebus nostris cum eo agens, nescio „ quid indicare voluit, dum ne suadeam conflictum, monuit. Denique conclusi cum „ eo, ut dimissis Castris relinquant 100. pedites. Qui ut ex suis litteris quas etiam ob- „ tulerat legendas, in mandatis habuit 200. debere relinqui. Sed paria vestrarum lit- „ rarum non habui, ut mutus de 100. adeptis mansi. Semper paria mittite ad Legatos „ seu Nuntios Vas vini non petitum accepimus, quod dispensabimus tribulantibus „ nos.

Quinta. *Ex Castris ad pontem fractum 25. Aprilis.* sæpius scribere prohibeor, gravi- „ bus, potissimum defensione colonorum usque ad sanguinem. Provincia tota est deva- „ stata. Nec aliud restat, quàm ut Castrum aut alicui donetur aut comutetur. In Castris bibi- „ tur, manducatur, convivatur, dormitur incassum. Victi tandem Germani multis Bani co- „ hortationibus deliberarunt post varia consilia, cum primùm aquæ decreverint, quæ „ ripas nunc excedunt sese in hostem ituros. Interim obsecrationibus Bani, pons quem „ aqua disjecit, à nostris iterum sternendus est, ne vel in hoc aut Banus, aut nos à Ger- „ manis Calumniam patiamur. Nudius tertius magnas duas bombardas adduxit hostis, „ quas cum alijs *erecto Castro* imposuit, ac heri nostris conspicantibus omnes explosit. No- „ stri Coloni & aliorum Dominorum plurimi clàm se surripiunt. Dixi hæc Bano se- „ cretè, quo citius rem maturaret.

„ Sexta. *Ad Pontem 2da Maij.* Perfecto destinato opere hostili, Castroque bene „ munito Hasanis, hostis hodie hora octava transtulit Castra in singularem planitiem, „ quæ imminet oppido Hrasztovicensi. Ubi eodem die Virgines Hraszovicenses ad ni- „ miam noctem choreis indulgebant. Castris fixis restaurat *Hrasztoviczam.* Qua restau- „ rata *Goras,* quibus præter portam nil aliud deest, ac aliquot asseres restaurare. Heri „ sub crepusculum casulam quandam stramineam pro apibus fovendis, per Custodes Ber- „ zajenses, sub *Berzay* factam, Valachi combusserunt. Nudius tertius prope *Letovanich,* „ etiam locum excubiarum *Pletes* dictum. Serpit hostis ut venenum, nec est, qui se op- „ ponat. Consilia germanorum inconstantia, nec aliquid ab ijs expectandum. Hodie „ 100. Haramias Vicegeneralis dedit, quibus ex more jussit dari pulveres. Locabuntur „ ubi expediet, sed in illis parum præsidij, cum sint ignari harum partium, nec promit- „ tunt excubare, sed tantum sedere in locis vigiliarum. Zagrabienses nostri pellantur „ huc capitatim. Colonorum tertia pars vix adest, & hi sunt nobis ob famem molesti.

„ Septima. *Ex Castris 3tia Maij.* Hostis relictis mile in *Petrina* militibus: in Hraszto- „ vicza 200. nunc Goras reædificat, ubi licèt præter portam nil desit, podia tamen no- „ va, terno numero gravi labore Valachorum exaltat, Castris à Hrasztovicza usque *Go-* „ *ras,* & *Szrachicza* securè dispositis: nam & Szrachiczas reformabit, ubique 200. „ personas relicturus, Ipse autem posthac in *Kostanicza* mansurus. Habent mandatum

Ger-

„ Germani, ne patiantur *noviter erectum Castellum* manere. Timeo, tamen mansurum, „ quia nullum penitus habent animum bellandi. Divexatur miser noster Banus, sine re- „ spectu; nullo habito proprio, aut Regni milite. Rusticorum turba dispersa ad pro- „ pria se recepit. Nullus ordo, quisque sibi sapere videtur. Clamatur in poculis, ti- „ memus mane, adeo quod amplius aut scribam, aut exagerem non habeo. Maneo in- „ ter serpentes ad pontem.

Octava. *Ex Prachno* 5. *Maij* Discessit hostis heri mane, nemine persequente: imò „ ut ostenderet suam gloriam, Castris splendidè super Hrasztoviczam positis, Papilioni- „ bus extensis, additis ignibus nostros sic elusit, ut non modo erupisse, aut evasisse, sed „ honestè & apertè discessisse videretur. In *Uroth* nemo est, & casæ omnes nostrorum „ malitia eversæ, & in Castra ad focum delatæ. In *Prachno*. & *Petrovcz* ac *Jazvenik* Co- „ loni palam professi sunt se nolle morari, & flectendo licentiam abeundi omnes petie- „ runt. Hortabar illos & promisi tutellam, si quomodo ad messem detineri possent. Di- „ scedente hoste, vix Banus hodie detinuit Generales, ob defectum prouti prætende- „ bant commeatus, licet neque Carlostadij unquam magis saginentur. tota nocte tam „ in Castro, quam in Oppido panes coquere curavimus, quos illis objecimus, magno „ numero & incommodo, uti alia quoque quæ in eos erogavimus frustra. Mitto litte- „ ram Vice-Bani, quam mihi scribit ex Castris; petendo per DEUM, ut mittam panem „ pro quo Banus mitit duos currus, & ut mittam hominem qui vendet panes. Bassa „ heri fuit usque ad meridiem Kosztaniczæ: milites dimisit, & discessit.

Inter plurima reliqua, observatu digna, quæ prudentis Lectoris observationi relinquimus, Epistolæ præmissæ evincunt. Hasanem, Præsidium Anno superiori concertatum, post Sisciæ obsidionem solutam, incoatum, Anno hoc 1592. absolvisse, uti ex quinta, & sexta Epistolis constaret. Castello huic à fluvio ex montanis decadente, *Petrina* vocato, ac ibidem in *Colapim* recepto nomen inditum. Quod hodie etiam *Petrina* appellaretur. De quo dehinc frequentior occuret mentio, estque in publico juris corpore, & Regni nostri Protocollis quam frequentissima. Sciendum quoque Lectori, sub nomenclatura *Petrinæ*, plura loca, vetustioribus temporibus venisse. Sic non procul *Jaszterberszka* communitas est, hodie *Petrovina* dicitur, quæ olim *Petrina* nuncupabatur, à Bela IV. condam Rege, Privilegiis donata, & libera villa Petrinensis, & hospites de Petrina, in tot Regijs diplomatibus exprimitur, Legiturque. Item ultra Montes Hrasztoviczæ, æquè in montibus, rudera sunt Veteris Arcis, quæ olim à Vicino sibi rivulo Petrina, Petrina nuncupabatur, & rudera licet, sic audiunt. Pertinebat olim ad Zagrabiensem Episcopum. Fuit quoque ultra *Topuszkam* Castellum Petrovagora dictum hodie, & antiquitus vulgo. Istud tamen in monumentis Latinis exprimi invenitur *Petrina mons*, & Petrina. Quare Annos diligenter scruteris, si vetustius quodpiam monumentum inveneris, nec *nova* huic *Petrinæ* applicabis illa, quæ anteriora Anno 1592. invenies. Hæc ab Hasane erecta, uti Præsidium Legibus attestantibus, habita est & custodita, hodieque habetur, ita nunc sola hæc, *Petrina* est & audit. Reliqua ob ruinas, uti Arx vetus illa, & Petrovagora, Petrinæ nomine non veniunt. Possessio quoque Capituli Zagrabiensis olim Petrina, ad Jaszterbarszko, hodie *Petrovina* vocatur. Quare talia quæ in Actis Publicis, vel posterioribus Regum Ordinationibus de *Petrina* offendes, de nova hac ab Hasane ad Colapim intra *Bresz*i & *Drenchinam* erecta, statutum ordinatumque censebis.

Post dissoluta 5ta Maij Hasanis, ad speciem, nostrorúmque illusionem ad Hrasztoviczam, Castra, nostris nec suspicantibus Hasanes *Bihachium*, clari nominis in Croatia oppidum, quod *Una* fluvius in modum insulæ circumfluit, à Bela IV. Hungariæ Rege conditum, & libertate donatum, qua muro cinctæ Urbes fruuntur, gravi obsidione cinxit. Christophorus *Lamberg*, urbem cum 400. utriusque Nationis militibus custodiebat, satis languide ac segniter Istvanffio teste, quam post octo dierum oppugnationem Hasani ea conditione tradidit, *ut obsessi incólumes dimitterentur*. Hac ratione Urbs *Bihachium* quæ Annos centum quinquaginta, Orbis Christiani propugnaculum in eo tractu adversus Turcas firmum & incolume manserat, ex improviso, Præfecti defectu, captiva facta est, hodiedúmque manet. Urbs amoeno loco sita, mœnibus, turribus, ac Sacerdotum, aliorumque Religiosorum Ordinum Cœnobijs, veteranorumque militum, & Ducum sepulchris clara, copioso veterum indigenarum sanguine conservata. Lamberg cum alijs versus *Szluninm* ad nostros transiens, ob rixas intra Turcam aliquem, &

Thomam Batalich, causa uxoris hujus interventas (vide Istvanf.) coram Hasane retracti sistuntur. Et licet aut in servitutem redigendos, aut trucidandos Turcæ conclamarent, Hasanes re cognita absolvit, iterúmque abire permisit. *In Appendice Chronici Turcici à Joanne Rosino 1594. Lipsijs edita* Duo cujusque sexus, Ordinis & Conditionis hominum millia, obsidionis diebus trucidata fuisse scribuntur.

Bihachio, Imperio ac potestati Turcarum ad vota Vizirij asserto, ad expugnandum *Sicium* Hasanes, properabat. *Petrinamque* appellens, revidens, muniens, Pontem tam latum in colapi, ut Seni equites uno eodemque ordine facile commearent extruendum aggreditur. Erdödio Bano hæc confestim Capronczæ Generali Stephano *Grasman*, qui nuper mortuo Hallegh successerat, significante, ac ut cum majori quam posset manu ad Castra primo quoque tempore se conferret. Advenerant è Carniolia & Stiria conscripti numero sexcenti Cataphracti Germani milites, quibuscum ac alijs, Erdœdius ad *Breszt* Castra metatus est. Ut *Colapi* tantum interfluente dirimerentur, & utrinque non solum tormentis minoribus, sed etiam sclopis res geri posset, sæpéque milites data acceptaque fide varijs sermonibus collatis mutuo inter se congrederentur. Interim tamen hostes, in erigenda perficiendaque *Petrinæ* turri, sine intermissione ac mora, ponteque per Colapim sternendo laborabant. Verùm ad cognoscendum uberius, quid post quintam Maij, ac Hasane sub Bichachio absente, ad Colapim actum fuerit, iterum Epistolas Canonicorum afferrendas arbitramur.

Siscio, ac ex Castris ad Colapim, Epistolæ Præfectorum Capituli Zagrabiensis.

„ Prima. *Sisciô 25. Junij* 1592 Hodie hora quarta ex Hergovicensibus, sedecim hostis cepit, duobus cæsis, quinquaginta autem abactis pecudibus. In *Breszt* nullus Banalis præter *Zeczig av*. Germanis est prohibitum ne egrediantur, illi sine equitibus peribunt. Equites hostium 100 pedites 200. paulo infra *Strasiniczam* erant, traijcientes fluvium apud Hergovich, ubi ego heri totam diem cum magna fortuna trasegi speculabundus quid aget hostis. Ille tamen in vepribus delituit, quarum magnam partem succidimus, quo tutior transitus foret ad Breszt. Adsunt numerosi & copiosi, utinam nostri Equites jam tandem suos equos saginâssent, fors minus imperetur D. Bano, nam & Siscia, & Drenchina, & Breszt sola Stiriacorum opera nunc custodiuntur. *Ivanicenses* profecti sunt, ut impediant *Jelengrad* reformari.

„ Secunda. *2. Julij Sisciô.* De adventu D. Labohar, & D. Capitanei Ivanicensis accepimus, quibus, nos rei culinaris præmonent. Profectò ea est tam angusta, ut nisi piscibus vesci velint, Sorbusculis carebunt. Omnia sunt semota. *Jazvinik*, *Petrovecz*, *Greda*, *Szella*, *Ztupno*, & pecudibus & hominibus carent. *Drenchina* nec fœmelam, nec masculum habet, omnia diffugerunt. Habebitur tamen eorum ratio ea, quæ fieri poterit. Omnia sunt in Germanos exposita, & in totius anni collegia fratrum & militum. Hic nil restat aliud, quàm ut bombardas alicui impignoremus. In tantis sumus miserijs, & angustijs, quod nec Castrensis miles nobis parere vellit. Res est desperata. Nihil efficere possumus verbis blandóque sermone. Omnia spirant malum & desperationem. Nos etsi hilari vultu incedimus, serenáque facie omnes effabiliter alloquamur, tantum abest ut vultui credant, ut etiam crimen desperationis hac ipsa vultus nostri ostentatione nobis imponant, ridentes, dicentesque nos id fictè facere.

Tertia. *Eâdem 2da Julij.* Duo hac nocte nostrates ex Petrina evaserunt, demittentes se deorsum. Qui refferunt Hasanem, amplam ex magnis roboribus in medio novi sui Castri erigere turrim, quâ totum Castrum defendi possit, jámque erectam esse altitudine sex cubitorum, quam & nos post triduum conspicere poterimus. Habet nunc magnam Valachorum *Tlakam*, quam vidimus, currúsque complures robora convehentes. Nulla Casa in Castro. Repletura terrea ab intus, unius hominis altitudinem non excedit. Intus plurimi ad excursionem & populationem semper parati. Falcatur fœnum pro illis à parte *Breszt*, invitis Bresztensibus. Bogovich vivus captus, certóque jam numero 70. nostri ad Castrum vivi inducti; adeo ut non sit qui excubet. Loca excubiarum vacua, & excubitibus destituta manent; neque quisquam ferro adigi potest, ut excubet. Omnia validissimo timore perculsa, spem quam nostratibus fece-

„ ram,

„ ram, brevi de provisione & liberatione, in oculos nostri obiciunt: parum abest quin „ mendacij arguant. Exhortor ne despondeant animos. Sed sauciata mens hominis u- „ niversarum rerum amissione sibi temperare nescit, quin execretur & DD. Magnates, „ & Nos, quorum minis in perditionem detineantur, quo minus alio se conferant. Sed „ & his majora, deglutire cogimur, & dissimulare tamen studemus. Robora quæ pro columnis *Ztrasznicza* in *Urutb* erigendæ convexeramus, hostis eodem tempore *NB. quo* „ *pugna fuit* in partes divisit securibus.

Pugnæ hujus nemo meminit. Credibilius vellicatio quæpiam fuerit ad *Urutb*, in qua Bogovich cum alijs 70. interceptus.

Quarta. *Toplicâ. Thomas Makar. 10. Julij.* Quod potui hujates subditos misi Sisciun, „ plures non possunt propter famem, quousque panem aquirant. Ratione Haramiarum „ autem, dicunt: se non posse servire ad duo loca, & cum aliqui inobedientes essent, „ alij refragantur.

Quinta. *Sisciâ 12. Julij.* Fuit heri apud nos D. Capitaneus Christophorus Penchell, „ una cum suis & Vice-Capitaneo, reversi ex Breszt ratione carentiæ commeatus. Cui „ nos auxilium ferre non possumus, cum jam omnia sint devastata. Reliquum quoque „ antea, partim devastatum, partim postea consumptum. Petebat suo & principalium „ nomine: Ut cum ratione commeatus illic manere non posset, admitteretur in Castrum „ cum suis, & propior commeatui esset: Et si Castrum obsideretur ut juvaret. Respon- „ dimus nos, non audere ullum, nisi ad summum sextummet admittere, 100. verò, aut „ 200. non sine Capituli jussu, quo & eos misimus. Nostro consilio admittendi non „ sunt: fraus & dolus subesse potest. Pons est ad maximam aquam deductus, & ulterius „ deducitur. Segetes Urithenses omnes, ac alias auferunt. D. Banus solicitatur, ut Ca- „ stra ponat sub *Breszt*, ubi satis herbarum & loci, neque ulterius protrahat suam mo- „ ram, cujus progressum si Germani viderint, mox sequentur.

Sexta. *15. Julij Sisciâ Mikacziw.* Pontem jam finit hostis super Colapim, quem ster- „ net fissis roboribus, ad sustinendum pondus machinarum, quibus minatur Castro *Si-* „ *lin*, & consequenter nostro. Ponte quem hactenus in naviculis habuit, utebatur ad „ columnas infigendas tantum. Heri & hodie opera omnium Vaivodarum, & plebis „ nostræ, maximam partem Segetum ex Uruth sustulimus, beneficio custodum & noctis. „ Residuum cras cum maximis excubijs tollemus. Omnes Officiales cum D. Fabriczio „ expedivi, ut tollatur quidquid potest tolli, nam hostis habet multitudinem Valacho- „ rum, ad manum Labantium & fors messorum. Heri noctu 70. Equites cum apparatu „ bellico intrârunt Petrinam, totidem hodie numerati, rari tamen adventantes, adeo, „ ut non minus 300. Equites adsint. Heri mane duodecim maximi sonitus Bombardici, „ auditi sunt in *Kosztanicza*, reor non ob aliam causam, quam ut se in Petrinam confe- „ rat miles, vel Bassam expediat. Banus à nemine monetur maturæ Castra metationis. „ Vereor ne hostis prius Castra ponat in Petrovecz, quam Banus. Qui, per vos mo- „ neatur & petatur ne tardet, suosque milites compellat, potissimum Equites ad Breszt, „ Nam Germani soli sunt illic, timidi vix exire audentes. Omnium Germanorum ani- „ mos fregit, lectura quædam litterarum Turcicarum *Brezstovszki*, quas ad pontem Bresz- „ tensem posuerunt heri nocte, petentes Castellum sibi in eis dari, alias secus daturos. „ Vinum non habemus, quod exhauserunt quotidiani convivæ.

Septima. *Datum 18. Julij.* Heri præsentavimus Bano 300. homines, astu & ingenio „ collectos: quamvis non manebunt in Castris, uti nec alij, qui visis Castris clam domum „ abeunt. Duo nostri Vaivodæ cum Vaivodatu *Czvetkovich*, in Castris semper esse debe- „ bunt. Spanus cum suis 25. Lancearijs, Toplicenses sunt quinque, reliqui fugerunt „ pœna digni. Petrovinenses sordidi, ex Castro aluntur. Germani cum Bano impensè „ nos urgent, pro structura pontis, locum tamen necdum decreverunt. *Veremur ne idem,* „ *quod pridie contigit, fiat.* Germani & præcipue Cataphracti nobis & Bano, licèt turba- „ tissimo, risum movent, totam evertisse Petrinam videntur. Omnia ex Castro mendi- „ cant Germani, nos vero ipsi egemus, nec aliud quam piscem & acetum mittere pos- „ sumus.

Octava. *19. Julij ex Castris Mikaczio Thomas Erdœdi Banus.* Certis nuncijs intelligo, „ hodie, aut noctu, aut cras mane hostem Castra invasurum. Quare homines quamplu- „ rimos mihi mittat, & duo aut tres *Taraszke*, fatigium solvam. & de fortuna bene „ spero.

Has litteras Bani, dum Mikaczius Drenchinam mitteret, & ibi constitutos Dominos festinare ad Consilium vocaret, ut non unius cui scribitur, sed omnium præsentium fratrum consilio, res fiat, uti ipse superinscripsisset, addendo: *Dum hasce mitterem in Drenchinam, interea omnia facta sunt mala.* Quare præmissas Bani litteras Zagrabiam festinanter relegavit, cum suis sequentibus.

„ Nona. *SISCIA Spani 19 Julij.* Hostis nostrorum Castra invasit & diripuit. Papiliones optimos, Bombardas omnes occupavit. Omnes pedites occidit & abduxit. Elapsi „ aliquot Banales cum Bano milites ac potentes Germani. Ab hora secunda, ad quartam „ duravit conflictus. Nostris principio acerrimè pugnantibus, tandem ignominiosè fugientibus. Cras de nostro Castro agetur. Illud nos relinquemus quamprimum hostem in oppido conspiciemus, nam nostris nos suffocabit Bombardis. Castro providete. *Brezt* intactum reliquit, circumdans Germanos, crastinumque diem, an sese „ dedant præstolatur. Illinc autem ut diximus ad nos recta, aut versus Zagrabiam Patriam D. Stephani Fabriczij, exacturus. Ex Sicco ponte transivit hostis in momento ferrè, cum quinque millibus. Succurite Castrum relinquemus, si oppidum occupaverit.

Decima 20. *Julij, hora 3tia noctis Sisciâ.* Hac nocte *Brezt* cum Germanis: *Hergovich* „ & *Gotocha*, igne consumpta sunt. Nullus adhuc redivisse ex Castris visus, omnia perivêre. An Banus? cum præcipuis Germanis evaserit, ignoratur. Universis Castris „ hostis potitus est. Nostri omnes periverunt, vix forte dempto Czvetkovich quispiam mansit. Juvate si potestis! hodie aut cras nobiscum agetur, de nostra cute inter „ hostiles fremitus disputatur. Totam noctem transegerunt in spolijs deducendis.

Eadem Die mane Sisciâ. Hostis hodie ed Odram venit. Tres currus Vice-Capitanei „ fregit: pecuniam accepit. *Drenchinam* superiorem pagum incendit. Castrum postulavit, sed denegatum est ipsi. Omnes pagos incenderunt. Homines non habemus, „ nisi viginti quinque, reliqui fugerunt omnes. Juvate hodie aut cras, quia *Odra* est „ vadosa. Cives Zagrabienses fugerunt. Sisciensium nullus uspiam comparet, nec Haramia. Labando & muniendo vix spiritum trahimus. Si Castrum petierint, quid „ respondendum? Statim scribite, per alium quempiam citum equitem, nam nos expectare ipsius per Odram adventum non possumus, utinam non antea præcludendi, „ quàm has percipietis.

Jam productis Epistolis, quæ Statum rerum explicant: gratásque lectori futuras arbitramur, quod reliquum est adjungimus ex Istvanffio, & Joanne Rosino. Scriptoribus temporis illius & notitias habentibus.

Ab Hasane extructa Petrinæ turri, ac ad Colapim ponte, cum Voinius quidam Thrax viarum ductor, & Consiliorum Bani conscius, ad Hasanem transfugisset, & spes, consiliaque Erdödij aperuisset, convocatis e proximis Præsidijs copijs, Die 19. Julij Turcæ pontem transire ceperunt; ita ut peditatus cum tormentis præcederet, Equites turmatim subsequerentur. Banus viso hostium transitu, signa pugnæ dari jubet (Germanis, nil tale opinantibus, sed ob meridianos calores, cibo vinoque auctis quiescentibus & remorantibus) hostésque fortiter excipit, ac demũ fugam cum suis arripit. Cædunt, capiunt, insequuntur fugientes, ad veterem usque piscinam & saltum, qui versus *Lettovanich* protenditur. Germani quoque, vix tentato certamine se fugæ dederant. Peditatus noster, majorem in partem trucidatus, qui savo transnatato evasissent. aut sylvarum latebris sese abdidissent, salvis remanentibus. Hasanes plena potitus victoria, Castra dirupit, ac cæsorum capita 60. pro Turcarum more, cum militaribus signis per Rustanem Legatum suum, cum satis magno Captivorum numero, & peculiaribus magni precij Sinani Vezirio donis, relatione denique abs se patratorum Constantinopolim misit. Tantam assecutus in Aula gloriam, ut in Hasanis Bosnensis Viri fortitudine rem Turcarum sitam prædicarent. Tum extemplo Hasanes, Brezt alijsque accensis, *Siscium* gravi obsidione Die 22. cingit, *Blasio Giurak*, ac *Mathia Fintich* Canonicis Zagrabiensibus, Præsidio præfectis. Postulataque, sed rejecta Arcis deditione, eandem majoribus tormentis impetit & continua per octo dies explosione, vehementer quassavit, expugnassetque procul dubio, nisi ab Hasane Budensi Purpurato, admonitus, prohibitusque fuisset, usum tormentorum majorum, pacis foederi adversari, proinde bello Cæsari, necdum à Porta Ottomana indicto, Hasanem tormentis majoribus uti non posse. Quare retractis tormentis, reductoque exercitu *Petrinam* se recepit, sub Augusti mensis medi-

medium. Inde ad Hasanem Budensem & Constantinopolim nuncios relegans, Cæsarem in speciem retinendæ pacis Comaromium misisse munera, re tamen verâ, ingens bellum parare, & clam imperio Turcico ruinam meditari. Hæc ille, ex Monoslo Arcis ruina, Tormentis duobus majoribus, ad Breszt interceptis: Germanorum ad Breszt casu, & quorundam captivitate: aliorum autem in Castris Bani ac majori numero, visu. Denique Voinij fide, arcanorum Bani conscij conprobabat. Addens: XL. milia Germanorum peditum, Zagrabiam pervenisse, & Equitatum ac tormenta currulia, bellíque apparatum præstolari. Budensis Hasanes munera Commaromij esse, ac propediem Bizantij futura, si Bosnensis â maleficijs abstineat, sustinebat: Hasanes contra Bosnensis ad speciem illa fieri, ruptumque à Cæsare fœdus contendebat, Amurates utrinam major danda fides? dubius hærebat. Sinanes totusque Populus, ob Victorias Bosnensis, fidem illi dandam clamabant. Hæc Constantinopoli dum aguntur.

Hasanes paucorum dierum quiete militi concessa, Colapim ponte novo transit, sine tormentis, ne violatæ pacis reus dicatur Ac *Turopoliæ* Campum planaque inter Savum ac Colapim loca populando atque urendo devastat. Castrisque ad *Lomniczam* locatis, dum equites sui & pedites quaquaversus agrum intra Savum & Colapim, usque ad *Keresztinecz*, & *Okich* desolant impunè, tot hominum milibus, sexus utriusque, in captivitatem assertis, Ipse aucupio & venatu, sese ad *Lomniczam* recreando oblectabat.

Fatis his Croatiæ & Sclavoniæ per Europam vulgatis, Comites Palffy & Franciscus Nadásdi, Joannes quoque Kutassi Jaurinensis Episcopus, & Hungariæ Cancellarius, Pragam ad Rudolphum Cæsarem, de Bosnensium Turcarum maleficijs conquesturi, opémque avertendis malis imploraturi properârunt. Sed quid factu opus? dubium repererunt, ne à Turcis pacem violasse, & bellum intulisse probetur. Accusabat Erdödium, quod se inscio *Monoszlo* occupasset diruissétque. Tormenta majora duo, ad *Breszt* eduxisset. Signis datis, pugnam intulisset. Milites Germanos perdidisset, & in *Breszt* cremari exurique tollerasset. Denique sua sponte Germanis nec præmonitis pugnâsset, cum tamen ex Generali Grasman scivisset, nec tormenta educenda, nec hostem aggrediendum esse. Nadasdius defectus Bani considerandos, in tanto rerum discrimine non esse, sincerè reposuit, verum Provincijs providendum, ne ab hostibus circumventæ, Cæsar Europæ Ludibrio sit. Si Bani defectus sunt, videntur cum terrore Europæ, & Turcarum maleficijs non castigandi. Super his dum ultro consultaretur, adfuerunt Carnioliæ preces, ut malis provideretur, & *Labaco* ex trepidatione in fugam Cives sese dedisse, atque ad tutiora avolare. Similes nuncij ex Stiria quoque pervenerunt. Itaque Nadasdio statim in mandatis datum, ut majori qua posset celeritate mille equites ac totidem pedites conscribat, & cum ijs Zagrabiam festinet, avertendísque conatibus hostium invigilet. Præterea Carolo Austrio Marchioni Burgavio, aliisque conscribendi in Stiria, Carinthia, Austria militis, commissa provincia. Denique omnibus qui in Præsidijs finium stipendia mererent perscriptum; ut ijs quos Carolus Burgavius cœteríque duces adducturi essent, cum Eo ad defendendam Rempublicam arma virésque consocient.

Nadasdius ad 22. diem Septembris Varasdinum; pridie autem Kalendas Octobris Zagrabiam pervenit. Intellectô hostes non procul à *Keresztinecz* esse. & ubique hostiliter populari, illico ad arcem *Szuszed* progreditur, comparatisque celeriter navigijs & pontonibus, ut *Savum* traijcerent, peditatum præmisit. Verùm à superveniente Erdodio Bano edoctus, majori numero Turcas esse, quam ut eis nocere possit, revocato peditatu, Zagrabiam redijt, militemque per domos & hospitia distribuens, per Alexandrum Senneij, Generali Carlostadiensi Andreæ ab Ausperg, jussa Cæsaris significat. Burgavium cum copijs Zagrabiæ mense integro exspectando. Id tamen præstitit, quod populantes Turcas sæpe coercuerit, & ex campo Turopolia, eliminaverit, utraque partium congressum vitante. VII. Idus Novembris, Burgavius Zagrabiam appulit, Legiones Germanorum duas, ac Equites 600. præter egregiam voluntariorum ex Stiria & Carniolia manum duxit. Supremus ipse Dux exercitus, post eum Hieronymus Comes *Londron* rerum usu, & militari prudentia insignis senex. Castris metandis Christophorus *Haimo* præfuit. Hic dum ad Savum castra locasset, erumpente fluvio, ferè absorpta fuissent, si *Nadasdius* non subvenisset cum Equitibus Hungaris. Sese autem diffundentibus aquis, relicto campo, per eminentiores colles, à suburbio usque ad *Szuszed* partim sub tentorijs, partim per domos & hospitia miles est collocatus. Sed cum nil agi

posse videretur, ob exundationes aquarum, viarum incommoda, & copiosiores nives, ac lutum cænúmque supervenissent, communi sententia, cuivis ad propria redire permissum, castráque soluta sunt.

Nostris autem dilabentibus, ab infesto crudelique hoste, Turopoliensibus nulla quies, nullumque otium media hyeme fuit. Imò Nicolai Alapi, amœno loco positum Castellum *Vukovina*, nocturna irruptione, à Turcis captum, direptum, deletumque extitit. Arx quoque *Selin*, frequentibus Turcarum insidijs petita est, sed ab Erdœdianis militibus, meliori disciplina excubantibus, defensa, conservataque est

Soluta Siscij obsidione, quid ibi postea actum, ex Præfectorum Epistolis adjungegere placet. Quas integrè non describimus, sed ex ijs digniora excerpimus. *Ex Prima* itaque. Quendam Cvetkovich pro facienda relatione, mitti scribunt Rogant sexdecim murarios, pro reparatione arcis. quos dicunt quatuor mensibus laboraturos. Fabros quoque Lignarios ex Narth, quia Provincia tota est desolata. Addunt. *heri dum valla Turcarum disijceremus, & diverteremus ad Berzay, inventa sunt 80. scalæ, latitudinis trium cubitorum: altitudinis 18. ulnarum. Præter has, congeries magna lignorum in Pogorelecz apud pontem, quem strauerant ante Capellam pro scalis, adeo ut non minus quam 300. scalæ fieri possent.* In Altera. Turrim majorem in Drenchina dejectam esse. Minorem versus Uroth tecto spoliatam, & asseres domuncularum Petrinam translatos. *In Tertia* Propter rupturam priorem, sponte sua turrim Castri mediam corruere, quare festinarent mittere murarios & colonos, audiri enim à Vaivodis Turcas iterum moliri & parare obsidionem. *In 4tà.* de Dato 18. Augusti, Fratrem juniorem Generalis Caproncensis Joannem *Grosman*, cum *Petro Ztoich*, ac 50. alijs advenisse & sucursum obtulisse nomine Generalis. Ac visis castri fracturis, & conscriptis omnibus ijs quæ vidit, sumpto prandio illico Capronczam redivisse. *Promisisse etiam statim mittere duos Vaivodas cum haramijs. Pulveres, plumbum, vos mittit:. In 5ta.* 19. Augusti mittunt ex captivitate reducem præfectum D. Gregorianczi, qui narraret, Hasanem in Banaluca esse, obsidionem eum iterum moliri, quare rogant augeri murarios, & laboratores. *In 6ta.* 1ma Septembris. Capitaneum Ivanicensem, evocasse Vaivodas *Raduszin* & *Barlan* cum suis haramijs. *Singulus tamen duodecim relinquet.* Kralievcenses & Kosnicenses clam profugisse. *Cum muro jam sumus bono loco, in eo reperti sunt globi majores quindecim, minores viginti quinque. in VII. tandem* Jussu Marchionis Burgravij Zagrabiæ habitantis, de Dato 13 Decembris. Pontem in Colapi destructum esse, tentoria Turcica, neque sub Hrasztovicza, neque sub Petrina, aut alibi apparere, nivibus copiosis exceptis. Petrinâ nec egressum, nec ingressum videri, sicuti *Bogdanich*, & *Missak* Castellani cum haramiis retulerunt. Quos mitterent, ut dicant quæ viderunt, & audierunt. *Ut Princeps ab illis magis informari possit,* Nihilominus *ut verè experiamur ubinam sit Bassa cum exercitu suo, nos statim expedivimus per Savum cum 15. Naviculis, & nostris Castellanis, ac etiam Vaivodis Berlan & Raduszin, qui rediverunt, quos cum viderint mittemus, & certiores vos faciemus.* Ex postremis his prodit, Exercitum Cæsaris, Decembri mense Zagrabiæ, cum Burgavio, alijsque Ducibus fuisse.

Augusto mense, Capitulum per Nuncios suos, orat Ernestum Archiducem, Castrum Szifzeg cum defectu sumptuum, & militum, nec reparare, nec defendere valeat, Cæsar ut istud, ad pacatiora tempora reciperet. Ernestus reposuit. *Rem eandem petitis, quam & à Mathia Archiduce postulastis. Responso per Eum dato aquiescite. Græcium propediem ibimus, ibi etiam de Szifzeg deliberabitur.* Ultima porrò Decembris Anno 1592. Græciò scribit Ernestus ad Capitulum, *Portarum arcæ Capitularis* claves, in his necessitatibus sibi resignandas. Hactenus de gestis, Anni hujus, nunc quæ

Anno 1593. Acta in Sclavonia.

In Statuum Dominica ante Conversionem S. Pauli Generali Zagrabiæ conventu, ad Dietam exmittuntur nuncij Nicolaus Zelniczei Præpositus Zagrabiensis Capituli, & Caspar Petrichevich Vice-Protonotarius. His inter Reliqua commissum. *imò* obtestentur per omnia, ut Sua Majestas malis imminentibus tompestivè consulat: Regno jam jam perituro succurrat. Amissa recuperet: Petrinam destruat: titubantia fulciat: Col-

lapsa

lapsa restauret: afflicta recreet. Denique cum Hungariæ Statibus, de Regno Sclavoniæ, tanquam Sacræ Coronæ membro deliberet, pro salute etiam aliarum suarum Provinciarum. II. Calamitates & pericula, jam hactenus coram Sua Majestate vaticinata, & per biennium experta, deplorent. Esseque hactenus viginti sex Castra & Castella combusta, & à Turcis accepta. XXXV. hominum milia in acerbam servitutem abacta. Et nunc etiam, conatus Turcicos eo dirigi, ut huic Regno omni defensione destituto, ultimum inferat excidium III. Milites illos, quos Sua Majestas submiserat, Turcas imitatos fuisse: quia nempe domos & ædificia destruebant; cædes hominum comittebant, curias Nobilium invadebant, spoliabant, devastabant. Cujus mali auctor, quidam *Josa Vecsei* fuisset. IV ut Bani præsidia milite, milites stipendijs augeantur. V. Si Banus infelicis illius ad *Breszt* cladis, & perditi Cæsarei exercitus Reus obijceretur, aut pronunciaretur: Idem Banus ob paucitatem indigenorum militum, non asvetorum contra Turcas externorum auxilio, nomine Regni excusetur. VI. Domini Nuncii sint pacis amatores, ubi de Regni libertate ageretur, nec metu vel favore à libertate Regni suis votis discedant, sed integrè cum Dominis Hungaris permaneant. VII Si spes defensionis hujus Regni nulla, nec à Sua Majestate, nec ab Hungaris affulserit, Declarent: *Status & Ordines afflictissimi Regni Sclavoniæ auxilio & ope destituti, antequam in Turcicam potestatem cadant, aut relictis Patriæ sedibus: alio commigrent, coram Deo, Sua Majestate, & Serenitate, toto Hungariæ Regno, & universâ Christianitate solennissimè protestari, si in extremis necessitatibus positi, eam vitæ & Patriæ suæ rationem iniverint, quam sors & necessitas commodiorem ac utiliorem esse, duxerit.*

Januarij Die xxv. Dieta Posonij est habita, ad diem usque 20. Mensis Martii, Serenissimo Archiduce MAThia Præsente. Graviora exposita fuisse Archiduci, Articulus I. 18 & 19. satis indicant. Nunciorum Sclavoniæ auditæ preces Articulo enim nono, *Pro Sclavonia ordinantur subsidia Ejusdem Regni propria, & ex Contributione Ejusdem Regni Sclavoniæ, Decem milia florenorum, ad defensionem ejusdem Regni.* Articulo VIII. Nicolaus *Istvánffij* Perceptor & erogator contributionis in Sclavonia constituitur. Articulo xx. *Ut Domino etiam Bano, numerum militum augere & stipendia emerita persolvere, Eique* (NB.) *suam authoritatem, & in earum Partium Capitaneos potestatem dare dignetur,* Sua Majestas.

Rustanes Petriniæ Præfectus, post abitum exercitus Cæsarei, nemine sese opponente, campum Turopoliâ tenuit, sæpiusque damna intulit Januario, Februario, Martio, & Aprili mensibus. Ad Siscium quid actum sit, placet reffere Epistolas Præfectorum.

Epistolæ Præfectorum Castri Sziszeg.

„ *Siscià 24. Martii. 1793.* Auditur Rustan Bego, hoc mense sub amissione capitis im„ positum, erigere pontes in *Thotussevina*, *Odra*, *Tissina*, ad utriusque Castri viam clau„ dendam. In *Glina* similiter pontem & Fortalitium, pro quo jam ligna sunt succisa. „ Itaque Castro provideatis, potioribus hominibus, cum tam paucis enim potentissi„ mum hostem exspectare non audemus. Rogamus eliberari ex hoc carcere.

Siscio 29. Martii. Die 25. Martii abducti sunt ex Bebrovecz Haramiæ quatuor. Heri „ hora prandij *Zkocsko* apud Topolovecz interceptus est, & sic ex omnibus partibus cir„ cumdati sumus inimicis. Post discessum D. Præpositi Chasmensis Mikaczij, nemo „ fuit in Drenchina.

Siscio 13. Martii. Heri hora 2da pomeridiana hic, hostium Equites circa Berzay ve„ nerant, unà 30. pecora abegerunt, nemine resistente. Nam Haramiæ, cum ipso Ra„ duszin hinc inde latitant, Berlan tamen hic est cum suis. Eadem hora & apud *Dren„ chinam* Equites fuerunt & pedites, sed nihil abstulerunt, & sic singulis diebus agitur „ hic. Isti duo Portarij nullo modo detineri poterant hic, ideo remittimus eos ad vos, „ causa est quia *Vuk* Castellano veniam dedistis, ex quo tumultus etiam factus. Scitis „ quid eis erit respondendum tali tempore.

Prima Aprilis Siscio. Hodie maturè unus juvenis filius Mihovich ex *Ztrelecbko* qui „ erat pridie interceptus venit ex *Petrina* jam bene vestitus per illos. Vidit quod *Hru„ stan* Begus cum 200. Equitibus discessit in Turopolye eodem vesperi, quasi hora octa-

„ va: pedes vero nullus. De ponte verò eum in mandatis habere, ut usque hæc festa „ eum reformet sub amissione capitis. Heri mane *Berlan* Vaivoda cum Raduszin discesserunt, infra per savum cum quinque naviculis. Hodie hora 2da, adducitur *Berlan* „ cum uno suo decurione interfecti. De Radusziri nescitur ubi sit? qui ab illis per Sic- „ cum discesserat ad Vinodol, & sic bono milite privati sumus.

De Dato VIII. Aprilis Ernestus Archidux, significat Episcopo & Capitulo, Congregationem Regni 22. Aprilis Zagrabiæ celebrandam. Ad quam nomine suo missumus esset, Philippi Regis Hispaniarum, Patruelis sui, Generalem *Rupertum ab Eckenpergh*, ratione negotiorum confinia concernentium tractaturum, cui, ut Episcopus cum Capitulo auxilio sint & adjutorio mandat.

In Generali hac statuum in Area Capituli celebrata Congregatione, Reduces Posonio Nuncij, auditi sunt. Istvanffij Perceptoratus officium, ad Comitatum Zagrabiensium restrictum est; Michaële Zeniczey, Comitatus Crisiensis Perceptore declarato. Cœterum Generalis ab *Eckenpergh* securos redidit, Archiducem Ernestum, Turopoliæ oras, quas hostis incendijs & rapinis desolavit, pro viribus recuperaturum. Actæ Archiduci gratiæ sunt, visúmque Castrum Petrina, ad conservationem vicinarum quoque Provinciarum Stiriæ, Carnioliæ, Carinthiæ destrui oportere. Quare, pro augendo majori militum Banalium numero, supplicatum. *Nam externa Germanorum auxilia, repentinas Turcarum, illásque continuas excursiones, nec celeritatem assequendi, neque usum atque modum invadendi haberent.* II. Cum Castrum *Sziszeg* per Capitulum Zagrabiense, jam sæpius declarata fide ac virtute contra Bassæ Bosnensis binariam invasionem, propriis sumptibus defensum, bonis Ejusdem depopulatis existentibus, idem Capitulum munire sufficienter non posset, dignetur Sua Serenitas dicto Capitulo refusionem expensarum procurare, ut deinceps Castrum hoc conservare possint. III. Monasterium quoque Fratrum Eremitarum *Lepoglava*, ut Sua Majestas ipsi Capitulo Bonis suis, quasi omnino tam per Turcas quam militum etiam Insolentias desolatis, propter illius summam virtutem, in defensione Castri Sziszeg exhibitam, dare vellet, dignetur Sua Serenitas efficere. Nam prædicti Fratres, in Partibus Hungariæ pauci, & sine omni fructu, tam cultus Divini, quàm Regni commorantes, sufficientissima bona habent & possident. Uti Articulus Anni 1593. perhiberet tenoris sequentis.

„ Castrum etiam Sziszeg & Drenchinam Multis calamitatibus & periculis undique „ circumseptum indigenis militibus majori numero quam hactenus necessario, tempestivè muniendum esset. At jam sæpius declarata fide & virtute, qua Venerabile Capi- „ tulum Ecclesiæ Zagrabiensis, contra Bassæ Bosnensis binariam invasionem, Dei gra- „ tia proprijs dictum Castrum Sziszeg sumptibus defenderit, palàm omnibus constare „ arbitramur. Verùm depopulatis omnibus ejusdem Castri Bonis & proventibus, cum „ per memoratum Capitulum, sufficienti præsidio, commeatus, & alijs rebus ac muni- „ tionibus munire minime possit. Dignetur maturè Serenitas Sua, aut cum Dominis „ Stiriacis, aut cum SSma Majestate, pro refundendis Bonis eidem Capitulo ut impo- „ sterum etiam præfatum Castrum Sziszeg, per ipsos Dominos Capitulares commodius „ defendi ac conservari queat, modum inire & tractatum. Monasterium etiam Ordi- „ nis Fratrum B. Pauli primi Eremitæ Lepoglava vocatum, & in hoc Regno ac Comita- „ tu Varasdinensi existens, ipsis Dominis Capitularibus, Ecclesiæ illorum bonis, quasi „ omnino tam per Turcas, quam etiam militum insolentias desolatis, & exiguis, prop- „ ter illorum summam virtutem, in defensione sæpe dicti Castri Sziszeg factam & ex- „ hibitam, ut à Sua Majestate daretur efficere. Nam prædicti Fratres in Partibus Unga- „ riæ pauci, & sine omni fructu, tam Cultus Divini, quam Regni commorantes suffici- „ entissima Bona habent & possident.

Regulato dein contributionis modo; Equites 200. pedites vero 250. conscribendos statuunt. Ex quibus *Nicolao Istvánffij* Equites 50. Joanni Rattkay Equites 50. ac totidem pedites. *Paulo de Gregorianez* similiter de utrisque 50. Vice-Bano, & Vice-Protonotario singillatim Equites 25. totidemque pedites. Episcopo Zagrabiensi ad Castella Abbatiæ, pedites 50. Bano ad Hrasztilniczam pedites 25. ordinati. Coloni à castris eximuntur exceptis casibus, Arcis cujuspiam à Turcis obsidendæ; aut etiam à nostris, vel ipsius Bassæ in castris existentia. De Militum insolentijs lamentatum satis, cum clausula: *Si in futurum tales tentabuntur, relictis sedibus, alio comigrare, vel certè defensionis vitæ, aliam rationem inire, necessarium erit; Christiani enim existentes, à Christianis defensio-*

fionem, non autem offensionem expectarent. Vice-Bano & Vice-Protonotario domi manendi data potestas, ut cum fieri poterit, Judicia celebrent. At fuit illud, ad vota Archiducis medium, ut domi emaneant, nec à Generalibus lædi Nobilium prærogativas, in Castris clamitent, quasi, cum juris Corpore pugnaretur.

Sane ad providendum Sclavoniæ à Cæsare, ac Ernesto Archiduce studium omne collocatum fuerat. Eckenpergius à re bellica clarus, qui nempe XVII annos in Belgio Civilibus bellis ætatem agitaverat, Supremus totius exercitus Dux constituitur, à Bano suo Regnicolæ accipiebant pro more mandata; Banus ab Eckenpergio, cum Carlottadiensi & Crisiensi Generalibus, hujusque arbitrio omnia moderabantur. In Vicinis æque Provinciis succursus ordinatus extitit, qui opportunè, uti infra, adfuit. Eckenpergio Zagrabiâ sedes fuit, locus in his vicissitudinibus opportunus. Is *Auspergbium* cum Carlostadiensibus ad Jasztarberszko constituit: *Grasmanium* cum Capronczensibus, Possavje tractum custodire præcepit. Ivanicenses cis savum, terramque Siscio propinquiorem. Ipse cum Germanis, Banique Copiis ad Zagrabiam in medio constitit, hisque ordinationibus hostem in medio tenuit. Siscium noviter conscripto milite, insuper agrestium ex pagis collecta idonea juventute (quam expertus senex, ob ferventes juventutis spiritus, gloriæ amantes, aptiorem ad impetus & excursiones ex obsesso Castro, esse affirmabat, quovis sene milite) ac duabus Germanorum cohortibus, providit ac munijt. Ubique in savo necessarios pontes erigendos constituit, & necessaria pro sternendis illico præparari debere,

Hasanes quoque è Banialuca *Petrinam* adveniens, pontem, qui inundatione Colapis interruptus erat, reparat: suisque edixit; ut sese paratos ad accipienda imperia tenerent. Misit etiam ad Hasanem Budensem nuncios, sibi à Sinano Vezirio seriò jussum, ne quiesceret donec quibuscunque, posset artibus *Sisciâ* potiretur. Præterea Eckenpergium Zagrabiæ esse, talesque ordinationes fecisse, ut metuat ne imperio Ottomano asserta, amittantur. Necdum tamen, satis provisum, sibi ab exploratoribus refferri, sed copiosiorem præstolari militem. Quare maturius & improvisè aggrediendum Siscium sibi videri. E singulis itaque præsidiis Hungaricis, certum militum numerum subducere, ac silentio ad se mittere primo quoque tempore vellet. Eadem ad *Albæ*, *Strigonij*, *Quinque Ecclesiarum*, *Szigethi*, *Fileci* aliorumque locorum præfectos mandata dedit, quos etiam singulos, Sinanus peculiaribus litteris, ejusdem rei admonuerat. Horum postremorum singulus, singulas equitum tricenarias turmas misêre, & Sigetanus magistros etiam tormentorum adjunxit. Plures quoque, *Segedinô*, *Belgradô*, *Temesvarinô* cœterisque Hungariæ Præsidijs, spe lucri, voluntariæ militiæ nomina dantes, convenerant. Ad Kal. Junij Banialuca in Castra convocata, ac lentis passibus itum, quod tormenta majora, & eorum apparatus quatuor navigijs imposita, adverso savo per Gradiscanos, qui 29. ut vocant *Saicas* habebant, remo traherentur. Justo exercitu (alij XXV. alij XL. milia Turcarum fuisse narrant) congregato, 600. Equitum, & duo peditum millia præmittuntur, qui itinera complanarent, ne quæ mora progrediendi exercitui, & impedimentis obijceretur.

Ad XV diem Mensis Junij, itinere penes savi Ripam ulteriorem, ventum est Siscium. Castra per colles & valles subjectas posita. Sequenti nocte aggeres in ulteriori Colapis ripa, ad turrim desertam templi construi jussa, & corbes viminei terra oppleti interque eas collocata tormenta. Peditatus cum navalibus socijs, Duce MEMIbego Zvornig Præfecto per pontem flumē traijciens, prope arcem aggeres construit, sub tormento Uno, ut sclopetis rem gereret, & per fenestras conspicientes, aut arcis partes obturantes occideret. Thracum sive Schismaticorum peditatus in Castris relictus, quod fidem apud Turcas, ob sibi natam inconstantiam non haberet. Obsessum impetebatur Castrum, propugnaculum præcipue illud, quod ex parte colapis rotunda formâ ad aliorum triangulum constructum est, continuè verberabat. Accidit autem fortuitò, ut cum repagula ferrea, quibus arcis valvæ claudebantur, ictu pilæ ex castris Mamibegi contortæ, loco motæ violenter resiluissent, in occipitium *Mathiæ Fintich* unius ex præfectis, & Canonici Zagrabiensis, is, & duodecim alij fragminibus percussi interirent.

Videtur autem Hasanes, ad Turopoliensem campum, suorum quospiam exmisisse. *Georgius* enim *Marcellevich* ex instrumento tabullarij Capitularis Nro 845. notato, in sua adversaria retulit, quæ sequuntur. *Quinto die ante Dominicam Vocem jucunditatis* (sive Dominicam V. post Pascha) *Strages ultra savum spectantibus Zagrabiensibus magna facta*

 est

est à Turcis. Captivi & transfugæ narrabant, Bassam Bosnensem apud Gradisco navibus imposuisse Bombardas, & Sisciam non amplius ab ulteriori ripa colapis, sed ex ipsa insula oppugnare constituisse. Verum cladis hujus Istvánff. non meminit, neque nos erruere valuimus, qualis fuerit. Prosequitur ex memoriali Ernesto Archiduci submisso Marcellevich. *Quare Capitulum petiit ut hostem in insula securo loco præveniant, sed Generalis in suspenso Capitulum relinquebat. Hæc itaque Capitulum in memoriali exponit ad Cæsarem & Ernestum Archiducem, lamentans malevolorum Consilio opem imploratam, non esse. Proinde petunt pulveres, plumbum, & exercitum locari in insula.*

Intellecto ad Sisciam Turcarum adventu, Eckenpergius sine mora, suos ad Zagrabiam transire savum jubet *Ausperg* cum Carlostadiensibus, ac Istriæ Carnioliæque auxilijs per campum Turopolia non procul à ponte se illis conjungit, & Copiæ ad summam VIII milium militum excevêre. Opportunè admodum ad totius Victoriæ momentum accidit, quod Melchior *Rederus* è Silesia rebus bello Stephani Poloniæ Regis adversus Moscos gestis clarus, inter voluntarios militans, cum 500. Equitibus sclopetarijs ad Eckenpergium advenisset. Advenit etiam cum uno Germanorum peditum vexillo Ferdinandus Waidner. Generali quoque *Grasman* sua data mandata, ex ripa savi, Passavani campi; operari deberet. Prior exercitus *ad Selin* Castra posuit xvii mensis Junij, Georgium Zrinium Canisæ præfectum, sed frustra expectans. Vocati ad concilium Duces *Selinij*, auditæque singulorum sententiæ. *Stephanus Tabius* cum nonnullis, consultius fore dicebant, si inito leviore prælio hostis destineretur, sub quo obsessi relicta incensaque arce erumpentes, vitæ salutique consulerent, omnésque postea ad *Novigrad* sese reciperent. *Raderus* de hostium numero, & locorum situ, quorum is ignarus erat, informari voluit, tum, adversus hostem progrediendum, & cum eis certamen ineundum, sub quo militum pars selectior in arcem immitteretur, ab hostili oppugnatione eam defensura, hostibus autem fugientibus, tunc capiendum ex re & tempore consilium pronunciavit. Placuit Eckbergio consilium, quod obsessis ante omnia opem ferendam censebat, evitandumque dedecus, si Siscia in manus hostium dederetur. Itaque compositis ordinibus contra hostem recta pergendum decrevit. Erdœdius cum suis præcessit, sequebatur Ausperghius, Ipse autem cum peditatu & reliqua copiarum parte, agmen claudebat.

Die xxii Junij ad *Sisciam* ventum est, Memibegus Zvornik præfectus nunciat prandenti Hasani, se ac excubitores, Tympanorum sonitum procul audire. Et cum plures signorum horum nuncij accurissent, Hasanes ad arma conclamat, suosqne versus pontem procedere jussit. Nec mora mille lectissimos equites pontem transire, & cum nostris manus conserere jubet. Clamore sublato terribili ab utrinque concursum, & nostri prima fronte rejecti, retro se recipiebant, cum ab Ausperghio subsidio accurente adjuti, pugnam restaurant, diuque anceps fuit certamen, donec Equitibus à latere Turcas bis adeo sauciantibus, ut Hasanes pro subsidiaria acie mittere cogeretur, ac Erdödio cum suis Equitibus accerimam impressionem in hostes faciente, & Auspergerio secundante, Turcæ inclinare ceperunt, ac præcipiti fuga terga vertere. Quos Hasanes, cœterique præfecti, cum nec minis, nec verberibus, nec hortatibus sisterepotuissent, Chausij qui ad pontem erant, clava ferrea firmare procurabant. At conatu isto, factum est, ut mutuis occumberent ictibus, seque fugientes ac tumultuantes in ponte, in flumen unà cum equis præcipitarent, ac aquis subito absorberentur. Hasanes ipse, cœterique Præfecti visa hac suorum fuga & mutuo interitu, nostris à tergo instantibus, sese in flumen præcipitant, totque hominum ac equorum confertim natantium fuisse scribuntur corpora, ut Undæ præ eorum densitate haud facile conspici possent. Parte alia peditatus noster, qui ad *Odram* flumen Castra posuerat, sclopetis rem agendo Janiceros & alios Turcarum pedites prostravit, ac in flumina vicina *Odra* & Colapis, insilire coegit, ita ut ad unum usque delerentur. *Mehemetes* Herzegovinæ Præfectus ex Imperatoris Turcici sorore genitus interfectus etiam. Illi, qui ultra colapim in Castris erant, fugerunt omnes. Periêre partim cæsa, partim aquis hausta multa Turcarum millia, numerus sciri nequit, cum Scriptores varient, alij XII. plura alij millia interijsse contendunt. Dux Hasanes, Mehemetes Regij sanguinis Juvenis. Memibegus Zvornicensis. Ramandanes Posegæ. Curtes Clisiæ, Sinanes, alijque 12. Præfecti, 40. *Alaibeg* sive Spahiarum Ductores; *ZAYMI* id est Magnates 200. *Spahiæ* clarioris nominis 400. occubuerunt, vel gurgitibus suffocati

focati sunt. Captivorum exiguus fuit numerus, ut vix decem, aut duodecim totis Castris reperirentur. Castra omnia cum tormentis omnibus, inter quæ, octo muralia, & illud prægrande quod in *Essegh* clade, Cociano ademptum, & Cociani nomine appellatum, insculpto Ferdinandi Cæsaris nomine insigne erat, ac præterea magna pilarum ferrearum, & sulphurei pulveres copia, in nostrorum potestatem venerunt. Classis item tota, signa militaria omnia, & equorum duo millia capta.

Petrus Erdödius Hasanem è Colapi extractum, & novis tapetibus involutum, hasta & vexillo superjectis in eminentiori Sisciæ colle sepeliendum curavit. Cujus cadaver postea, Beglerbeghus Petrinam transferri curavit, eoque loco condidit, quô Anno sequente Rustanes Turrim è Regione Petrinæ superimposuit.

Post Eckenpergium, Raderum, Erdœdium. Auspergerus summam laudem retulit, & virtus, providentiaque ejus eluxit. Wolffgangus quoque Druskoczi, ac Joannes Draskovich, cum Benedicto Thuroczio, ac Francisco Orehoczi eminuerunt. Tahius exiguam approbationem accepit, utpote qui interupto non satis expedita ratione ponte, neminem transire permisit. Quæ res fugientibus effusè hostibus saluti & commodo fuit, excusabat sese, quod Hasanem & reliquos Præfectos perijsse ignorasset. *Blasius* præterea *Giurak* Zagrabiæ Canonicus ob tolleratam forti animo obsidionem, debitoque tempore factam excursionem, & tormentorum ex arce providum usum, laudes summas ab omnibus accepit.

Tam absoluta nobilisque Christianorum, hæc ad *Siscium* adversus Turcas fuit victoria, ut inter memorabiles sæculi, ab omnibus refferatur. Totumque Christianum orbem incredibili lœtitia recreavit, ac ad agendas DEO gratias obligavit, quas etiam actas fuisse constat. Imò ad tanti à DEO beneficij memoriam, in *Sisciano* agro, pago *Greda* vocato, Sacellum sub titulo S. Achatij M sociorumque X. millium MM. quorum memoria xxii. Junij celebratur, quóve die à nostrorum prope X. millibus, victoria relata est, erectum habetur, perennisque tantæ victoriæ memoria à Sisciensi populo recolitur. Zagrabiæ item, in Cathedrali Basilica, & his temporibus quoque, solennius Divina cum tormentorum explosione, ac post Sacrificium, Hymno *Te Deum Laudamus*: *Te Dominum confitemur &c.* absolvuntur. Clemens VIII. Pontifex Maximus, datis ad Erdœdium, & Eckenperbium litteris, eorum in Republica Christiana tuenda studium & operam laudavit, eosque ad continuanda officia cohortatus est. Sed & cum Philippo II. Hispaniarum Rege *Milites Sacri Ordinis Redemptoris* Erdœdium Banum, sui esse Ordinis voluerunt, Et Insigni monili exmisso, eundem remunerarunt. Quod *Ratkay lib. 4.* pag. nobis 158. cum cœremonijs ac pompa, dum monile Militi Ordinis, imponeretur Erdœdio, describit.

Parta hac insigni victoria, bidui, quiete militibus concessa, relicto ad dexteram colapi, per sylvas quæ Drenchinam & Petrinam interjacent, levi cadente pluviâ progredi ceperunt cum Erdœdio nostri, ad novum hoc præsidium evertendum. Sed Eckenpergius & ipse retrovertit, & alios retrovertere jussit. Dicebat enim se injussu Cæsaris, cujus de pace servanda animum nondum plane cognitum habebat, tormenta ad expugnandas palàm arces protrahere nequaquam posse, Sed ad castigandam temeritatem missum esse, neutiquam ad inferendum bellum: fors ab utrinque ad fœdera & pacem colendam per hanc victoriam recurretur. A quibus, tametsi Sclavonum opinio illa fuerit: non fore adversus Cæsarem, si jugum hostile cervicibus accolarum ea munitione impositum excutiatur diruaturque, dicturámque Europam, vincere nos scivisse, sed victoria uti nescivisse, Generalis dimoveri non poterat, ne Cæsar rupti fœderis causa dicatur. Quare in Sisciæ Castra, reductus exercitus, brevique ad sua loca & stationes dimissus. Erdödius cum suis militibus, dirupta tormentis hostilibus propugnacula, resarciebat, operi manus ipse admovens, exemplo ut suo: gregariorum militum, & agricolarum turbam, ad subeundum alacrius laborem incitaret.

Turcæ cruentissimam suorum cladem Constantinopolim sic nunciârunt: ut Bosnensis Provinciæ periculum, cum Belgrado ac Sirmio, Regioneque à Savo ad Danubium protensa, subesse lamentarentur. Sinanes itaque Amurathem tanta suorum clade vehementer turbatum, non tam ad invadenda aliena, quam sua tutanda hortari cepit: Soror Amuratis, ad vindicandam Mehmetis filij sui necem, fratrem incitabat. Quare impellente Sinano, Legatus Cæsaris ad septem turrium carcerem missus; ejúsque familia partim ad triremes damnata, partim varijs carceribus includi jussa: Bellum Cæsari apertum indictum; & Sinanes bello Pannonijs inferendo Præpositus. Qui subito, cohortes Jani-

cerorum, prætorianorumque equitum turmas, ac Asiæ Præfectos ad bellum propulsandum invitavit. Bosniæ Præfectus, Hasanes alter cognomine parvus, dictus est: aliaque disposita & ordinata.

RUDOLphus his auditis, Legatum suum Comaromiô revocat, & pecuniam pro munere destinatam in usum belli convertit. Zrinio, Palffioque, ut quacunque in re possint, Turcis quam maxime noceant, edicit. In Sclavonia verò ut Petrinæ obsidio quamprimum instituatur, ijsdem quibus antea Ducibus, mandat. Capitulo autem Zagrabiensi Die 26. Julij ob fidem constantiámque & merita varia, potissimum tempore obsidionis Szikzeg, factis tot sumptibus, fatigijs, laboribus & Vigilijs nulla vitæ discrimina reformidando, sed maxima animi alacritate fideliter & utiliter cum laude serviendo (uti in diplomate) pro tot laboribus & damnis, per desolationem & amissionem bonorum suorum, ex Regia gratia & munificentia sua, Abbatiam B. V Mariæ in Comitatu Castriferrei *Porno*, per mortem Antonij Caprini Præpositi Orodiensis, durante ipsius beneplacito, sub conditione, ut in Ecclesia Pornensi officia ab antiquo consueta peragantur, confert. xx. autem Julij, ad restauranda arcis mœnia, Oratore Capituli Præposito *Nicolao Zelniczei* 4000. florenorum ordinaverat; quæ tamen sequenti anno, ad restaurationem aliam insumpta sunt, ut infra. Post submersionem autem Hasanis, ruinam, Murarij decem indefessè reficiebant. Maceriem dirutam ac rudera purgabant milites. Haramiæ 50. Capituli sumptibus aucti, præter alios plurimos, quos ex bonis suis Capitulum in illis temporum angustijs, ex Cæsaris & Patriæ obsequio, in *mensæ suæ* præjudicium libertare cogebatur. Ut Capituli libertinorum, tot numero auctorum abhinc enata sit necessitas.

Interea *Zrinius* cum suis copijs Zagrabiam ad Eckenpergium venit. Godefridus quoque *Preiner*, qui millæ equites & pedestres copias e Stiriæ & Carinthiæ Provincijs conscriptas ducebat. Et ad iv. idus Augusti Petrinam obsidione cinxerunt, quam *Rustanes* & *Erdoglis* cum valida Turcarum manu tuendam susceperant. Eadem nocte, jussu Eckenpergij, qui præerat; aggeres effodiuntur, & inter corbes vimineos octo tormenta collocantur, hostibus ob preces vespertinas nil animadvertentibus. At quia remotior res fuisset, colapisque Castra nostrorum & hostilem arcem interflueret. Sequente nocte, aggeres & tormenta propius arcem, promota sunt. Jamque octavus dies, irritæ oppugnationis erat, cum Belgradô *Sinanus* Vezirius, obsessis Petrinensibus filium suum *Hasanem* Græciæ Thraciæque Præfectum, vulgo Beglerbegum cum suis copijs ad Bosniæ præfectum misit. Iste xiii. mensis Augusti, cum Bosnensium copijs ad Hrasztoviczam venit, ibique in edito monte prope arcem fixis tabernaculis consedit. Biduo post Beglerbegus trajecto ad *Svinarecz* savo, in eodem monte copias suas Eidem conjunxit. Consiliô eo in Montibus Castrametati, loco nec lignationi, nec aquandis jumentis opportuno, ut terrore ferrirent, immanemque Turcarum copiam metiri facerent. Inter hæc à nostris isthic insidiantibus interceptus, *Ibrahimus* Senex è campo merulæ cum Beglerbego adveniens, refferebat. Hostes eo esse animo, ut ponte ad arcem posito, aut de summa rerum ferro decernant aut nostis retrocedentibus Siscium expugnent, ac socijs qui superioribus diebus ibi perijssent; illorum cæde ac sanguine parentent. *Eckenpergius* cœterique ad tentorium Zrinij congregati super his consulunt. *Zrinij* ac *Erdödij* sententia erat transferenda ad Insulam Castra, quæ ad Sisciam hinc *Colapi*, illinc *Savo*, ac per transversum *Odra* fluvijs muniretur. Commeatum terra & fluminibus devehi posse. *Siscia* servandæ consuli debere, nec hostem temerè se fluminibus objecturum. *Eckenpergius* accedere videbatur; nec multum *Ausperg* resistebat: *Preinerius* autem palam sese opposuit, quod Vezirius Beglerbegum filium, sine magnis viribus non misisset, & se puero dum *Sigettum* obsideretur, nostros obsidionem solvisse potius, quam cum Beglerbego certasse. Creditas sibi à Provincijs copias, e Nobilitate conflatas fortuitis prælij casibus objicere non posse. Quare agerent ipsi quod vellent, se cum suis protinus Castris excessurum, nisi illico Zagrabiam retrovertantur. *Auspergherius* minorum quoque opinionem experiendam censebat, admissoque hoc; turmatim in suffragia convocavit Centuriones, cœterósque. Sed Ladislaus *Bukavachkij* Equitum Carlostadiensium ductor, nomine omnium respondit: Nihil de hujus belli progressu nobiscum communicatum Zagrabiæ fuit, & nunc vestris jussis parebimus. Hortamur attamen, ut consilia factaque vestra ad Reipublicæ & exercitus salutem convertatis. Relato isto ambiguo responso, Zrinius cum Eckenpergio timorem in Ducibus metiti; aut credibilius jussu Cæsaris, causa Hungariæ,

quem

quam, per Turcas infestari intellexerant, exercitum reducunt, dimittuntque. Interea nostris dilapsis(& *Blasio Giurak* Zagrabiensi Canonico, qui anteriorem Sisciæ obsidionem, fortis sustinuerat, causa curandi vulneris, quod tum acceperat, Zagrabiam revocato; atque *Caspare Grangya*, Archidiacono Bexin, pro eo, suffecto *Andreæ Fabriczi* in præfectura Socio, tam subito reparari nequeuntibus, arcis Sisciensis ruinis; ultro citroque dilapsis subditis) hostes ad *Petrinam* primò, castra sua transferunt; circumjacentes prædantur partes; demumque *Siscium* obsident. Præfecti Sisciæ, urgebant a Capitulo auxilia, Capitulum a Bano, ac Eckenpergio. Verum variis ex causis tardato succursu, ac Germanis exiguis *Siscium* missis, cum majoribus tormentis, arx premeretur; & rotundum a parte Colapis propugnaculum cederet, desperato a Præfectis adjutorio, urgenteque Germano milite, de conditionibus æquis, dedendæ hosti arcis, cogitatum. Patefacto Turcis consilio, permissisque ad colloquium barbaris; parte vero ex altera, per ruinas intrantibus Janiceris, clamore excitato, *Casparus Grangya* adcurrens, trucidatur: *Fabriczi* autem, a Mehmete captus, & Constantinopolim relegatus, culeo ut quidam scripsere, insuitur, marique demergitur, vel alio mortis genere, vita privatur; cum ejus e captivitate reducendi, nulla ex actis publicis, aut quorumpiam litteris, cura eruatur. Germani milites occisi omnes ibidem. *Sisciæ* porro captæ, *Ibrahim* Gradiscanæ classis Præfectus, præesse jubetur. Sane occupato Siscio, cum *Savi* & *Colapis*, si non dominium, certe sublata progressui victoriarum impedimenta, Turcæ obtinuerint, quo in periculo, residuum Sclavoniæ, vicinæque Provinciæ extiterint? quivis videt. Profecto Savum transgressi, ad Zagrabiam usque, direptionibus atque incendiis grassati, amplius quinque millia hominum, in tristissimam servitutem abduxêre. Certe *Joannes Rosinus* in Hist. sua Lipsiis 1594. edita, scriberet: *Panicus quidam terror Labacensem Carnorum Metropolim ita concussit, nuntiato quantumvis falsò, de celeri ingentis Turcarum exercitus adventu, rumore; ut repente tota urbe trepidatum fuerit, & ad vasa conclamatum: festinantibus omnibus, sua quisque arripere, quæ duceret preciosiora; equos, currus, vehicula, qui haberent, conscendebant: Cæteri sibi pedites de fuga prospiciebant: matres parvos liberos complectebantur: incondita turba tumultuabatur: clamor ad Cœlum tollebatur; ululatus, planctus, vocesque miserabiles omnibus viis audiebantur, denique qua visus erat, lachrymabile ubique spectaculum cernebatur. Tandem cum Turcam velut Hannibalem ad portas urgere sibi quisque persuaderet, fuga omnium præceps, portis certatim sese effundebat, atque in tuta avolare pro se quisque nitebatur. In cæco isto, tumultuosoque impetu, aliquot, peditibus hominum atque equorum obterebantur pueri; nonnullæ etiam mulieres exanimabantur. Qua ex re tanta trepidatio, animique consternatio omnes invaserat, ut vix triduo, quamquam veri indices, alii super alios adventantes, rem periculo carere, hostem viginti, & eo amplius milliaribus ab urbe abesse nunciarent, domum redire quisquam auderet.* Si Labacensibus, nunc descriptam trepidationem, causavit hostis, quam vicinioribus attulerit? conjectari vel inde est, quod in actis publicis, habitorum tantis in periculis, Regni Comitiorum, nulla reperiantur indicia, dilapsis nempe, seseque salvantibus potioribus; aut unice tutandis propriis, vigilantibus. Capitulum, Basilicæ suæ preciosiora, per Balthasarem Napuli, & Blasium Giurak Canonicos, Bononiam, ad Collegium isthic suum reposuerat; Tabullarii autem publici causâ, & securitatis ergò, Zagrabiam, per milites germanos a Rudolpho exoratos, tutari fecit. His Daniel Francol Tergestinus præfuit, at tantæ avaritiæ; & habendi cupidine macula sordidus, ut dempta servitute, nec Turca graviores patravisset prædas, propterea etiam, ut infra, Regi publice accusatus.

Salus proinde patriæ, authumnus, agros camposque inundans; hyems æque remissa, extitit primo; tum, *Sinanis* Vezirii, ab Amurate, quod Persæ ac Georgiani res novas molirentur, Constantinopolim revocatio (cujus res, cum Isthvanffius lib. 27. suo more accurate describeret, neque ex nostris monumentis, & MSS. invenissemus; quæ addi deberent, in Isthvanffio videndæ) qui, cum mandasset, ut habita prius, & hoc anno obtenta, unice per Turcas tutentur, neque fas sit illis, inferre arma, aut prosequi victorias cum periculo; eapropter quod residuum erat Sclavoniæ, vicinarumque Provinciarum, in tanto periculo, salvum & incolume permansit. Itaque

Anni 1594. memoriæ.

Rudolphus, evoluti anni, tot Hungariæ Sclavoniæque malis & calamitatibus; precibus item sibi Subjectorum, & communi omnium metu; post indictum etiam sibi ab Amurate bellum, excitatus, de remediis cogitare incepit. Et postquam in gubernatione Belgii, ad vota

vota Philippi Regis Hispaniæ, mortuo Alexandro Farnesio, Parmæ Placentiæque Duce, ERNESTUS Archidux successisset, Rudolpho hinc anxietates graviores enatæ sunt. Scivit: comitiis superioris anni, Articulo I. universas Hungariæ calamitates, suæ absentiæ e Regno, attributas esse; Scivit, quæ lamenta fuère (testante fato Art.) ob neglectum gubernationis Hungariæ. Hinc posteaquam permoveri nequivisset, aut fors permissus non fuisset, ut Posonium veniat, Diætam, tametsi adeo necessariam, admittendam ideo haud esse censebat consilium; ne in tanto vicinarum Provinciarum metu, ex mutuis intra Regem Statusque diffidiis, graviora eveniant. Itaque per Regium ut vocamus Rescriptum, MATHIAS Archidux, Rudolphi frater, Hungariæ; *Maximilianus* autem, Ferdinandi II. a CAROLI obitu tutor, Sclavoniæ, Croatiæque, præficiuntur. Quo animo hæc ab Hungaris audita sunt? fidem faciunt posteriores articuli. Profecto in anni 1595. commitiis, articulo I, non solum, non aguntur pro dato Mathia gratiæ, verum exponitur: *At quam fuisset necessarium ut sua Majestas Cæsarea atque Regia, jam tandem post tot annorum revolutionem, ipsamet præsentibus Regni sui periculis & malis succurisset, suorumque fidelium consternatos animos, sua quoque paterna refocillasset & erexisset, non est quod multis declaretur, cum res ipsa per se loquatur, idque suæ Majestati optime constet*, hinc aguntur etiam gratiæ: *quod fideles suos, quos superiorum bellorum fluctus, residuos fecerunt, avitæ virtutis commonefacit, animosqae eorum dejectos erigere satagit.* Articulo II. *Nemini mirum videri deberet, etiamsi nihil auxilii pro præsentis belli expeditione ferrent: Volentes tamen status, & ordines, Proceresque Regni pro eorum viribus, Se, suamque Patriam juvare, & paternæ suæ Majestatis admonitioni satisfacere, offerunt &c.* Anno autem 1596. Art. VII. *Si vero Majestas sua Cæsarea personaliter in castra adveniet, quod Status & ordines ex animo cuperent; offerunt se more veteri, personaliter eo venturos, armis, equis, & apparatu bellico bene instructos, & tamdiu, donec necessitas postulaverit, penes Personam Majestatis suæ militaturos.* Sub Rudolpho, atque ex hac causa, vetus illa Nobilium bellandi ratio, potissimum est immutata.

Pari ratione, Sclavonia, Croatiave, Maximiliani supremam Præfecturam excepit. Quinimo cum is, per Georgium Wazler Capitaneum Petovii, cum Rudolphi rescripto, mandata quædam misisset: rejecta fuere mandata, nec in Regni acta admissa sunt. Maximiliani autem præfectura, eousque nec agnita, nec admissa est, donec per Rescriptum aliud Rudolphi, Maximiliani Decreto, inserta non fuit clausula Art. 15. 1578. videlicet: *Serenissimus Archidux, eam cum Domino Bano Croatiæ & Sclavoniæ intelligentiam habeat, ne quid sequatur inconveniens, & libertati Regni contrarium.* Qua clausula visa, datisque eatenus, ut vocamus Assecuratoriis, Rudolphi, & Maximiliani; per Thomam Erdoedi, Banum; Regni comitia indicta, atque sub præsidio suo terminata sunt. Aderat Maximiliani nuntius, præfatus Wazler. Hic, exhibitis assecuratoriis prædictis, Archiducem in Persona, ducturum adversus Turcas exercitum spopondit, suumque adventum, prævie, atque in tempore insinuaturum Bano, atque per hunc Statibus. Archiducis in Sclavoniam affectum, copiosissime exposuit, & Patriæ, a Statibus provideri oravit. Constituendos demum articulos, cum Archiduce communicari, ut his visis, providere valeat. Longius Vice-Banus, cum Orahoczio controvertebant: cum Persona Archiducis, personaliter Status atque Ordines insurgere non teneri, cum istud, Coronatis unice Regibus competeret, at Isthvanffy potissimum rationibus, superata quæstione, conclusum est.

I. Ut omnes & singuli, DD. Prælati, Magnates, & Nobiles, aliique possessionati, penes suam serenitatem, futuræ expeditioni intersint.

II. Canonici Zagrabienses, a singula Persona equitem unum; Fratres Eremitæ, a Conventu Lepoglaviensi Equites 4: ex aliis, duos submittant. Episcopus Banderium suum; prouti & Magnates sua. Comitatus Varasdinensis, & unus Processus Crisiensis, a singula porta, Sclopetarios duos, Zagrabiensis tres. Mercatores Zagrabienses, Sclopetarios pedites 60. Varasdinenses 200. Crisienses 150. Capronczenses 30. Oppidum Samobor 40., suppeditabunt.

III. A maritimis arcibus, Comes a Zrinio 100. Comes Tersachky 50. reliqui juxta priores constitutiones, dabunt.

IV. Quicumque ex castris, absque licentia discesserint; ex talibus, si Magnates fuerint fl. H. 200; Liberæ Civitates & potiores Nobiles, similiter etiam inferiores possessionati in 24; sessionis unius, & Armalistæ in fl. Hung. 12, ipso facto, & irremissibiliter, toties quoties, vadientur. Parte in media, Regno: & altera Vice-Comitibus ac Judlium (quibus id facere competet) exolvendi.

Exacto-

Exactores, de Fumalibus pecuniis, rationum, constituti sunt: Episcopus Tininiensis Mikaczius, Petrus Draskovich, & Joannes Keglevich, quibus tres Nobilium additi, & *Oppidum Krapina*, ut locus in his circumstantiis securior, pro rationibus, & cassæ conservatione constitutus.

Pro Vigiliis adversus Turcarum incursiones, equites peditesque sic repartiti fuere. Ad *Jasztrbarszko* Dno Bano equites 50. ad *Sellin* pedites 50. D. Isthvanffy equites 20. Capitulo Zagrabiensi, cum peditibus ad *Kraljevecz* 50, ita tamen, ut expeditionis tempore, esto per Capitulum conducti, sub vexillo D. Isthvanffy sint. D. Comiti Petro Erdöedi ad *Keresztinecz* equit. 50. Ad Brezoviczam ped. 20. Ad *Kravarszko* 30. D. Stephano Tahy in Bosako, equit. 50. D. Episcopo *ad Pokupje* ped. 50. D. Vice-Bano *ad Podotochje* ped. 28. D. Orehoczy *ad Vukovinam*, ped. 25.

Additæ sunt preces, primò: pro satisfactione enormium excessuum per Danielem Francoli, in Capitulo, & Regia Civitate patratorum, cum peditibus equitibusque Germanorum, deductæ speciatim, cum additione, quod: *superent hostilem Turcarumque Barbariem.* Deinde orant per omnia Sacra, ut Archidux in Persona adveniat, disponat, & quamprimum educat exercitum, quemadmodum frater suus Mathias fecisset in Hungaria, sic enim hosti, nondum parato, validius occurri poterit. His absolutis, Maximiliani abiit nuntius, articulosque ad eum detulit; Interea dispositiones in reliquis factæ, ut tormentorum, pulverum, curruum, & supra statutorum executio.

Mathias in Hungaria, officio & rebus bellicis, ab exordio Veris incoatis, fungens; & progressus faciens (de quibus, legendus est Isthvanffius) fama eorundem, orbem recreabat Christianum; At Maximilianus, quibus de causis? ignotum, morabatur. Victus populorum Stiriæ & Carnioliæ precibus, Sclavoniæ item repetitis monitis, ac factis Rudolpho declarationibus, facile minus placentibus, quod Sisciô ac Petrinâ assiduis Turcarum depopulationibus, igne ferroque infestarentur, tandem Maximiliani ad Sclavoniam adventus, ad diem XV. Julii, figitur, Banoque per Epistolam significatur. Eckenpergio insuper, Grasmanio, & Lenkovichio, de præparandis ad obsidionem *Petrinæ* necessariis, mandata adveniunt. Quid actum? postea narrabimus.

Comes Georgius Zrinius, cum Sigismundo Herberstein, Friderico Trautmansdorff, aliisque rei militaris Præfectis, ad Canisam 21. adhuc Martii convenerant, abindeque promotis castris, *Berzencze* primo occuparunt; tum *Chiorgo*, Hasanaghe *Segusthii* Præfecto, *Babocsiam* sese recipiente. Maximiliano Archiduce adventum tardante. Ad sistendas Turcarum deprædationes, Die XXI. Julii ad Colapim a Bano, Eckenpergio, Lenkovichio castra locata sunt, exercitus XVI. millibus armatorum constabat. Ponti extruendo, primum insudant, & hoc absoluto, trans Colapim transeuntes, cum Turcis confligunt, hosque in fugam conjiciunt. Hac in pugna, Nicolai Isthvanffy, Petri Kastellanffy, ac Gregorii Petthëo virtus eminuit. Daniel Francoli, Carolostadium a Maximiliano, post accusationes supra indicatas translatus, post pugnam, ac tardius advenit. Obsidebatur interim, & oppugnabatur Petrina.

Maximilianus Archidux XXIV. Julii Zagrabiam appulit, insequenti die progrediens trans Savum, Die XXVII. Julii *Lettovanichium* appulit, isthicve pernoctans consedit. Die eadem, *Rustanes* & *Erdoglis*, cum 300. fere, Petrinâ excurrunt; interfectove *Stephano Garai* Centurione Caproncensi, ad pontem sublicium; *Joanne* autem *Velicai* fuga sibi consulente, ac evadente, post excitatos clamores, *Eckenpergius* ipse adcurrit; pontem conservavit, amissis tormentis quinque, & amplius centum e nostris, per Turcas trucidatis. Kalendis Augusti Maximilianus cum toto exercitu, pontem trajiciens, propius sylvam, adversus arcem castra locavit. Lenkovich eodem die, cum Croaticis suis copiis, *Hrasztoviczam*, & *Gorre* arces, tum a Turcis possessas, & Petrinæ laterales, expugnandas suscepit, admotoque tormentorum terrore expugnavit. Equidem *Ibrahim* Hrasztoviczæ Præfectus, pacta incolumitate, arcem dedidit; qua deditione, a Custodibus arcis *Gorre* intellecta, ipsi, cunctandum nil rati, arce vacua, integra tamen relicta, profugiunt. Firmatis itaque his duabus arcibus præsidio, Lenkovich ad Maximilianum cum exercitu revertitur. *Rustanes* porro cum Erdogle, nova turri Petrinæ adjecta, esto vi tormentorum, & scloporum ictibus, nostros continuo molestarent, ob Maximiliani præsentiam factum, ut neglectis incommodis, non solum oppugnationi, nostri adhærerent, verum positis periculis, admotis scalis, a DC segniensium, adorta turris, occupataque; hostes adeo terrefecit: ut inflammata arce, noctis beneficio, *Zrinium*, ac deinde *Kostaniczam* profugerint. Turcæ illi, qui *Sisciæ* in præsidio erant, ignes conspicati, ac tormentorum fragore audito, perquam territi, relicta & incensa arce, æque fugerunt. *Ibrahim* Sisciæ Præfectus, ex accepto olim sub *Bihacs* vulnere claudicans, a mili-

a militibus Petri Erdödii in fuga, captus est. Hac ratione, Siscio potiti nostri, postquam Maximilianus Segniensium virtutem collaudasset, remuneratusque fuisset, *Petrinâ* ad vota Regni Statuum funditus diruta, hujusque terris Capitulo Zagrabiensi donatis, *Siscia* quoque, eidem Capitulo restituta, ipse in Stiriam rediit. *Sisciæ* receptio, in Diem X. Augusti incidit, quo die, arcis Siscienfis Præfecti, dehinc commutari consueverunt.

Recepto Siscio, mox die XII. Augusti, restaurari arx, ex pecunia illa per Cæsarem data, atque supra memorata, pag. 296. incepit, scribente ista Marcellevichio, ex instrumento Capituli, Nro 842. notato. Atque insuper pro Præsidio 50. Haramiæ conducti, Salario menstruo fl. Hun. 126. Den. 40. His equites 30. additi. Murarii conducti, ferrum aliaque comparata. Sed post Maximiliani abitum, nostris domum reversis, Bano Thomâ Erdöedio, reliquos inter legatos Rudolphi, pro tractatu intra Rudolphum, & Sigismumdum Bathory Transilvaniæ Principem, conficiendo, abeunte; & Magnatibus sese dispositionibus publicis, opponentibus; uti recuperatis trans Colapianis partibus debitè provisum non fuerat; ita has, Rustanes & Erdoglis perfacile reoccupârunt. Itaque die 20. Septembris, *Costaniczâ* reversus Rustanes, Hrasztoviczam occupat, inde facili negotio *Petrinam*, quam dirutam, subito restaurare occepit, hujusque restaurationi intentus, a molestiis cæteris abstinuit. *Erdöglis* occupata arce *Gorre*, per Farkasfich aliasque ibi vicinas partes, damna inferens, cum Turopolienfem campum vastaret, ab iis, qui, Zagrabiæ & Carolostadii, in hostiles excursiones invigilabant, captus; & Maximiliani jussu, *Posonium* delatus, in carcere & custodia isthic obiit.

Demum die III. Decembris, Pragâ, Joanne Kuthassy Eppo Jaurinensi subscribente, sub Præsidio Mathiæ Archiducis, Diæta Posonium, ad diem X. Januarii, anni subsequentis indicta, promulgataque est. Neque aliud in notatis MSS comperio, quam, quod die X. Februarii *Thomas Makar* Parochus & Vice-Archidiaconus Varasdinensis, ad petitionem *Joannis Mokroics* C. Eccl. Zagrab. terras quasdam & fœnilia, per inventarium, Monasterii S. Joannis Bapt. *olim Instituti S. Francisci*, nomine Capituli acceperit, ut Franciscanos anno hoc 1594. Varasdino recessisse, consequatur.

Anni 1595. Memoriæ, e MSS.

Die VII. Januarii, Generalem Regni fuisse Congregationem, notatum habemus; at nec Submissos Posonium Nuntios, nec propositiones factas, valuimus obtinere. Alia ad nos Conventus hujus, non pervenit memoria, quam *Blasio Giurak* Can. Zagr. publicum fuisse extradatum testimonium, virtutis testatæ sub descripta superius Sisciæ obsidione, tenoris sequentis. „ Nos Universitas Dominorum Prælatorum, Baronum, Magnatum, & „ Nobilium, cæterorumque Statuum, & Ordinum Regni Sclavoniæ. Memoriæ commen„ damus tenore præsentium significantes, quibus expedit Universis. Quanquam virtus perse „ ipsam clara sit, æternaque habeatur, nulla etiam sui commendatione indigeat; præclarum „ tamen ducitur, res vitæ, & immortalitate dignas, ab hominum oblivione vindicare, perpe„ tuaque memoria custodiendas ad posteritatem transmittere, ut inde omnis ætas, & Status „ exemplum sibi tanquam ex speculo eliciant, & incitamentum ad præclara, & gloriosa „ quæquæ auspicanda habeant. Quo Nomine, cum in omni vitæ suæ cursu, insigni laude „ semper claruerit, Reverendus Dominus Blasius Gyurak, tum Archi-Diaconus Dubiczensis, „ nunc vero Cantor, & Canonicus Ecclesiæ Zagrabiensis, potissimum tamen: Anno Domini „ Millesimo Quingentesimo Nonagesimo Tertio, Mense Junio, tertiaria gravissima, & peri„ culosissima obsidione Arcis Sizek, æternum sibi, & immortale Nomen, apud Universum „ hoc Regnum, vicinasque & adjacentes Provincias, & Ditiones, rebus; summa virtute, con„ stantissimoque animo viriliter gestis, comparavit. Præfecturam enim Arcis Sizianæ a Fra„ tribus, & Concanonicis suis, æstuantissima illa flagrantium Bellorum tempestate, sibi de„ mandatam, & commissam, ita administravit: ut vix trecentorum militum manu stipatus, „ Hazan Bassæ Bosnensis ferociam, inauditamque superbiam, imperterritus, obsidionem gra„ vissimam præ oculis habendo, hilari vultu, magnoque animo sustinuit, obsessus, ac undi„ que miræ, ac stupendæ magnitudinis Bellicis Machinis tantopere impetitus; ut muris „ fere solo æquatis, nullum devicti animi indicium dedit. Imo milites, ab aquis per Ho„ stem prohibitos, Vini & meatus proprii gratuita, ac liberali distributione quotidie magis, „ magisque ferventiores, ac in omnia imperata cum aviditate, & summo studio capessenda, „ & exequenda, promptissimos effecit. Amisso autem Socio, aliisque duodecim potioribus, „ cum & ipse, grave vulnus accepisset, nec minis, nec pollicitationibus, quæ frequentia per sa„ gittas in Arcem immittebantur, ad turpem deditionem compelli potuit; sed extrema quæ-

„ quæ

„ quæ prius, dulcemque pro dulci Patria mortem, DEO, Patriæque offerendam ratus, tam-
„ diu omnes Hostium callidissimas, & rabidissimas molitiones sustinuit, donec ille vix expe-
„ ctatus Christianorum Exercitus præsentissimam opem tulit, Hostemque aperto marte, &
„ campo adortus, laudabili illa & toti Orbi Christiano lætissima, de Hazan Bassa cæso, victo-
„ ria fudit. Ubi etiam singularem virtutem ipsius Domini Blasii Gyurak videre licuit,
„ congredientes enim quamprimum vidit duos Exercitus, parvumque agmen cum immenso
„ immanium Belluarum pelago collatum, non hanc aut illam Belli fortunam expectavit,
„ sed protinus ex Arce deducto milite in proximos Hostes tanto impetu, tantaque animi au-
„ dacia invectus est, ut egregio stratagemate edito, multisque partim cæsis, partim in a-
„ quam conjectis, optima de hoste spolia in Arcem reportaverit. In ejus itaque rei gestæ im-
„ mortalem memoriam, & Documentum, Præsentes Litteras Nostras Testimoniales, Sigillo
„ Nostro impendenti consignatas; memorato Domino Blasio Gyurak dandas duximus. Da-
„ tum Zagrabiæ Feria secunda proxima post Festum Epiphaniarum Domini. Anno ejus-
„ dem Millesimo Quingentesimo Nonagesimo Quinto. Ex Nostra Generali Congregatione.
„ De Comissione Regni, Magister Casparus Petrichevich de Miketyncz. Vice-Proto-Notarius
„ Regni, manu propria. Locus Sigilli pendentis.

Blasius a Clemente VIII. intra Equites, a Rudolpho intra Nobiles, relatus est. Atque hæc tantum sunt, quæ ex Comitiis Regni Sclavoniæ, ad nos devenerunt. Banum Diætæ anni hujus 1595. adfuisse; articuli intra Rudolphum & Transilvaniæ Principem conditi, in hac Diæta ratificati, & adnexi, testantur. Articulus autem XVI. Nuntios Sclavoniæ præsentes fuisse, evincit.

Nicolaus Zelniczey, Episcopi & Capituli, Pragæ Orator, pro Subsidio pecuniario, ad ad usum Arcium *Szisek*, & *Pokupszko*, pro anno præsente 2000. talerorum (de quibus legi potest, *59*. Artic. 1596.) erga rationes exhibendas, obtinuit, dandos: a *Michaele Zeller* ex solutionibus Aulicis. Ipse quoque Orator, Titulos *Episcopi QuinqueEcclesiensis*; Mikaczius autem S. M. Consiliarii, consecuti sunt.

Nonis Januarii, Amurate Turcarum Imp. mortuo, successit Mehmetes III. defuncti Filius, annum ætatis agens XXVII. qui, cum semet in Hungariam anni insequentis æstate iturum declarasset, Rex Hungariæ Cæsarque Rudolphus, providere satagens, Carolum Mansfeld (cujus, ob disciplinam militarem servatam, plane per Art. III. 1596. esset memoria) Belliducem, Mathiæ Archiduci subordinatum, nominat. Romani præterea Imperii, Pontificis, Hetruriæ item Ducis, auxiliares copias obtinet. Joannes Mediceus, tribus millibus, pedestris ordinis, a Fratre suo Ferdinando missis imperabat; Pontificiis, octo millibus peditum, duobus Equitum, Franciscus Aldobrandinus præfuit, Tribuni nominatiores fuere; Marcus Farnesius, Julius Cornetaro, Leo Strozza, Rudolphus ac Horatius Baleoni, Fridericus Ghislieri &c. Hardek, cum Nicolao Perlini, Urbinate, de Jaurini proditione convicti, pœnas luere, de quibus cæterisque legendus Isthvanffius.

In Sclavonia nostra, perhibentibus actis publicis, Feria II. Pentecostes, jussu Maximiliani, a Thoma Erdöedio Bano, Regni Congregatio est habita. Ad hanc, Maximiliani Nomine venerunt, *Joannes Draskovich* de Trakostain, & *Georgius Labohar*, prior Equitum, posterior Præsidii Crisiensis, Capitanei. Horum propositiones, minus grata obtinuere statuta. Enimvero laboratores gratuiti, pro quibusdam restaurationibus, negati sunt, quoadusque futuri belli progressus, visi non fuerint. Personalis quoque negata est insurrectio, cum declaratione: *Pro re certissima sua Majestas credat, nulli externæ Nationis Generali nos parituros; neque ad bellum, etiamsi omnes cum patria pereamus exituros; sed extrema quævis, antequam libertate nostra, hac in parte privemur, tentaturos.* Istud porro processit, ex relationibus actæ Diætæ, Thomæ quoque Erdöedy declaratione, quod is Pragæ, Banali Officio valedicere debuerit, & Banale Banderium, Archiduci Mathiæ, Posonii resignare, ut hæc, in Actis expræssa forent. Robur fecit Zriniorum, Frangepaniorumque expostulatio, quod in suis portubus, a DD. Hungariæ Regibus, ob servitia Regibus ac toti Sacræ Coronæ præstita, concessis; haud sine periculo avellendarum a S. Corona, maritimarum partium, Tutorum Ferdinandi opera, turbarentur. Confusi itaque Nuncii, rescriptum obtinuerunt, Lamentis publicis repletum, cum supplicatione ea: ut exoret a Matte, Banum ex Regnicolis, militarem & benemeritum, cum Banderio & auctoritate Banis debita. Quo in casu, *etiam ea, quæ quasi non sunt possibilia, faciemus.* Abeuntibus Maximiliani Nuntiis, a singulis Nobilium & Magnatum Personis, Eques unus, a porta seu fumo quovis, decem pedites ordinantur. Impositi fl. Hun. tres, fumo singulo, pro conducendis peditibus 322. qui, ad statuta loca vigilabunt. Horum Supremus Capitaneus, Erdöedius: Vice-Capitaneus vero, Lustrator & Solutor *Michael Wojkffy* est constitutus,

Fumorum rectificatio, penes Diætalem Articulum commissa, in Comitatu Zagrabiensi Vice-Bano, ac Georgio *Mikulich*, Crisiensi Vice-Comiti *Arky*, cum Petro *Szakmardi*, Varasdinensi, Vice-Protonotariis, & Martino *Zvirchich*. Est etiam memoria, Nobilis & Strenui Militis *Alexandri* Germani, cujus vulnerationi cum manus dexteræ amputatione, quod cæteros a rapinis arceret, condolent. Joannes ac Petrus Draskovich, fl. Hung. 18400. Michaeli Zekely, ea conditione locaverant, ut evoluto triennio, si summam non deponeret, Dominium *Krapina* Draskovichiis cedat. Dum hi, secundum pacta, *Krapinam* exequi volunt, *Zekely* Nobilem exequentem, cæterosque ignobiles additos, interficit. Casus suæ Majestati significatur, & Familia Draskovich commendatur. Interim Zekely, cum filio suo Friderico, Castrum Krapina, *Joanni*, *Petro* & *Georgio Keglevich* tradidit.

Maximilianus, acceptis Statuum litteris, effecit apud Rudolphum, ut CASPAR ZTANKOVACHKI *Episcopus Zagrabiensis*, & Magnificus JOANNES DRASKOVICH, Equitum Crisiensium Capitaneus, in Banos resolverentur. At sine Banderio; sine juramenti coram Statibus deponendi, obligatione; imo de amittendis Colapianis Confiniis, metus erat. Itaque Dominica, ante Festum S. Thomæ conveniunt Status, consulunt: & Pragam, Viennamque item, ad Archiducem Mathiam, ut etiam Græcium, ad Ferdinandum; Oratores mittunt: Petrum Kastellanffy, cum Melchiore Tompa de Horzova, ut pro resolutis Banis agerent gratias, & Confiniorum confirmationem obtinerent, Banique Banderium. - Ad Diætam 1596. Custos Eccl. Zagrabiensis Caspar Zkoblich, cum Georgio Petheo de Gerse, Regni nomine ablegantur. *Thomas* porro *Erdöedius*, vir adeo clarus, ut superiora testarentur, in *Metlica* vulgo Mötling, arce sua, privatim quod vixerit, Contractus Arendarum cum Capitulo Zagrabiensi, anno hoc, die 21. Julii, pro Metlica, Jaszterbarszko, Okych, Turan, Samobor &c. evincunt. Notatur in Actis, causam suæ resignationis, hanc fuisse præcipuam: quod post tot servitia, post conclusum tractatum cum Principe Transylvano, Pragam redux, Rudolphum offendisset ideo, quia *Pisinienſem* Comitatum, vulgo *Mitteburg*, *Pasina* Croaticè, penes assecuratorias Archiducis Maximiliani (reclamante Ferdinando, hujusque Genitrice) sibi conferri petierit, murmurando vehementius de iniqua Ejus, atque Istriæ, a Regno Croatiæ, & Sacra Corona avulsione. Hinc etiam, Frangepanios Zriniosque, motos fuisse ad lamenta, adversus Ferdinandi intentiones. Responso accepto, Majestatem suam de sibi subjectis terris, ita disponere posse, ut ipse cum suis.

Hoc anno, eodem tempore, quo Mansfeldius *Strigonium* obsedit, Comes Georgius Zrinius, cum Joanne Sigismundo Herberstein, adscitis sibi, *Canisæ* præsidio (Christophorus Hampo, alias Ernuszt Canisæ præfuit) *Babocsam* obsident, atque relictam a Turcis occupant, reparant, reficiuntque. Herberstanius in Sclavoniam reversus, consilio & facultate Eckenpergii, Lenkovichii & Thomæ Erdöedii, Petrinam, Turcis erepturus properat. Die constituta conveniunt, Castraque intra Savum & Colapim ad *Novigrad* (ad *Savum* situm locum) conjunxere: relictisque impedimentis Sisciæ, ad occasum Solis, Petrinam appulere. Arcis Præfectus *Rustanes*, visis Nostris, Eques subito ad pugnam prodit, suosque educit. Hac fervente, reliquos inter, ipse etiam, ictu equitis *Casparis Kurtich*, lætale vulnus accipit; decumbens licet, ea disponit; ut re desperata, Nostros, Sisciam reverti oportuerit. Verum morte *Rustanis* secuta, Turcæ consternati, Petrinam deserere occeperunt. Certis nunciis, re patefacta, subito, extento cursu nostri Petrinam delati, abducto *Rustanis* cadavere, ut *Banialucæ* sepeliretur; hostes, majori ex parte, arce jam excessisse, compererunt. Signifer Joannis Draskovich, primus vallo signum illatum Cæsaris, affixit. Cæteri promiscue ingressi, cæsis paucis, qui remanserant, Petrinam occuparunt. Tum fugientes persecuti, plurimos retraxerunt, ac optima præda, & Rustanis ipsius suppellectili, potiti sunt. Illi quoque Turcæ, qui *Hrasztoviczæ* fuerunt, incensa arce profugerunt: Qui vero *Gore* custodiebant, collectis rebus suis, ad loca tutiora sese recepêre. Qua ratione, *Petrina*, *Hrasztovicza*, *&* *Gore* arcibus, in Potestatem nostrorum deventis, præsidio militari ubique imposito; videbatur: *Petrinam* non ut Maximilianus fecerat demoliendam, sed restaurandam esse. Itaque *Daniel Francoli*, Primus ut vocamus *Commendans*, Petrinæ constituitur, suæque fidei custodienda tribuitur. Nostris, ad suas stationes revertentibus. Arma enim sive spe pacis, sive ob attritas utrinque vires, hoc anno deposita videbantur.

Recuperatæ præmissæ arces, committi cui debeant? disputatum. *Herberstanius* ad suos pertinere debere, contendebat, *Regni Status* Bani Confiniis conjungendas optabant, cum ob viciniam Confiniorum Banalium *Lettovanich*, *Berkissevina*, *Szredichko*, aliorumque cis & trans Colapianorum; tum quod antea, ad Regni jurisdictionem partes illæ pertinuerint. Hinc ut supra retulimus, in Consultatione illa, Decembri Mense habita, Oratoribus commissum; ut hoc a Cæsare exorent. Ad arcem quoque Petrinensem defendendam, a cujusli-

juslibet Regnicolæ Persona, Eques unus, & a quovis *fumo* Pedester miles unus, donec à sua Majestate definitum fuerit, ordinantur, quintodecimo die permutandi.

Memoriæ Anni 1596.

Undecima Januarii die, per Thomam Erdöedium jussu Cæsaris indicta, Regni Congregatio est habita. In qua, per suæ Majestatis Commissarios Nicolaum Istvanffi, & Mathiam Paranich, Præsentati Bani sunt: *Caspar Ztankovachky Episcopus Zagrabiensis, & Joannes Draskovich*, præstitoque pro more juramento, inaugurantur, sine vexillo attamen, cum Banderium sibi collatum non habuerint. Confirmato Vice-Bano Stephano Beriszlavich; pro Thesaurario, universarumque contributionum Exactore; *Petrus Draskovich* a Statibus electus est. Regni autem Capitaneus, a Banis dependentiam habiturus, Joannes Keglevich. Ad Præsidia *Szredichko & Lettovanich*, centum pedites deputantur. Introductionis Banorum Solennitas, erat maxima, tot Generalibus, summisque Viris ornata, cum vulnere tamen Statuum, quod duo Bani, nec Unius, avita Banorum authoritate, pollerent. Quid enim futurum sit de Confiniis? quid Banali Banderio? taciti suspirabant.

A XV die Januarii, ad finem usque Martii, Publica sacræ Coronæ celebrabantur Comitia. Articulo II. hortatur Cæsar: *ut invictum ostendant animum, neque calamitatibus & malis, quæ bella ferunt; aut Militum insolentia, qui varias gravesque populis clades intulerunt, moveantur.* Articulo III. tales deplorantur militum insolentiæ; & disponuntur necessaria, ex Articulis Diætæ hujus petenda. Articulo XIII. Bona Ecclesiastica & Nobilium, ac Civitatum villæ, a condescensione militum eximuntur; modusque castigandi transgredientes, XIV. præscribitur, cum additione: *Idem fiat in Sclavonia per Banos.* Articulo XXXVI. Colonis, qui ex Sclavonia aufugerant, redeundi facultas datur, pronunciaturque: *libera Colonorum migratio.* Comes Zrinius ad littora maris Adriatici, Bona *Grobnik*, *Bakar*, & *Hrelin* cum portubus possidebat. *Flumen* vero, ad Archiducem Ferdinandum pertinebat. Tricesimatores hujus, mercaturam ex portubus Zrinii impedire, violentis plane modis procurabant, Ferdinando preces Zrinii non audiente. Quare Articulo XXXII. committitur Banis, ut Comitem in suis juribus defendant; quia talis violentia: *limitibus, ac fœderibus Regni, ac locis depositionum, præjudicat.* Et præjudicavit sane, ut infra, ubi res belli, ibi gestas commemorabimus.

Convocati Zagrabiam ad diem VIII. Aprilis Status, auditisque reducibus è Diæta Nunciis, orant Matthiam: prohiberi Cameræ, ne manus imponat ad contributionem Regni hujus, tanquam ad defensionem ordinatæ: Atque ut vicinæ Provinciæ ad muniendam *Petrinæ* àrcem, erigendamque cis Colapim Civitatem, Regnum adjuvent. In alio post mensem conventu statutum est, ut Pedites velut magis necessarii, pro contributionali peccunia conducantur. Conductique Nro 300. ac Equites 50. Ex Dica Regia totidem.

Rudolphus Banis significat Pragâ die prima Junii. Maximilianum a se bello gerendo præfici, Mandato sequenti: „ *Postquam Principi Mathiæ Archiduci* Fratri nostro, ad „ singularem ejus instantiam & petitionem, verbis & scriptis factam, ut in cunctis arduis ne„ gotiis, ab officio suo aliquando abesse possit, benevole concessimus, atque ne iterum, præ„ sertim hoc belli tempore, in rerum omnium administratione aliquid negligatur, cum Re„ verendissimo ac Serenissimo Principe Maximiliano Archiduce, Fratre similiter nostro, trans„ egimus: Eique in præsenti bellica expeditione contra Turcam suscepta, Supremi Gene„ ralatus in superiori ac inferiori Hungaria officium, cum omni bellica, ac Confiniorum „ cura, & administratione, pro currenti anno 1596. benigne contulimus. Proinde manda„ mus vobis, ut eum, pro Nostro tali Generali recognoscatis, obediatis, & ad Eum in ne„ cessitatibus vestris confugiatis: Et illius in Bellicis, aliisque negotiis, emanandis mandatis „ pareatis. Ex Arce Pragensi. Rudolphus. Joannes Kutassy Epp. Jaurinens. Cancell. m.p.

Veris initio, admittente Cæsare, & Bertuzzio Equite Rhodio, aliisque Dalmatis optantibus, ac perficientibus; Dominica Palmarum, cum *Ibrahimus* Clissiæ Præfectus, Nundinas ad Drilonem, contra *Uscocos* ac *Morlaccos* custodiret ex more, Segniensibus adjuvantibus, *Clissia* occupatur. Tercentis Captivis Segniam deportatis, & cum equis, & rebus, sub hasta per auctionem divenditis. *Lenkovichius* Supremus ibidem Præfectus, Præsidio, tercentos è Germanis Croatisque imponi jussit, ac eis, *Nicolaum* Tergestinum præfecit. Commeatu a Dalmatis vicinis obtento, & clam administrato, ne à Venetis, infidelitatis damnarentur. Sed Turcæ, collectis ultro citroque e Bosnia & Posegano agro viribus, *Apardo* Bosniæ Præfecto, Duce: Dalmatisque Venetæ factioni addictis, vehementer instantibus (quod à Ferdinandi Archiducis tricesimatoribus, ob frequentatos Zrinii portus offensi, justi-

justitiam non haberent, imo ultro offenderentur) & Cæsaris progressibus invidentibus; ac Turcas ad repetendam arcis possessionem, assidue incitantibus, Commeatum & res necessarias, pulveremque sulphureum Venetias suppeditaturas pollicentibus: Ad Calendas Junii, Arx undique, exercitu prope ad decem hominum millia, cingitur. Lenkovichius pressis consulit, collectisque iis, qui *Carolostadii*, *Segniæ*, *Otochacz*, *Brin* ac *Vinodoll*, cæterisque finitimis Oppidis, stipendia merebant: biremibus, aliisque navibus onerariis, cito conquisitis, ad succurendum properat. Suborto validiore Austro, biduo jactis anchoris ad *Rogosnicz am* villam moratur. Remittentibus ventis progreditur, vix dimidio miliari à *Tragurio* distans, descensione in continentem facta, pedester ad Clissiam maturat, ac sub vesperum diei alterius, *Sutiurciam* Archi-Episcopi Spalatensis arcem, ac inde Clissiam pervenit. Ac sine mora, in hostes acerrimo impetu irruit, eosque fugavit, victoria, castris, ac tormentis potitus. His diripiendis pro sua quisque libidine, dum intendunt, Turcæ ex editis montium cacuminibus, deprædationem Castrorum suorum observantes, pugnam restaurant. Nostrosque cædunt, capiunt, depellunt; & castra cum tormentis recuperant. Segnienses & Dalmatæ, quantum fieri in ea perturbatione & confusione potuit, fortiter dimicârunt, cæsique plures sunt: quos inter *Prosper Marchio Neapolitanus*. Captivi effecti sunt *Franciscus Barbo*, *Fridericus Saurer*, *Antonius Gini*, *Jacobus Mungezon*, *Felix Pezzen*, *Franciscus Giacomini* Tersactensis, duo item filii Andreæ *Paradeiser*, ac multi alii, claris Natalibus, & eximiæ virtutis juvenes. *Lenkovichius* ad Arcem vix aufugit, ubi biduum moratus, relictis in ea 300. militibus, Duce Mauritio *Alfieri*, ac 600. aquæ utribus, 36. equis pro esu; spe proximi succursus, nocte egrediens, versus Segniam iter suscepit. Cumque 600. prope, stipatus militibus, summo silentio recederet, in Turcas incidit, pugnatumque iterum magnis viribus. Sed prævaluêre hostes. Interfectis hac in pugna, Marco *Antonio de Dominis Segniensi Episcopo*, cum plurimis suis Sacerdotibus, qui Sacra Sclavonica vulgari Lingua absolvunt, vulgo *Glagolitis*. Andrea item, & Joanne Bassaniis fratribus. Vivi autem complures capti sunt, inter hos Georgius *Paradaiser* Segniæ Præfectus: Weichardus ab *Auspergh*, Andreæ ex fratre nepos: Joannes *Mordax*: Gabriel *Krisanich*, ac aliquot Centuriones Segniæ. *Lenkovich* cum tribus tantum fugæ Sociis, accepto vulnere è mediis hostibus elapsus, ac Michaele *Radich* viarum perito ductore, post varios & multiplices errores, *Segniam* pervenit. Præsidium his cognitis, desperato succursu, & fame sitique oppræssum, tandem his sub conditionibus se dedidit: *1mò* Omnibus, qui in arce erant, cum armis & sarcinis, liberum fore abitum. *2dò:* Omnes, qui utroque in certamine capti erant, sine precio dimittendos. Quod secundum, dum litteræ conficerentur, & juramento firmarentur, præstitum. Primum vero, confectis litteris, *Giacomini*, *Pezzen ac Mordax*, non dimissi, quia Turcæ, nocturna in acie cæsos, occubuisse jurabant: Nostri contra, quod decora forma adolescentes essent, occultatos retentosque scripsêre, & scriberent.

Sigismundus Herberstein, qui citeriores partes Sclavoniæ, limitesque tuebatur, bellique his in partibus supremus Moderator erat: cum mille e Stiria Equitibus, quos *Fridericus Schaffenburg* ductabat, Carnioliæ item, Carinthiæque militibus, Regni item copiis, quibus *Joannes Draskovich Banus* præerat, tria circiter millia peditum equitumque constituentibus, ad recuperandam *Kostaniczam*, Julio medio, progrediebatur. Petrinæ commoranti, a Lenkovichio, missus superstes a cladibus *Clissæ* miles, sub ductu Christophori *Obrucini*, sese conjunxit. Primo ad vallem *Vinodol*, quam, Moschenicza rivus præterfluit, ventum est; tum ad planiciem *Plavichevicza* vocatam, itum, dein Arx in monte sita, *Déd*, fugientibus Turcis occupata. Accurrerat Bosnæ Præfectus *Apardis*, fragore tormentorum *Banialucâ* excitatus; sed quia Bosnenses defendendæ Budæ causâ abiverant, exiguam suorum manum habuit. Itaque nostris flumen *Vunnæ* (olim Valdanum nuncupabatur) trajicientibus, *Apardis*, firmato ex illis, qui *Dubiczâ*, ac ex monte *Kozara*, tumultuarie confluxerant, præsidio; sese recipit, non sine quorundam suorum cæde. Tum a nostris oppidum *Kostanicza*, direptum concrematumque est. *Herberstanius* quoque, intellecto, *Achomathem* Eunuchum, cognomento *Aphisem*, cum ingentibus copiis *Kostaniczæ* appropinquare, quo venerat itinere, reversus est. Mense autem Septembri cum ingenti, ut dicebatur exercitu appulit Aphyses, *Petrinamque* gravi obsidione pressit, præsidio præpositis: *Daniele Francoli* cum 450. & Georgio *Breztovszky* cum 100. Sclavonicis militibus. Confluxerunt illico, qui nuper reversi fuerant, & ad Colapim castra locaverant. Desperantes autem ob exundationes fluviorum de transitu, admonitis Petrinæ Præsidibus, dum castra ad Siscium transferre volunt, locoque movent, Turcæ Colapim transgressi, nostros adoriuntur. Pugnatum acrius, hostesque fugati, cæsi, ac ad tria prope millia, aquis mersa sunt. Amissis vexillis aliquod, & duobus inusitati ponderis tormentis, quibus *Farhetis nomen*,

Arabi-

Arabicis litteris insculptum erat. Ad *Sisciam* Castrametantes nostri, ponte per Colapim confecto, versus *Drenchinam* iter direxêre. Ibique Speculatores Eunuchi, Equites cœciderunt, ac in fugam verterunt. Res hæc Turcis inopina accidit, quare visis nostrorum agminibus, *Aphyses*, qui jam antea tormenta & impedimenta præmiserat, cum suo peculiari famulitio, profugit. Ejus exemplo *Odaverdis* Bosniæ novus Præfectus; ac cæteri. Hac ratione eliberata Petrinæ obsidio est, & tormentis præfatis, in ea relictis, copiæ reductæ sunt.

Die 25. Septembris, in publico Statuum Conventu, definitum est: ut *Georgius Breztovszki*, & *Michael Ivanchich* vexilliffer, ob singularia servitia, durante proxime soluta obsidione, *Petrinæ* præstita, suæ Majestati commendentur. Ac ut sumatim denuo Laboratores tres, ad restaurandam Petrinam mittantur, cum Vice-Bani cura, & Vice-Comitum Zagrabiensium, Francisci *Medosoczi*, ac Casparis *Dobrinich*; quia Regni hujus permansio, a Petrina staret. Mitti autem validissimus exercitus, sub ductu *Zardar* Bassæ, ad illius expugnationem perhiberetur. Postremo huic statuto, Capitulum sese opposuit, suosque a laboribus eximi petiit, sed rejectum; Cæsarem appellavit. Qui, Pragâ 20. Decembris mandat: *ne durante hoc bello cogantur, aut suos alio mittant homines, imo ut alii Regnicolæ, alios suos Siscium mittant, pro Arcis illius fortificatione.* Præterea quamvis Diætalibus legibus, & anni hujus Art. 13. a condescensu Militum, Ecclesiasticorum Nobiliumque ædes, ac bona, immunia fuissent; Postquam milites Hungariæ legibus, se non stringi revelassent, verum mandatis, Supremi Ducis exercitus; Ideo exoratus a Capitulo Archidux Maximilianus, litteras de anno 1471. rationo immunitatis a descensu exercituantium confirmat. Rudolphus quoque in Arce Pragensi die 17. Novembris, per manus Joannis Kutassy electi Colocensis, ac Jaurinensis Episcopi, tales ratificat. Capitulique bona, a descensu militiæ, libera reddita sunt.

Obiit die 30. Junii, CASPAR ZTANKOVACHKY Zagrabiensis Episcopus, suæ Majestatis Consiliarius, & Regnorum Dalmatiæ, Croatiæ & Sclavoniæ Banus. Præter commemoratas supra memorias, nil ultro reperimus. Sed nec tempus adfuit, ut memorabilis quidpiam agere valuerit, nisi uti credere par est, sublevando miseros, totque a Turca oppressis, prospiciendo. Aut ab intestato decesserat; (uti credimus, quia testamenta Cleri, his temporibus, sine dispensatione Papæ, Episcoporum autem, absque Regis venia: perhibente istud, etiam Articulo 40. 1598. Anni, nulla fuêre) aut verò sub Capituli cura, res suæ esse debuerant; quia Græciô, VII. Decembris, a Ferdinando scribebatur ad Capitulum: *Dilecti* &c. *Petrinenses conqueruntur de peccunia commeatus, quem ex Cilea nequimus mittere. Intelleximus Episcopi isthic mortui, maximam frumenti copiam esse. Ideo requirimus vos benignè, ut Magistro Commeatus nostro, Stephano Auschero, mille quingentas quartas* (hoc est sex millia metretarum) *detis: pro quibus vobiscum componemus. Speramus id, cum hoc conservationi omnium, & vestrum, serviturum sit. In reliquo gratia nostra, vobis propensi sumus.*

A morte Episcopi Bani, Rudolphus Imperator quà Rex Hungariæ, Joanni Draskovich, Dignitatem Bani integrè attribuit, sine Socio. Confinia illi credit: de Petrina nil deliberat (confirmantibus utrumque, Art. Diætalibus 15. & 16. Anni 1597.) *Caspar Petrichevich*, servato Vice-Protonotarii officio, & Vice-Comitis Comitatus Varasdinensis, post resignationem Berislavichii, *Vice-Banus nominatur*, & denuo pro servando Regni & Bani Sigillo, juramentum deponit. Ad Comitatuum Sedes, pro Notario *Joannes Samsinoczi* eligitur. *Pro Regni* autem *Capitaneo*, valedicente Keglevichio, *Gregorius Petheo de Gerse*, cui promisso stipendio, commissum: ut Colapiana Confinia a Siscio ad Carolostadium perlustret, cum Commissariis a sua Majestate mittendis, quo clarius elucescat, impossibilitas defensionis, & Confiniorum provisionis, per ruinatum tot bellis Regnum, exiguosque Banales, & Regni milites.

Inde jam, a Comitum Cilleæ temporibus, quibus, illi Regiam in his Regnis Authoritatem usurpaverant, tolleratum fuerat: quod Bani in Regno, nec Judices habere possent, nec juri stare vellent, magna multorum ruina. Ideo Banus Joannes Draskovich, communem esse omnium Justitiam confessus, abusum hunc esse, agnovit, Banumque juri stare debere pronunciavit. Universis, præter tres Keglevich, approbantibus.

Eodem hoc Anno, monumentis attestantibus, Comes Sigismundus *ab Herberstein* Generalis Confiniorum, Varasdinensem Erdödii Arcem, imo Civitatem ipsam Varasdinensem occupavit; Vigiliasque ad portas Civitatis constituit, & portarum claves arripuit. Bona item Istvanffii, ac aliorum Nobilium cis Dravum, Capronczam usque. Quo factô, adeo perturbati fuêre omnium animi, ut supplicaretur Cæsari, ne talia tolleraret; si enim tributarii esse noluerunt Turcis, sed in exteras oras quam plurimi concesserunt, mirum videri nequa-

nequaquam poterit, si nec hæc subjectio tolleretur. *Thomas Erdöedius* suo, uxorisque Ungnadianæ nomine, quosvis ab occupatione & detentione *Lettovanich* inhibuit. Nicolaus quoque *Megiurechky*, ex Collatione Regia, jus se habere in Lettovanich dicens. Combinanda hæc cum Art. 27. Anni 1597. in Conclusione non confirmati.

Memorias Virorum, supra jam attigimus, & in subsequente daturi Episcopo. Cæterum Orationes præmissas: *Georgii Czvetinovich* Siscіensis, Viennæ Austriæ apud *Leonardum Formica* in bursa agni, 1590. excusas, *In felicem inaugurationem, & Confirmationem Reverendissimi atque Amplissimi D. D. Casparis Ztankovachky Episcopi Zagrabiensis, & Sacræ Cæsareæ Regiæque Majestatis Consiliarii, quam auspice DEO, 8. Julii Anni 1590. in sua Sede Episcopali, Zagrabiæ peregit.* Prouti etiam scriptam *Mathiæ Czehovich* Sisciensis, *in celeberrimum Consecrationis actum Casparis Ztankovachky, Episcopi Almæ Ecclesiæ Zagrabiensis, & suæ Majestatis Consiliarii*, haberemus: sed utraque, tanti momenti non est, ut denuò, aut primùm Typis, dentur. Quare Orationibus omissis; Versus *Mathiæ Czehovich*, conscriptos; ac ad nos devenientes, adjungimus.

In stemma Casparis Ztankovachky, Antistitis Zagrabiensis, Mathias Czehovich Sisciensis.

Ztankovium cervus, Ramosaque cornua cervi,
Tres fluvii, geminæ nobilitantque rosæ.
Alta petit cervus, scanditque cacumina montis;
Culmina virtutum Caspar & ipse petit.
Cornibus ut terret cervus, pellitque minaces
Hostes, quò, tutus pabula carpat humi.
Dogma Lutheranæ Sectæ, rabiemque luporum
Sic fortis pellit, Caspar ab æde sacra,
E fluviis, primus miseros rigat; alter amantes
Virtutem. Extremus diluit omne nefas.
An non hæc magnum spirant virtutis odorem?
Hujus, sunt positæ, Symbola vera, rosæ.
Quarum, dum rutilas superat fragrantia, sedes,
Ztankovio mittit, mox DEUS ipse, mitram.

Ejusdem aliud Die Introductionis, ad Sedem.

Quam sibi connubio jungi, Sponsamque dicari.
Hactenus Antistes summo flagrabat amore.
Hæc, postquam sese nimium cognovit amari:
Talia voce refert, quoniam terrestre fugisti
Connubium, cupiens è Cœlo ducere Sponsam,
Me, tibi connubio stabili, sacróque dicabo,
Omnes ut mecum meritis pro talibus annos
Vivas: te faciam Procerum Patriæque Parentem.
Igitur ipsa DEum petit: ad sua vota movendum,
Rex ut Rudolphus, mitra sacraque Tiara
Nominet ornandum, Sixto cognomine Quinto,
Vixque preces factæ. DEus audit, nominat atque
Ztankovium Cæsar. Confirmat Sixtus & ipse,
Præsulis ut munus subeat, Christique Ministros,
Christicolasque pios, sancta virtute gubernet.
Imponit Capiti Mitram, sacramque Tiaram.
Hoc tam multiplici postquam se munere vidit
Ornatum Caspar, tensis ad sydera palmis
Antistes lætus, voces prorumpit in istas:
Sit Nomen Domini Benedictum, tempus in omne.

Accla-

Acclamant pariter, Canonum qui jure tenentur,
Zagrabiense decus, feliciter atque beatè
Ad multos Annos vivas; salvusque gubernes,
Illyricum populum, belli virtute superbum,
Ferventemque: sacrâ, foveas, pietate precamur.
Acclamat populus, vivat per sæcula cuncta.
Acclamant læti, pueri juvenésque senesque
Ad multos Annos. Præsul dignissime vive
Tandem consurgunt omnes, & Præsul in aulam
Ducitur, à celebri Patrumque virumque corona.
Exultant, gaudent, gestuque & voce triumphant,
Præsulis eximii, famuli, cunctique Clientes.
Patria Tutori applaudit, Respublica Civi
Hic genus, ille graves mores, facilem iste celebrat
In miseros animum, juvat omnes gratia linguæ,
Quà sævos regit ille animos, & pectora mulcet:
Quà pectus, viresque novas languentibus addit.
Ex atavis, proavis, clarisque parentibus ortus,
Omnis in hoc Uno, probitas, pietasque refulget.
Omnis in hoc Uno, splendet virtutis imago.
Omnis in hoc Uno, regnat patientia rara.
Nil humile, angustumque animo, sed maxima versat,
Integer, Innocuus, vicio securus ab omni.
Æthereumque colit, magna pietate tonantem;
Justitiæ cultor, veræ pietatis amator,
Et memor ut par est fraterni semper amoris;
Et tutum miseris sese demonstrat asylum,
Atque juvat variis Patriam rationibus, Urbem
Regnaque terna colit, felicis & otia pacis.
Omnis in hoc Uno, virtus regnatque vigetque,
Sobrietas, pietas, prudentia, veraque fides,
Relligioque timorque DEI, & sapientia clara,
Cognitioque sui, bonitas, dilectio, fratris,
Spes, mansuetudo, devotio, mentis honestas,
Pax, odium sceleris, meditatio mortis acerbæ,
Contemptus, mundique suique. Scientia magna.
Ergo diu felix, sacræ tutela cohortis
Vive, vale superis, nobisque tibique per ævum.

A morte Episcopi, ultra annum vacabat Sedes. Quo tempore *memorabiliora eruimus* sequentia. *1mo.* Ad diætam electos fuisse Nuncios, *Franciscum Ergelium* sive Ergelszky, Archidiaconum Bexin, cum Caspare Petrichevich. Quibus impositum, ut in omnibus, per Regnum Hungariæ proponendis, sint pacis amatores; cordique bonum publicum habeant. Ut procurent restantiam illorum decem mille floren. Hungar. in defensionem Regni hujus ordinatam, plenariè exolvi. Ut occupatum Varasdinum, & villas *Petriancz*, *Zablatje*, *Ujfalù*, per Generalem Herberstein exponant; remediumque orent. *2do.* Nomine Archiducis Ferdinandi, Wilhelmum à Windisgratz ad Status Sclavoniæ 1597. comparuisse, rogâsseque Status; de erigendo novo fortalitio è regione Petrinæ, *Huszarvar* vocando. Cujus, cis Colapim, infra pontem aggeres erectos fuisse, vestigia docent. Ad hujus præsidii erectionem, Laboratores ordinati fuêre. Statimque pedites ac Equites collocati, & continuo intertenendi decernuntur. Constitutum quoque, conduci debere de novo pedites 500. Equites vero 50: qui defensioni Colapis invigilent, sub ductu & dispositione *Joannis Ratkay*. *Berkissevina & Szredichko*, denuo Regni impensis, & laboratoribus ædificata. *3tio. Ivani-*

chium negligentia militis combustum, & Civitatem *Crisium* conflagrasse, notatum comperimus. Ad Ivinichii restaurationem, concurrit Regnum. Civitas quoque Crisiensis, neglectas Cameræ taxas persolvere recusans, ut per Vice-Banum compellatur, disponebatur. *4to.* Nobiles: Joannes *Voikffy*, veteranus Suæ Majestatis Servitor, & *Vukmer* Vaivoda Siscienfis, capto Sziscio, captivi 1593. effecti, pro captivo alio Turcico Suæ Majestati commendabantur; Cambiò ut, eliberari valeant. Valedicenti *Govorkovich*, succedit in Nobilium Judicis officio, Bernardus *Szverchich.* *5to.* In regalibus litteris, pro Diæta Anni 1598. ad Status Sclavoniæ datis, exprimitur: *Ad Diætam Regni Hungariæ, de Partibus quoque ei adjunctis* (non verò uti antea, subjectis: quamvis tam in Præfatione, quam & conclusione Articulorum Anni 1598. *& Partium ei subjectarum*, legatur) vocandos *pro recepto more duximus &c.* *6to.* Exactores fuisse: *Restantiarum victualium*, Mathiam *Zlobochini*, Arcis Zagrabiensis Castellanum; *Contributionis ad Milites*, Franciscum Ergelium Archidiaconum Bexin, *Fumalium verò*, Nicolaum Kollarich, Comitatus Varasdinensis Notarium.

Draskovich Banus, cum Banalibus Copiis, ac Joanne Ratkay, nec non cum Generali Herberstein, *Veroczam* sive *Veroviticzam* obsidione, sed in vanum, premunt. Quare nostris redeuntibus, *Herberstein* oppidum *Slatina*, (magno Regnicolarum damno, quæ ex stipendiis militum subtrahi & persolvi, jussu Cæsaris oportuit) depopulatus est; Gentique Rascianæ, vulgo Valachis consuluit, dum eos, ex captivitate Turcica, ad desolatas Regni partes, in Comitatu Crisiensi sitas, adduxit: primusque locavit. Confirmante postea Rudolpho, & privilegiis gentem hanc donante. *Itaque Annus iste 1597. Rascianæ Gentis, in Generalatu hodie dicto Varasdinensi, Herbersteinio Authore, annus Nativitatis est.*

LIV.
NICOLAUS III. ZELNICZEY
aliter STEPANICH.

Fuisse Nobilem hanc familiam, non solum gesta per eos publica officia; verum & Armalium confirmatio, in anno 1578. in Arce Regia Pragensi die 29. mensis Septembris facta, atque a me, in vero Autographo visa, & examinata, perhibet. Ex hac didicimus: Nicolao huic, quatuor fuisse fratres, videlicet Michaelem, Paulum, Joannem, Petrum. *Zelniczey, aliter Stepanich de Konschina*, in his litteris exprimuntur. Sane ex Diplomatibus & monumentis luculentum est, olim: ut fratrum singulus hæredes obtinens, propriam constituisset, effecissetque domum atque familiam, sic agnomen etiam novum, sive a Bonis, sive facto quopiam, sive virtute, aut defectu, sortiri fuisse solitum, ut Blagai, Sluny, Tersachki, Zabok, Sztubiczay &c. a Bonis, sic sunt post divisiones appellati. *Vragovich* a Nigredine, *Poklechki* a gibo &c. Ad servandam nihilominus originis memoriam, avitamque originem, addi antiquitus solebat, *de generatione Bor*, *Tecsni*, *Prodanorum*, *Septhe*, *Krecs*, &c. prouti nempe, familiæ cujuspiam fuissent hæredes. Qui Ecclesiasticum profitebantur Statum, ad testandum: semet renunciasse sæculo, & mortuos inter censeri, vacareve Divinis tantum, cujuspiam Servi DEI, assumpto nomine, per tale nomen indicabantur, ut Catalogi veterum Episcoporum evincerent, quos nunc, sine metu erroris, familiis propriis attribuere non valemus. Successivè mutatus mos vetus est, atque loco, *de generatione*, assumptum *aliter*, ut tot aliis omissis, videre est in hoc Episcopo, qui *Zelniczey aliter Stepanich*, exprimitur. Est Stepanichiorum, in Nobili Communitate Turopoliensi, a Bela IV. Rege ornata Privilegiis, Nobilis atque vetusta, inde ab ipso Bela, familia. Zelniczejos, ex eadem descendere, suadet illud: *aliter Stepanich.* At successive fratrum aliquo, Konschinam sese transferente, unde *Zelniczeii de Konschina* dicti sint? doceri nequit. *Colomanus Rex Ruthenorum*, & *Dux totius Sclavoniæ* (in Autographo, instrumentum hoc habuimus) per manus Magistri *Farcasi* Aulæ suæ Cancellarii, & Egrensis Præpositi, Anno ab Incarnatione Domini 1232. terram *Konzka*, in Regno Sclavoniæ ut ait sitam, nunc *Konschina* vocatam, cuidam *Dragan & Dragvech* contulerat, fors Stepanichiorum quispiam, portionem isthic obtinens, Zelniczey de Konschina fuit vocatus. At omissis his conjecturis. *Nicolaus* obtento Zagrabiensi Canonicatu, Bononiæ studuit, uti Collegii illius *album* perhiberet, fuit Archidiaconus Bexin, Capituli Lector, tum Præpositus. Sæpe ad Cæsarem, Archiduces, Diætas, aut Regni Sclavoniæ, aut Capituli, vel Ecclesiæ Orator & Nuncius. Ab anno 1595. titulo, Episcopus etiam QuinqueEcclesiensis, ob annatas, haud consecratus.

Mor-

Mortuo Episcopo antecessore, rivales fortes habuit; *Simonem* nempe *Bratulich*, Sirmiensem titulo Episcopum, & Eremitarum Pauli primi Eremitæ, Priorem Generalem: *Nicolaum Mikocs*, passim vocatum *Mikaczium*, Tinniniensem Episcopum, suæ Majestatis Consiliarium, & Chasmensem Præpositum. *Blasium Giurak* ex Sisciensi obsidione meritum. Hic, Regni commendatione fulciebatur, Mikaczius Archiducis Maximiliani, Herbersteiniana Zelniczey. Adversus Mikaczium, nomine publico excipiebatur, quod esset vehementior, & admodum suspiciosus, humili præterea loco natus, quin per Apostolicum Nuncium, eatenus interpellatum, in perduris temporum vicissitudinibus, ne adversus vota Statuum, Mikaczius ad Zagrabiensem elevetur Sedem, actum fuisse notatur. Profectò, sive ad promerendas Cæsaris gratias; sive vindictæ studio, anno sequente 1597. Varasdinum per Generalem Herberstein fuit occupatum, Mikaczy consilio atque industria; ut dehinc patuit luculenter, habeturque notatum in actis. Rudolphus nominare supersedit, vacabatque biennio prope Sedes. Tandem Mikaczio, Magno Varadinensi Episcopo, anno 1598. declarato, *Blasio* autem *Giurak* Nobilitate donato, & EcclesiæZagrabiensis Cantore haud pridem facto; *Nicolaus Zelniczey* evoluto Mense Majo 1598. in Zagrabiensem Episcopum nominatur. Quod ante Junium, Zagrabiæ Episcopi titulis caruerit, patet ex revisione Lamentorum, per subditos Abbatiæ Pornensis, contra Joannem Vidovich Can. Zag. & Præfectum Abbatiæ, exhibitorum; ubi Electum QuinqueEcclesiensem, & Zagrabiensem Præpositum sese subscripsit. Ex instrumento hoc, est colligere: Ecclesiasticorum bonorum subditos, hac Epocha, sub protectione Cameræ stetisse, atque ab hac, prægravii & oppræssionis causas, fuisse judicatas. Mense autem Junio, fuisse electum Zagrabiensem, evincit contractus sequens, *Varasdini Feria III. proxima, post Festum Sanctissimæ & Individuæ Trinitatis Anno Domini 1598.*

„ Nos Joannes Rukely Judex, cæterique jurati, ac Universitas Civium, liberæ Regiæ „ Civitatis Varasdinensis, Memoriæ commendamus per præsentes Significantes, quibus ex„ pedit Universis. Quod Nos habito multiplici tractatu, cum Reverendissimo Domino Ni„ colao Zelniczey, *electo Episcopo Almæ Ecclesiæ Zagrabiensis*, & Sacrmæ Cæ„ sareæ Regiæque Majestatis Consiliario, ratione arendæ Decimarum; tam à Bonis Civita„ tis nostræ, quam verò ipsa Civitate nostra Varasdinensi, ad sustentationem mensæ, Ejus„ dem Domini Episcopi & Prælati, Episcopalis, cedentium & provenire debentium, talem „ fecimus & inivimus transactionem. Quod Nos singulis futuris annis, Eidem Domino E„ piscopo & Prælato, à dictis Bonis & Civitate nostra, in Festo Beati Georgii Militis & „ Martyris, proximè affuturis, jam vero præterito, medio certorum Concivium nostrorum, „ Hungaricales florenos quinquaginta, dare & persolvere debebimus, & erimus obligati. Ta„ li obligamine interposito, quod si nos dictos florenos quinquaginta, in præfixo termino, „ singulis annis, Eidem Domino Episcopo & Prælato admimistrare & persolvere non curare„ mus, ex tunc in persolutione dupli simus convicti. In cujus rei fidem & testimonium, præ„ sentes litteras nostras transactionales, Sigilo Civitatis præscriptæ Varasdinensis Minori „ authentico consignatas, & Chirographo jurati Notarii nostri subscriptas, Eidem Domino „ Episcopo, & Prælato, dandas duximus & concedendas. Datum Varasdini *ut supra.* Ni„ colaus litteratus Kollarich juratus Notarius M.P.

Ad Sedem suam, ante annum 1601. sive Zagrabiam non appulit. Causa moræ præcipua fuit, epidemia a mense Septembri inclusive, anni 1598. biennio integro Zagrabiam premens, clade magna mortalium, ut Acta publica ejus temporis testarentur. Diuturnitatem morbi, veteres, negligentiæ attribuunt, dum cavere, a conversationibus mutuis noluissent. Origo morbi ignota, nec comperi qui de tali scripsisset. Accessit ad hæc, Zelniczey Episcopi, in persolvendis Annatis mora, rectius dixero obstinatio. Majorem fuisse quæstionem MSS. testantur, ac ipsius Zelniczey adversaria. Cancellaria Romana, in obsequium Apostolicæ Sedis, leve quid, exolvi petiit. At Electo Episcopo visum; suo exemplo, haud posse præjudicare Hungariæ. Ventum ad graviores repræsentationes. Episcopus probavit, e Sacris Canonibus, esse Metropolitanis proprium, Episcopos Suffraganeos consecrare. Morem hunc, ab origine Ecclesiæ fuisse, ac præsertim Hungaricæ, in qua, Episcoporum investituras Reges habuère; consecrandi munus, Metropolitani. Ac esto in hac disciplina, exempla subsecuta sint varia, haud attamen unquam, fixus stabilisque usus obtinuisset, ut Roma petatur consecratio, aut pro tali annatæ dependantur. Illi, qui Romana de venia, ab aliis, quam Metropolita suo, per *dispensationem quasi* consecrati fuère, vel fecerunt ob causam aliquam politicam, ut *Eberhardus* Zagrabiensis Episcopus, quod ob affinitatem cum Sigismundo Rege, Archi-Episcopo censeretur illustrior; vel quia debitam subordinationem deprecarentur, dum se, Sedis Apostolicæ esse Episcopos, tueri poterant. Dum ergo, nec de jure, nec ex usu, a se postulari hæc possent, a Metropolitano suo, consecrari urgebat, potissi-

tissimum quia, ad preces Regni Hungariæ 1550.(fidem faciente articulo 15.) Romam Orator Paulus de Gregorianczi Eppiscopus tunc Zagrabiensis missus, breve attulisset, Hungariæ Episcopos, a Metropolitanis consecrari posse, (Marcelli Papæ I. Breve est) esseque liberum, sive a Metropolitano, sive Romà consecrationem petere. Post quod Breve Apostolicum, vix vel facta Romæ insinuatione, à Metropolitanis suis, aut Primate Episcopi consecrabantur.

Cordi fuere Nuntio: tam *Zelniczey* electi Episcopi, quæstio, quam res ipsa. Hinc prætendere visus est, Zagrabiensem præcipue Episcopum, scitu & indultu Romanæ Curiæ, consecrari debere. *1mo.* Quod is, Croatiæ censeatur Episcopus; Regnum autem illud, a Demetrio Zvonimiro, Gregorio VII. in clientelam perpetuam fuisset traditum, & tributarium Romanæ Sedi. *2do.* Quia Zagr. Episcopi, a Papà plures, nominati fuissent, ut B. Augustinus Ord. Prædicat. Timothæus, Ladislaus. Omnes autem, Roma consecrationem petierint. *3tio.* Clarum esse, distinctam haberi considerationem Croatiæ ab Hungaria, & ubi in legibus, lex ad Sclavoniam Croatiamque, nominetenus extensa non est, talem isthic nec obligare Croatas. Hinc dum Art. 15. 1550. unice ad Hungariam restrictus esset, Zagrabiensem Episcopum, Breve illud, pro tempore datum, vel potius coactum, sibi applicare non posse. Clarum porro esse, ex anteriore articulo, ad Apostolicam Sedem, Episcoporum etiam Hungariæ confirmationem pertinere: hujusque Cancellariæ, annatas deberi, legere enim est Art. 14. *quæ olim Annatæ pro hujusmodi confirmationibus in urbe pendi solitæ erant.* Hortatur ergo Episcopum, ut Apostolicæ Sedi supplicet, quæ inopiam Ecclesiæ Zagrabiensis perspectam habens, pro levi summa, Bullas confirmationis, gratiose largietur. Secus si censuris, aliisque remediis processerit, & reducendi ad officium, filii sui, curam arripuerit, sibi, non Matri Ecclesiæ, adscribat.

Responsoriæ Episcopi Zagrabiensis Elec. Nicol. Zelniczey, ad Nuntii Apostol. Sedis, litteras, & repræsentationem.

„ Illustrissime &c. Me Apostolicæ Sacrosanctæ Sedis, devotissimum fuisse, atque nunc esse filium; si Bononiæ hausta educatio non sufficit, transacta hactenus vita, absque ruga vel macula, negatæ usquam Sacræ Sedi obedientiæ, hujusque, promovendi respectus, zelus, testari debet. Nolo hic, studia connatusque meos extendere, quos, in obsequium Christianæ fidei, quà Archidiaconus Bexin, ad reducendas errantes oves, pro præstanda Sedi Apostolicæ obedientia, exantlavi. Sunt labores mei publici, librorum vulgari lingua editorum, adversus Romanæ Ecclesiæ dogmata, ut putatur Andreæ Dudich industria Scriptorum, atque Varasdini, & per Insulam, a Ministris prædicatorum, quam molesta extiterit refutatio, descriptione mea opus non est, dum nescire debet sinistra, quod fit per dexteram. Apostolicam Sedem, à Romana Curia, pii doctive Theologi distinguunt. Illa fundamentum habet, a Christo per Apostolos; *Curia* autem, a Nicæno Concilio, quo, Patriarchatus Romanæ etiam Ecclesiæ, est attributus. Ad Curiam cognoscere causas pertinet. Neque ego causam hanc, quæ nos intra vertitur, suæ Sanctitatis judicio, *pro legum tamen nostrarum modo*, subtraho, firmiter credens: Sanctitatem Suam, Petri esse Successorem, hinc in ferenda sententia, Petri futurum Imitatorem, qui sententionavit: *peccunia tua, sit ad perditionem.* Negotium itaque totum, cum Cancellaria Romana est. Hæc vero, nec Sedes est Apostolica, nec Romana Curia, at in veritate, nunc Camera Papæ ut Principis. Benedicti XII. Bulla, *ad regimen*, quà: *ad terras Ecclesiæ Romanæ*, Joannis XXII. (quem, alii Cancellariæ Auctorem; alii Amplificatorem fuisse scriberent) constitutio pertinere declaratur; testis rei hujus est. Cancellarius olim, is Romæ nuncupabatur, qui synodicis consultationibus respondebat, ut Hieronymi doceret Epistola. Sed post aucta Romæ officia, post reservationes multiplices, Cancellario attributas, pars Cameræ præcipua evasit. Sæculo IV. inventas, Episcoporum Ordinationes, *pro redituum modo*, scribit Cassiodorus. Ephesinum, Chalcedonense item Concilium vetat: dari quidpiam, sive ante ordinationis tempus, sive postea. Scio palliari hanc avaritiam, tam Levitarum exemplo, qui Sedecimam Summo Sacerdoti solvebant; quam etiam deductionibus aliis. At Gregorius apud Gratianum ait: *Antiquam Patrum regulam sequens, nihil unquam de ordinationibus, accipiendum esse, constituo.* Subjungendo: *quia enim, ordinando Episcopo, Pontifex manum imponit; Evangelicam Lectionem Minister legit, confirmationis autem epistolam Notarius scribit; sicut Pontificem non decet manum, quam imponit vendere, ita Minister vel Notarius, non debet, in ordinatione Ejus, suam vocem vel calamum, venundare*; provocans ad illud

Chri-

„ Christi: *gratis accepistis, gratis date.* Zacharias quoque Pontifex, Annatas, ut hæ„ resim Simoniacam rejecit. Benedictus VII. cujus temporibus, uti nostri volunt, & Reg„ num, & Christiana Hungaria, effecta est, in Romano Concilio Annatas sustulit, *quicum„ que*, inquiens: *pro ordinatione aliquid dederit, sciat se, non esse connumeratum in„ ter Discipulos Domini, & Salvatoris nostri, JESU Christi, sed intra damnatos; „ eosque, qui dixerunt DEO: recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus.* „ Abusus iste, in Viennensi quoque Concilio, damnatus est, cui, Prædecessor noster B. Au„ gustinus Episc. Zagr. interfuit. In Concilio æque Constantiensi, ac Basileensi Sess. 12; ut „ me, Episcopalem ordinationem solvere non conveniat, ne pœnam DEI incurrisse videar, „ vel negata DEI gratia, peream; vel nunc, populantibus Turcis Hungariam & Sclavoni„ am, ut olim Hierosolymæ, deplorante Gregorio, in pœnam tanti sceleris, Regna hæc, „ sub Turcicam cadant potestatem. Tanti ut reus evadam criminis, Apostolica spero Se„ des, non exiget; nec, ut ego, damnatas per Ecclesiam annatas, reducere debeam, coget.

Annatarum justitiam, Illma DV. Art. 14. 1550. salvare nititur. Verum Annatas, o„ lim pro confirmatione solutas fuisse, non nego: Legitimè solutas non fuisse, doceo: si e„ nim legitimè fuissent solutæ, quid erat? ut per Constantiense & Basileense Concilium tol„ lantur; ut accusetur Joannes XXIII. per Clerum Ungariæ etiam (extant eatenus litteræ) „ deponaturque. Privilegia plura, Romanis Pontificibus, a Regibus nostris data, ex ar„ chivis, vidimus; nusquam tamen, vel compertum, vel memoratum, de persolvendis an„ natis est. Persolvendarum Ecclesiis nostris, Decimarum; innumera sunt Regum nostro„ rum Privilegia, Rescripta, Mandata; Processus tot, coram deputatis Romanæ Curiæ, „ aut Ejusdem Nuntiis, sententiæ multæ; Annatarum attamen, in occasione talismodi, „ nunquam per Romanos Judices, inserta est mentio, minus obligatio. Sed nec promana„ visse, cum Catholica disciplina in Hungariam dici potest, dum sub Benedicto VII. Anna„ tas in usu non fuisse, constat, quo tempore, Hungaria Catholicam fidem, ac disciplinam „ suscepit. Litteris est proditum, quam fuerit studiosa Cancellaria Romana, sub Joanne „ Corvino Gubernatore, de aquirendis Annatis? quam solicitus Gubernator, de Episcopis. „ Accidit facile, ut ambitiosi, & mundana in Episcopatibus sitientes, per annatarum, vel „ intronisationis solutionem, sacram Ordinationem emerint: Sed videre est, in Basilicarum „ memoriis & regestris, Legibus imo ipsis, Simonianos illos, modos quosvis, rehabendi æ„ ris illius quæsivisse. Opprimebant Ecclesiarum populum, datasque ab Episcopo Anna„ tas, plebs misera exolvere, & Dominum atque Episcopum emere cogebatur: à cadaveri„ bus interfectorum exigebantur pecuniæ, Cathedratica augebantur; ad Synodum accessus, „ a Parochis solvebatur, ut persæpe plures, Laicorum patrocinia implorare debuerint; spo„ liabantur templa & Altaria, in pia legata involabatur, demortuorum e Clero rapieban„ tur facultates ab Episcopis, & ab horum exemplo; a plebe. Bona Ecclesiarum aut ven„ debantur, aut in pignus obligabantur, quæ ex Decretorum libro, & articulis clara sunt. „ Episcopi de Camera sua, magis fuère soliciti, ac de templis; hinc etiam *Fiscales Eccle„ siarum*, lege vetiti sunt. Nec fateri vereor, majorem fuisse Clero, congregandarum pec„ cuniarum, quam virtutum, animarumque curam, ut cognita tantorum, & tot malorum „ causa, illi, qui DEO placere quærebant, consecrationis curam omittentes, nihilominus „ Episcopatibus fruentes, articulo 14. 1550; expræssam, Ministrorum Ecclesiæ DEI, ra„ ritatem causarint; ut hinc pravis Dogmatibus aditus, omnino patuerit. Apostolico Ze„ lo, causam tanti mali, evertere studuit Marcellus, & ad disciplinam, Orthodoxæ Eccle„ siæ, Episcoporum Hungariæ consecrationem, sive ordinationem restituit. Neque dehinc, „ Episcoporum quempiam, annatas solvisse, vel auditum est. Nec ego reponere illas, ea„ rumque effectus resuscitare, & reducere volo. Exigua prædia, per Turcas necdum oc„ cupata, Ecclesiæ Zagrabiensis, Regum pia liberalitate, sunt; censerique *inter Castrensia* „ debent: gaudere porro, Mater Romana Ecclesia debet, quod filiæ avitas portiones non „ repetant; quodve è *suis Castrensibus* vivant; nec justè potest exigere, ut benevolam „ conjunctionem, Ejusdemque honoris atque potestatis extendendæ, studium, cæteræ Ec„ clesiæ, sibi per Annatas exolvant. Scribit etiam Illustrissima D. V. Zagrabiensem Ec„ clesiam, Hungaricas inter, censeri non posse, quia 15. 1550. non compræhenderetur: „ Croatiæ Regnum tributarium esse Romanæ Sedi; & ab hac, Zagrabiensem Ecclesiam, „ provisam olim exitisse Episcopis. Parco lubens Illmæ D.V. ut rerum nostrarum ignaro. Aliud „ Sclavonia, aliud Croatia est. *Cettina* fluentum, utramque dividit, Andreæ II. Belæ „ IV. Sigismundi, Mathiæ, verissimis monumentis testantibus. Zagrabiam in Sclavonia „ esse, nemo dubitat. Hæc, Cronicis nostris testantibus, ante Geysam, Ungariæ se conjun„ xit, ut antiquæ Pannoniæ vera pars & membrum, vocaturque Ducatus Hungariæ. A

„ Stephano S. pars ad occidentem, meridiemque versa, Cresimiro, Regi Croatiæ cessa fue-
„ rat, sed ab Andrea I. recuperata, iterum cum Sorore Ladislai I. obtigit Demetrio Svini-
„ mir nominato. Ab hujus, Sororisque Ladislai morte, ut dos data, redire debens recep-
„ ta, perpetuo cum Hungaria permanet conjuncta; est enim utraque, Pannonia vetus. In
„ hac Ladislaus Episcopatum Zagrabiensem, propria auctoritate constituit, dotavit *Dom-*
„ *bra*, & *Siscio*, Successores Reges, aliis; ut non videam, qua ratione a Pannonia sive
„ Hungaria modo, avelli valeat? eccur ab articulo XV. 1550. excludi? dum attamen Ec-
„ clesiæ hujus Episcopus *Paulus Gregorianczius*, egit Oratorem. Hanc Sclavoniæ superio-
„ ris partem, pro Croatia hodie accipi, scio. Sed opinio, ac error vulgaris, jus nullius
„ convellit, postquam ex monumentis liquet, illud, quod in se verum, justumque est. Con-
„ dendorum Statutorum potestas Sclavoniam ab Hungaria non separat, secus Comitatus e-
„ tiam Hungariæ, ab Hungaria forent avulsi; & ob Synodus Ecclesiarum particularium,
„ concludi deberet recessus, a Primatiali, quin & Universali Ecclesia. Tandem constituatur
„ in Croatia ipsa, Zagrabiensis Ecclesia. Profecto a Gregorio VII. datum fuisse Demetrio
„ Regnum, Scriptores nostri ignorant; nec Platina hoc recenset, aut mentionem injiceret;
„ neque Frangepani, ut in suis haberent archivis, Roma profugi, quod Cincius, rectius
„ Quintius Frangepanes, *Gelasium Papam* e monasterio extractum, contritum calcibus,
„ conjecisset in vincula, se in Croatiam conferendo, (quia nempe Papæ obnoxiam & tribu-
„ tariam) tuti fuissent. Præterea *Lambert Schapnab.* Demetrium ab Henrico, Dignita-
„ tem Regalem petiisse, recenset. Græci, longe prius, Dalmatiam Romani Imperii Sagum
„ excussisse, evasisseque populum liberum, ac sub Rege proprio *Bolchano* audace ac stre-
„ nuo viro, eosdem vivere, scribunt. Sed demus etiam, Demetrium a Gregorio VII. ob-
„ tinuisse coronam, hanc emisse, tributorum annuorum pactis, adhuc tamen obligasse Ec-
„ clesias ad annatas exolvendas, probari debet. Verum tametsi has pactus fuisset, dum Za-
„ grabiensis Ecclesia Demetrio est posterior, pactis iis compræhendi non potuit, tanquam
„ a S. Ladislao, Hungariæ Rege, successu temporis fundata. Hic anteriores sanare cupiens
„ turbas, Croatiam & Sclavoniam Regnum declaravit, *Almumque* in his constituit primum
„ Regem. Timothæum, B. Augustinum, Ladislaum, per provisionem Sedis Apostolicæ,
„ fuisse Zagrabienses Episcopos, Ecclesiæ hujus monumenta affirmant, haud tamen Anna-
„ tas ab his solutas fuisse commemorant. Proinde ut ego, sublati abusus evadam auriga &
„ reductor, adduci non possum. Sed nec annatarum orare relaxationes, ne rem, tot con-
„ ciliis damnatam, probare videar. Supplicare autem pro Consecratione, si Primas, & Me-
„ tropolitanus in contrarium nil habent, Sedi Apostolicæ, ut Matri meæ, filius obediens,
„ lubens volo. Neque enim me vel tentatum aliquando reminiscor: ut Sedi Apostolicæ
„ non obediam, vel ut ab ejus secedam complexu. Quare, quia tantum, cum Romana
„ Cancellaria negotium esset, dubitare, prope insanire esset, de SSmi Dni nostri Clementis
„ justitia, præcipue dum Sua Sanctitas cognoverit: Ecclesiam, ad quam, DEO disponente,
„ Augustissimi Cæsaris & Regis mei clementia, vocor; *de terris Romanæ Ecclesiæ* non es-
„ se; neque agi de Fide Divina, aut hujus Articulis, verum contra Bulam Cœnæ, de ære.
„ Mea interim Illmæ DVræ perpetua servitia devovendo, Emaneo. Varasdini 1599. sex-
„ ta Maji.

Epistolam præmissam, diligentiæ Raphaelis Levakovich debeo, qui eam descripsit, ac in sua adversaria sub *Benedicto Vinkovich* retulit. *Georgius Marcellevich* an eam legerit? ignoramus, meminit nihilominus istius, notando: *Responsum Episcopi Nicolai Zelniczey, Nuntio datum, dum Episcopum ad annatas stringeret, quas fors a sæculo, non exolvebant Episcopi, in Cæsaris consilio & Aula, fecit dissensiones. Pars sanior, mori esse inhærendum, neq reducendos abusus censebat; pars altera, quod Clemens sublevaret milite Cæsarem, peccuniis quoque, relinquendam esse Cæsari quæstionem. Quare conclusum, ut annatæ ad beneplacitum Episcoporum relinquantur, posse autem Episcopos, adurgente ista Nuntio, Româ etiam consecrationem petere, atque inde ordinatio Episcopalis obtineri ac committi.* Resolutio hæc, postea plures habuit difficultates, ut suis locis insinuabimus. *Zelniczey* sine annatarum persolutione (forsitan *Francisci Aldobrandini* agnati Pontificis precibus, Varasdini ut infra mortui, ob exhibita *Francisco*, per Episcopum & Capitulum obsequia) anno 1601. Dominica III. Adventus primum, ordinatus consecratusque Episcopus. Et Zagrabiam veniens, Capitulari Vicario Stephano Budoczi Capituli Lectore, ac Juris utriusque Doctore; ab officio Vicariali relevato, Franciscum Erghellium sibi datum a Rudolpho anno 1599. in Præpositi dignitate Successorem, Vicarium constituit, evocavitque Clerum, pro anno sequente 1602. ad Synodum. Statuta hujus, Legi habuique, at vel deperdidi, vel 1756. casu fatoque combusta sunt. Provocat ad Synodum hanc, Borkovich in Constitutionibus suis.

In

In Beneficiorum Ecclesiasticorum Collationibus, idem inconcusse usus quod non perseveraverit, leges, monumentaque demonstrant. Propriam esse Regibus nostris Beneficiorum Ecclesiasticorum collationem, fundatio, dotatio, Basilicarum erectio, ad præscripta Canonum, evincunt. Legibus quoque firmatum hoc adeo est, ut de re clarissima, scribi nil debeat. Historiam usus hujus, longum foret recensere. Quare dum extra nostrum esset institutum, *abusus* sub Sigismundo, Alberto, Mathia I. emendari incoati, potissimum sub Vladislao correcti sunt. Extant insignes de horum veritate Articuli, quorum duos describere juvat. Anni 1495. 31. sequens est: *Volentibus Dominis Baronibus, Consiliariisque Majestatis Regiæ, ac cæteris Regnicolis in præsenti Diæta constitutis, repugnantibus tamen Dominis Prælatis, & Viris Ecclesiasticis, ordinatum est: quod si aliqui forenses homines ab aliis quam a Regia Majestate, vel illis, qui in hoc Regno super quocumque beneficio Ecclesiastico jus Patronatus, quo hactenus usi fuissent, habent; aliqua beneficia Ecclesiastica, pro se procurarent, & hujusmodi procuratione, jus sibi in iisdem, contra antiquam libertatem Regni vendicarent, in eisdem beneficiis residere auderent aut attentarent, quod tales omnes & singuli, si depræhendi poterunt, ad aquam projiciantur, tanquam publici libertatis Regni turbatores &c.* Hinc sequenti etiam articulo prohibetur, ne Vicariatus officia Italis conferantur, sub nullitate sententiarum. Anni autem 1498. 67. sequens est: *Sunt præterea plerique Dominorum Prælatorum, & Virorum Ecclesiasticorum, qui collationibus beneficiorum Ecclesiasticorum, in ignominiam totius Ordinis Clericalis abutentes, illa non personis idoneis & benemeritis, sed juvenibus & indoctis, ad eaque beneficia penitus incapacibus, absque consensu Regiæ Majestatis conferre, illisque titulum hujusmodi beneficiorum adscribentes, soli proventus eorumdem exhaurire, & in usus proprios convertere, sicque cultus Divini propter tales abusiones, quotidie in Ecclesiis DEI negligi consveverunt. Quia autem libertate antiqua hujus Regni requirente, collationes quorumcumque beneficiorum, in omnibus Ecclesiis Regni, in quibus Regia Majestas jus Patronatus habere censetur, ad Majestatem suam spectare dignoscuntur. Quare statutum est: quod amodo de cætero, ipsi Domini Prælati, & Viri Ecclesiastici, in eorum Ecclesiis, quibus ex provisione Regiæ Majestatis præsunt, absque annuentia & consensu Regiæ Majestatis nulla beneficia Ecclesiastica pro tempore vacantia conferre possint &c.* Sane non solum, conditi, vel hi duo articuli, varium fuisse in beneficiorum collatione abusum docent, roborando veterum MSS. at reliqua etiam. Signanter Mathiæ ac Vladislai mandata, ad Sclavoniæ Status. Quod Sclavoniam attinet, conferendorum Beneficiorum potestatem, quam Comites Cilleæ usurpaverant, adimit Mathias Art. 37. anni 1486. *Lucas*, Osvaldi Successor, hanc a Rege collatam habuit facultatem. In collationem Archidiaconatuum (ideo quod Vicarii nati ac perpetui, Episcoporum essent) Sede potissimum Episcopatus vacante, jam Metropolitani; jam Apostolici Nuncii sese immittebant. Sic 1597. per Apostolicum Nuncium, Balthasar Napuly, Archidiaconus Cathedralis, hujus loco *Goricensis*, Petrus Domitrovich, fuère resoluti. Dignitates Capituli, hac ætate, ita conferebantur: *Præpositi* dignitas, Regis erat. Lectoris Sede vacante, Capituli cum Suffragiis duarum partium, secus Episcopi cum Capitulo, *Cantorem & Custodem* nominabat Episcopus; Sede autem vacante, Custodis creatio, ut Ecclesiæ Patroni, Regis fuerat, Cantores æque: ut Blasius Giurak, ad hunc, per Rudolphum fuerit promotus. Quia vero, in Zagrabiensi Ecclesia, in *choro* ut dicimus, Custos Archidiaconos sequeretur, *extra Chorum* præcederet, *Martinus Kossutich* Dubicensis Archidiaconus, Thomæ Tharczy Abbati B. V. M. de Campo Zagrabiensi, & Custodi, præcedentiam in Capitulo, sive *extra chorum* controvertere incepit. *Custos* in pervetusta consuetudine sese fundabat, annotata in Libro Capituli *Statuta* vocato, atque anno 1334. conscripto, ubi notaretur: quod Custodi cedere extra Ecclesiam, Archidiaconi consueverint. Tum ex Collatione Regia, quod ipse per Rudolphum vacante Sede fuerit nominatus. Denique ob Dignitatem ipsius Basilicæ, & Tabullarii publici, residuorumque Capitulorum Hungariæ ab exemplo, se, qua Dignitatem Capituli, in Capitulo præcedere, allegabat. Archidiaconus, juri insistebat Canonico, per Stallum post Archidiaconos, Custodis, usu ipso, in Zagrabiensi Ecclesia roborato. Vicarius, Budovczi Stephanus, cum Balthasare Napuli, nullius fructus quæstionem esse, videntes, eam componere procurabant. Sed Kossutich ut erat impetuosior, convenientibus ad preces vespertinas Canonicis, cum sermonem quispiam injecisset, in furias actus, clamare, & de silentio commonitus, librum, ex quo legebat, in caput Lectoris & Vicarii, projicere non dubitavit. Patrata hæc sunt, Sabbato proximo post Festum Assumpt. B. V. M. 1600. ut doceret Scriptura ipsius Martini Kossutich, facta Feria 2. post Festum B. Michaelis Archangeli, quâ, constat eum, a fratrum consortio per annum unum, ob

ob relatum excessum, in pœnam, separatum extitisse. At ad ejus preces, apud Prælatum Nicolaum Zelniczey factas, sub data a se illarum reversalium fide, quod ab ejusmodi excessibus cavere vellit, sub vinculo incurrendæ prioris pœnæ, absolutum. Episcopus illico post consecrationem, confabulationes omnes, in templo & sacristia Canonicis vetuit, cum sit domus orationis; quin citationes, ante in Ecclesia peragi usitatas, prohibuit; & quarumpiam causarum, in sacristia decisionem & judicia, cum templa non essent Curiæ, sed Asyla. Quare in Capitulari Area, prope tiliam pro tractandis negotiis, domus extructa est. Mortuis autem, Lectore, Custode & Archidiacono, cum 1602. fratrem suum Petrum Zelniczey Custodem declaravisset, ad firmandam Custodis in Capitulo dignitatem, constituit: ut Ecclesiæ cura penes Capitulum esset, Custosque nil sine Capituli consensu operaretur; dati, acceptique rationes Capitulo daret: anno quovis visitaretur suppelex Ecclesiæ; suarumque rerum, in mutatione Custodis, absolveretur Inventarium. Cum enim Episcopi, ob occupationes varias, examen rationum Custodis, subito revidere nequirent, Custodibus variæ excusationes, ac persæpe accusationum argumenta, fuerunt. Vigore hujus Statuti, die XI. Februarii 1602. per Joannem Vidovich Dubicensem, & Petrum Domitrovich Goricensem, Archidiaconos, Inventarium Cathedralis Ecclesiæ ex Commissione Capituli incoatum est, & Custodis in Capitulo dignitas confirmata.

Jam Articulum illum 67. anni 1598. in usu fuisse, etiam post Ludovici II. fata, & Nicolai Zelniczey memoria, docere, ex Regiæ Aulicæ Hungaricæ Vienensis Cancellariæ Protocolis, volumus. Hæc Balthasaris Patachich diligentiæ, ac adversariis debemus, ut cætera plurima. Sic porro Vir Illustrissimus adnotavit:

„ 1527. Per Resignationem Ambrosii de Varda, Archidiaconatus de Doboka in Tran„ silvania, confertur Paulo Abstemio.

„ 1533. In Vigilia Nativitatis Domini Budæ, Joanni Persurich confertur Canonica„ tus & Prebenda in Eccl. Colleg. B. Petri Apostoli de Posega, per mortem Mgri Joannis „ Skrabineunczy,

„ 1569. Archi-Episcopatus Strigoniensis confertur Antonio Verantio, cui, jus Patronatus specialiter collatum habetur. N. 3. fol. 956.

„ 1571. Lectoratus Agriensis cum Canonicatu, collatus est Paulo Zeghediensi, cujus „ collationes extant N. 3. fol. 991.

1579. Collatio Administrationis Archi-Episcopatus Strigoniensis, cum Vicariatu in Spiritualibus Generali, Sede vacante, Nicolao Telegdino electo Episcopo Quinque-Ecclesiensi facta N. 4. fol. 133.

1586. Archidiaconatus Sasvariensis, cum Canonicatu Strigoniensi & Præbenda, collatus est Petro Heressinczi Episcopo Zagrabiensi N. 4. fol. 455.

1584. Per Regiam Majestatem, collatus est Canonicatus Zagrabiensis Casparo Zkoblich, ut habetur N. 4. fol. 413.

1587. Mortuo Telegdino, administratio Archi-Episcopatus Strigoniensis, collata est, Joanni Kutassi pariter electo Episcopo Quinque-Ecclesiensi, cum clausula: conferendi Canonicatus simplices, aliaque beneficia, ut sunt Rectoratus Capellarum, & Altarium, quorum proventus centum Rhen. non excedunt. Dignitatibus & aliis beneficiis supra centum Rhen. pro Regia Collatione reservatis. N. 4. fol. 480.

1591. Collata est Capella S. Ladislai Regis, in Curia Archi-Episcopali, Posonii fundata, Nobili Georgio Himmelreich N. 4. fol. 717.

1592. Collata est Administratio Archi-Episcopatus Strigoniensis, Joanni Cheredy, electo Episcopo Qunque-Ecclesiensi sub priori clausula, & quod Administrator vacantias indicare teneatur. N. 5. fol. 9.

Eodem, Collata est Præpositura major Eccl. Strigoniens. ac Vicariatus Ejusdem, Stephano Szuhany Can. Strigon. N. 5. fol. 10.

1596. Archi-Episcopatus Strigon. collatus est Stephano Feyerkövy, cum speciali expeditione super Jure Patronatus. N. 5. fol. 183. & 184.

1603. Hujus Administratio post mortem Joannis Kutassy, collata est Stephano Szuhay, electo Episcopo Agriensi. N. 5. fol. 575.

1613. Lectoratus cum Canonicatu Agriensi, collatus Paulus Jagustich. N. 6. fol. 435.

Eodem, Canonicatus Agriensis cum Præbenda, item Archidiaconatus Pankottensis, collatus Andreæ Szentkereszty. N. 6. fol. 436.

Eodem Canonicatus Agriensis cum Præbenda, collatus Georgio Lippay. N. 6. fol. 437.

Eodem anno, Altaria S. Mariæ Magdalenæ Agriæ fundata, collata est Nicolao Dallos. N. 6. fol. 439.

1641.

1614. Canonicatus Agriensis Joanni Aach N. 6. f. 462. Item alter, Casparo Budai, ibid. Anno eodem, Rectoratus Capellæ B. V. M. Assumptæ, in Eccl. Agriensi coll. Andreæ Szentkereszty. N. 6. fol. 471.

Eodem, Custodiatus & Canon. Agriensis Casparo Andahazy N. 6. fol. 472.

1615. Canonicatus Agriensis Michaeli Maurovich N. 6. fol. 521. Alter Canonicatus ibidem Paulo Szabariensi, & Tertius, ibidem Stephano Tholnay ut N. 6. fol. 540.

1616. Canonicat. Strigoniensis, Valeriano Edmundo Czochzoviæ N. 6. fol. 567.

1628. Canonicatus Zagrab. collatus est, Sede vacante, Joanni Mixa N. 7. fol. 748.

Emerico Losy, & Georgio Lippay in Collationibus Archi-Episcopatus Strigoniensis, jus Patronatus insertum non reperitur N. 9. fol. 1. & 455.

1666. Georgius Szelepcseny Archi-Episc. Colocensis, & Hung. Cancell. factus Archi-Episc. Strigoniensis, sibi jus Patronatus, non tamen satis explicativè, inseri fecit. N. 13. f. 262.

1685. Successit Georgius Szecseny, in cujus Collationibus, juris Patronatus nulla expræssa mentio. N. 18. fol. 166.

1695. Successit Cardinalis Kollonitcs, nullam pariter expræssam clausulam circa jus Patronatus insertam habens. N. 23. fol. 476.

Ex his videre est, varium in Collationibus fuisse usum. Alia quoque: ad Cronologiam, & memorias plures. Neque his præjudicare volumus moderno usui, firmato jam per Art. 55. anni 1723. ubi imponitur Episcopis: *Beneficia porro & Canonicatus juxta Art. 67. Vladislai Decreti 3. aliasque leges Patrias, Personis benemeritis & idoneis conferant.* Proinde juxta Historici officium, rerum actarum, quæ ex monumentis eruimus, nos unice describimus notitias. Jam reddeamus.

Pornenses, Capitulo graves continuo fuére; ut 1598. turbæ omnes, falsæque quærellæ, illis, sub gravissima indignatione suæ Majestatis, prohiberentur. *Timendum enim, ne ex Scintilla, factionis incendium excrescat, Christiano cruore extinguendum, facile enim eorum exemplo alii, qui nunc erectis auribus astant, contra Dominos suos insurgent, & conspirantes arma tandem sument. Neque enim res nova, sub Ecclesiastico dominio excitari turbas, plerumque enim Ecclesiarum Subditi, duræ cervicis sunt, contra Dominos recalcitrare soliti.* Hæc fuit Zelniczey, & Ergely: ad Capitulum scripta opinio. Anno tamen sequenti apparuit, sub fiducia Comitis Georgii Zrinszky, Tavernicorum Regalium Magistri & Comitis Saladiensis, Pornenses protervos fuisse effectos, Ipse enim occupare Abbatiam attentabat. Prohibuerat Rudolphus; nec mandato detulit Zrinius. Quare Cæsar, Praga 24. Julii 1599. imponit Francisco Comiti *de Nádasd*, Comitatuum Sopronienfis & Castriferrei supremo Comiti, Agazonum Regalium Magistro, ac ultra Danubianarum partium supremo Capitaneo; ut Capitulum tanquam in Regiam specialem tutellam acceptum, defendat sine ulla renitentia. Sed Zrinio procurante, Commissio Regia ordinata ad Porno, quæ favit rusticis, statuitque: *Vetus Urbarium non subsistere, ob illius antiquitatem, Regumque Hungarorum conniventias.* Forum dominale tollerari non debere, nec admitti posse; utpote sub justitiæ larva, subditos in præjudicium Regis enervans. Nec Comitatibus curam similium causarum vel appellationem tutò credi debere, cum ex Dominis terrestribus constet Sedes. Quare cum in singulorum Subditis, ratio peculii Regii consideretur, causas omnes Subditorum, contra Dominos, Cameræ Regiæ subjici oportere. Itaque per commissionem hanc, Pornensibus exigui laboratores impositi; Quærellas suas, ultrò ad Cameram, deferrendi attributa facultas: Demum ipsi à foro Dominali, immunes; prouti etiam a reparatione Monasterii, & gratuitis laboratoribus; pronunciati ac declarati. Verùm effectu illo, quem infra videbimus.

Ex MSS. Georgii Marcellevich eruimus: Cives inter Regios, ac Capitulum ab anno 1599. Processus ratione Fori, Decimarum quarundam, ac violentiarum fuisse. Rei autem initium profluxisse: quod in Sede Comitatus, Sabbathô post S. Luciam, *Franciscus Ergelius* Præpositus major conquestus sit: Civitatem Regiam, fundamento eô, quia coram nullo judice in jus attrahi posset, injurias causare Capitulo. Quare cum *Octavæ* propter calamitates modernorum temporum non celebrarentur, ut Civitas instar Nobilis, in Sedem Comitatus conveniri possit. *Mernavchich*, qui Supremum agebat Comitem, Civitatis Judicem Martinum Kapronczai, cum duobus Senatoribus accersit, sed is, injurias Civitatem recipere, neutiquam inferre reponit. Præpositus negat, præter hoc, quod Capitulares subditi prohibiti forent, ne quidpiam in Civitate Regia vendant, sed in Capitulo omnia. Ex eo potissimum, quia Dardanarii, certam peccuniam Civitati solverent. Super qua Præpositi declaratione, Benedictus Blasekovich Civitatis Regiæ Fiscus, reclamat, & a Sede Comitatus testimoniales accipit. Hinc animorum exortis offensionibus. Cives in insula *Jarun*, 20. cur-

rus præparatorum pallorum, Capitulo accipiunt. In jus vocati, post exceptionem Judicatus, deliberatum est: *Juri statuendos rusticos coram Vice-Comite, præsente attamen & Judice Civitatis.* Petrum Domitrovich Archidiaconum Cathedralem, quod in Decimando, in Urna una excesserit, coram Vice-Bano ut Supremo Comite in jus vocant. Sed mandato Banali *Declinatorio*, causa ad Forum spirituale est relegata, nec a Civibus prosecuta. Capitulum quoque, intuitu violentiarum in jus vocat Civitatem. Quo in processu notat Marcellevich, Civitatem produxisse, Regni Sclavoniæ sententiam, in Privilegium redactam, *quod Civitas Regia Zagrabiensis judicio Comitatus non teneatur adstare, nec stare*, & Vladislai Regis Decretum, *quod Civitates in suis Privilegiis sint conservandæ, & signanter Zagrabiensis.* Ac tandem Partis 3tiæ Titulum 20. Deliberatum tamen fuisse: *Tripartitum est posterius Privilegio: per posterius autem tolli priora. Adeoque juxta tertiæ Titul. 19. ratione violentiarum, respondere Civitatem teneri.* Favente etiam Episcopo Zagrabiensi Zelniczejo, accusabatur Mathiæ Archiduci Civitas, quod Proventus hospitalis sui pauperum; Proventusque Ecclesiasticorum beneficiorum, ad profanos usus converterit. Quare Mathias, tam super his, quàm & differentia Fori nundinalis Anno 1602. Commissionem ad Civitatem Zagrabiensem ordinat, sub Præsidio *Simonis Bratulich* Episcopi Sirmiensis, & Prioris Generalis Ordinis S. Pauli primi Eremitæ. Assessoribus autem, Comite Thoma Erdöedi Dapiferorum Magistro, Joanne Keglevich, Joanne Ratkay, Benedicto Turoczi, Stephano Berislavich. In domo præpositi die 3tia Septembris factum judicium. Thoma Sztresemley, pro absente Joanne Keglevich, Substituto. Convincitur Civitas, & appellat. Atque 1603. in Foro Præsentiæ Regiæ, judicatum est: *Quia præsens revisio fundata esset, in mandato Mathiæ, qui fortè in judiciis mandare nequivisset, & alioquin mandatum pro una parte scilicet Capitulo, fuisset expeditum: Civitatis vero jus de Proprietate & Privilegiis ipsorum, esset exclusum, nec humanum testimonium valeret contra Privilegium, ideo Commissionem condescendere, & Cives in integrum restitui.* Quia verò Banus Joannes Draskovich Cubiculariorum etiam Regiorum Magister, Joanni Tuscan mercatori in Capitulo, acceptas per Civitatem merces, restitui mandasset, respondit Civitas: ne Banus tolleret Cives, contra Privilegia, Foro privari, & consequenter totaliter desolari. Intuitu autem accusationis ab Episcopo factæ, Commissio invenit: Xenodochium per milites Germanos ac Italos, devastatum esse, nec in tantis temporum perturbationibus, tam cito restaurari posse. Civitatem tamen ad destructarum Ecclesiarum ac Xenodochii reparationes, materias quasdam præparavisse, nec Ecclesiarum Proventus, aut Xenodochii, sive etiam beneficiorum Ecclesiasticorum dissipavisse. Rudolphus ad preces Capituli Nundinas in Mindszenth confirmat, uti etiam S. Regis Stephani in Area Capitutari a fundatione Ecclesiæ celebrari solitas. Forum hebdomadale, ex Feria III. ad diem Dominicum transfert. Sub dato Pragâ 17. Octobris 1602. Fuêre etiam Capitulo lites, cum *Vincencio Mislenovich* Præposito Glogonczensi, propter patratas a Planinensibus ejus, violentias, in Kassina. Hactenus Marcellevich, suis numeris adnotans signata instrumenta, ex quibus priora desumpsit.

Memorabiliora his Annis.

1598. Ferdinandi Archiducis Commissarii: Capitaneus nempe Præsidii Ivanich, cum Stephano Schmith, ad Regni Congregationem die 14. Aprilis incoatam comparuere. In erectionem ruinati *Castri Ivanich*, ex omnibus tribus Regni Comitatibus, Laboratores (singulum denariis Croaticis 16. solvendum) ordinati, conducendique noviter ordinantur pedites 600. Equites 50. Horum *Lustrator* Georgius Keglevich, *Capitaneus* autem, Paulus de Gregoriancz constitutus. Cum facultate Vaivodas diligentes constituendi: & in diversa loca collocandi. Ipsi autem Residentia, Præsidium *Szredichko* attributum. *Caspar Petrichevich* officio Bice-Banali sponte se abdicat, succeditque *Georgius Keglevich.* Juxta Art. 8. & 12. Diætæ anni hujus, ad connumerationem domuum ordinati, in Zagrabiensi & Crisiensi Comitatibus, *Georgius Mikulich*, cum jurato Nicolao Malenich. In Varasdinensi *Joannes Greguroczi, & Michael Druskoczi.* Stephanus autem *Szvasztovich* contributionis Exactor: Joannes Petrichevich Capitaneus in Lettovanich declaratus. Eodem hoc anno, Vaivodæ, & pedites Regni, contra *Georgium Keglevich*, Militiæ stipendia exolventem insurgunt. Itaque cum ista, spiritu Capitanei Pauli de Gregoriancz profluxisse observarentur, Capitaneus eligitur *Christophorus Mernjavchich*, ac præterea Nobiles in jus vocati, Ignobiles vero, per Capitaneum, ex Regni statuto citati, coram constitutis a Regno Judicibus: Caspare Petrichevich Vice-Proto-Notario, & Stephano Beriszlavich Notario Comitatus

tatus Zagrabiensis. Patres quoque Minorum S. Francisci de observantia vocati, suæ Majestati commendabantur, ut vi ablata per Cives, bona ipsorum, (est nunc templum S. Xaverii) Conventu eorum Zagrabiensi, restituantur.

1599. Ad Diætam exmissi: Franciscus Ergelius, & Joannes Hersich. Quibus comissum, Civitati Zagrabiensi pro *Tricesima* ac aliis negotiis assistere: libertatem procurare a Datiis, in Civitate Petoviensi, si nempe quispiam e Sclavonia, res suas eo conducat: contra Comitem Ambrosium a Thuun, Statuum quærellas promovere. In Diæta Anni hujus, Articulo VI. 200. Equites ac 600. pedites ordinabantur: Articulo X. ut in Sclavonia de singulis domibus 125. Denarii solvantur. Qui tamen in Commitiis Sclavonicis sic reducti sunt: ut Equites 100. pedites 550. sub Capitaneatu Magnifici Petri Erdöedy (valedicente scilicet Christophoro Mernjavchich, ac in locum resignantis Keglevich, Vice-Bano & Supremo Comite nominato) interteneantur: & 50. Denarii, ab instituto exactore Joanne Ratkay colligantur. Exactor autem Contributionum, Balthasar Napuli, Archidiac. Cathedralis & Can. Zagrabiensis ultro est confirmatus.

Terræ motus magni, per Austriam, Hungariam, atque Sclavoniam fuêre, ut plerisque in oppidis collapsæ turres, ac multæ privatorum hominum ædes, vitio in parietes facto, incredibile detrimentum acceperint, magnis postea sumptibus resarcitum. Arx diruta *Govnez* in possessione *Zelcza*, districtu verò *Ivanich* gratuitis laboratoribus Regni, restaurata. Comites a Zrinio, & Frangepanibus de Tersact, per nuncios suos, Regno quæsti sunt: Venetos aperto marte, ac tormentis bellicis, Arces illorum invadere. Ideo Status suæ Majestati supplicaverunt, ut tempestive huic malo provideat. Res hæc, ex Familiarum horum portubus promanabat. Quare oportuit: ad servandas arces, portus Ferdinando Archiduci tradere. Quo factô, cessârunt Veneti, suspicioque nata, Ferdinandi industria a Venetis, arces obsessas fuisse.

Ratione quoque Metarum Arcis *Mokricze*, quam Familia Konszky possidebat, publica Commissio ab utrinque lectis Commissariis est habita, ratione Insulæ cujusdam, ibi, ad portum Savi existentis; illaque Sclavoniæ relicta. Epidemicus quidam morbus per Regnum, hoc anno grassabatur, crepabantque sine remedio, bruta animantia. *Posegana Civitas* in potestate alias Turcica, per Regni copias combusta. *Gregorius Pethéo*, Babocsæ fuit Capitaneus: ac in locum resignantis Petri Erdöedi, Capitaneus Regni Joannes Draskovich.

1600. Mos erat antiquior, ut Magistri Protonotarii officium, cuipiam ex Hungaria Protonotario, adjungeretur; talisque simul Regnorum Dalmatiæ Croatiæ & Sclavoniæ Protonotarius esset, causa uti credimus Judiciorum, aliorumque quæ occurrissent Regni negotiorum. Maximè autem ob servandas Regni hujus municipales leges, etiam coram Præsentia Regia, ac *in Octavis*, quæ ibi celebrari consueverant. Illi ipsi tamen Protonotarii, in Sclavoniam comparere ad judicia obligabantur, quamvis frequentius abfuerint, seseque excusaverint. Hinc, in Regno Vice-Protonotarius alter eligebatur: qui, in judiciis Protonotarium absentem supplebat: in Regni Commitiis calamum gessit, ac denique quæ sibi committebantur egit, Forumque supplevit Protonotarii. Causas etiam alias (sed ex commissione Regni) quandoque judicatas a Vice-Protonotariis eruimus. Mortuo itaque hoc anno Protonotario *Zekel*, a Statibus in Protonotarium electus est Caspar Petrichevich, ac illico cum Balthasare Napuli Archidiacono Cathedrali ad Diætam ablegatus extitit. Repræsentatum Majestati suæ est, Bona Episcopatus Zagrabiensis Ivanich, & Derffiana Rovische, vi per Generalem illocari, Rasciana gente. Ipse autem Generalis factum suum excusabat, quod ex his Regnis, nil utilitatis Fisco Regio obveniat. Quo intellectô, supplicatum est Cæsari, ne Regna sua ideo negligat, quia certum esset, Regna hæc integris ipsorum rebus, ad domum Augustam Austriacam devenisse, abindeque semper fidelia fuisse, & Provinciarum *Stiriæ*, *Carinthiæ*, *Carnioliæ*; muros atque conservationem esse. Proinde supplicare: ne ruinam suam, ab illis accipiant, quos hactenus conservârunt. Pro necessitatibus publicis, Bona Maritima & Transcolapiana Comitum Zriniorum, ac Frangepaniorum; non solum dicata sunt: sed & currus ordinati, nempe *Dubovacz* currus sex. *Svarche* 2. *Zaversich* 1. *Krisanich* 3. Bona Frangepaniana maritima currus 10. Zriniana 15. *Ozaly* a singula porta, manuales laboratores duos, præstiterunt. Præsidium *Berkissevina* firmabatur. In monte *Maczel* viæ reparatæ. *Constitutumque* si Comites & Vice-Comites Comitatuum, in reparatione pontium & viarum, inobedientes, non punirent, sensu & Conformitate Art. VI. 1600. Banus eos, pro sua authoritate (nisi suis officiis hac in parte intra 15. dies satisfecerint) puniat.

Irritatus prædis Haramiarum & Rascianorum, a Generale Heberstein illocatorum *Nasuffius* Sigethi Præfectus, præcipue dum rogatam satisfactionem, aut saltem prohibitionem non

non obtinet; quin turcicos boves a *Proceribus* dividi intelligeret; obtenta ab Ibrahimo venia, *Babocjam* quarto obsidionis die occupat. Statimque cum tota mole, supervenientis Ibrahimi exercitus, *Canisam* obsidet. Ac tandem deditione Paradaiseri (jussu Cæsaris, capite postea plexi) XLV. obsidionis die, obtinet. Quod quia more suo accuratissimè, præsens obsidioni *Istvanffius* lib. 32. descripsisset; nil quod addi posset eruimus; nisi occasione obsidionis hujus, causaque grassantis Zagrabiæ pestis, Germanos, Italosque milites, eductos fuisse Zagrabiâ. Ad vecturam Bombardarum aliarumque munitionum) nostris ad castra Canisiensia, cum Bano proficiscentibus) Zagrabiensem Civitatem jumenta 40. Varasdinensem 80. Crisiensem 20. Capronczam 16. suppeditâsse.

Hoc eodem anno, Clemens VIII. iterum Cæsari decem millia Italorum peditum in auxilium misit, *Anconâ*, navibus in Dalmatiam vecta. Illinc agminatim Zagrabiam pervenère. His *Joannes Franciscus Aldobrandinus* Pontificis cognatus præerat. Sed ipse alia via *Græcium*, ad *Ferdinandum* profectus, ac cum *Vincentio Mantuæ Duce*, & *Joanne Mediceo*, post salutatum Archiducem, per *Maczel*, *Krapimam* venit, ubi honorificè a Bano exceptus; *Zagrabiam* ad exercitum pervenit, summisque exceptus obsequiis; ob beneficia, & Pontificis reverentiam, est; persolvitque stipendia militi. Post Aldobrandinum, primas tenuit *Flaminius Delphinus*, tum *Ascanius Sforzia*: *Horatius Baleoni*, *Fridericus Ghislieri*, compluresque alii, in Sclavonia hybernantes.

1601. Ad Diætam Oratores fuère: *Napuli Balthasar*, cum *Stephano Berißlavich*. Innotuerat: certa Privilegia totius Regni Comitatuum, tempore desolationis Capituli Chasmensis, ad fideles manus consignata, in Castro *Zelina* reposita extitisse; ideo ut Possessores Castri, sub juramento, talia fideliter producant, admoniti fuisse leguntur. Ob ægritudinem *Protonotarii*, ex antiqua Regni consuetudine, per Status electus est in *Vice-Protonotarium*, Stephanus Berislavich Vice-Comes Varasdinensis; retento etiam Vice-Comitis officio.

Italicæ copiæ, cum Sclavonicis: tam Bani, quam Generalatuum, (vide sis Istvanffium) hoc anno ad Canisam expugnandam, Augusto mense contendunt. *Aldobrandinus* verò, malignis correptus febribus, *Varasdini* in arce subsistere fuit coactus, quibus etiam diu conflictatus, nil juvantibus remediis, e vivis Varasdini excessit, annum agens 55. Cætera ex Istvanffio petenda.

Notatum quoque comperimus, vehementer displicuisse Hungariæ Statibus, quod mortuo *Mathia Zekell Protonotario*, nemo ex Hungaris Eidem successerit. Ut rem hanc, pro scissione Sclavonum interpraetarentur. Rei veritatem innuere videntur Art. 12. (ut nempe Sclavonia insurgat in sui defensionem, more ejus Regni consueto, adeoque nec quidpiam disponere volebant de Sclavonia, sed ut distinctum Regnum considerârunt) item clarius Art. 31, quo, Articuli de Statu Confiniorum Sclavonicorum propositi, rejecti sunt; ac ad Sclavoniam relegati; utque *Ferdinandus* Archidux prospiciat, supplicatum. Acerbius hoc tolleratum in Sclavonia, ut anno mox sequenti 1602. expeditionem ad *Albam Regalem*, deprecarentur propter domesticam Confiniorum observationem. Atque hic roborata est inutilis S. Regni Coronæ quæstio, Dalmatiæ Croatiæ & Sclavoniæ Regna, qualiter consideranda? an nempe ut subjecta, vel unita? aut adnexa?

1602. Jam anno 1599. Articulo 36. Polygamiam, incestasque nuptias viguisse innuitur; pœnaque præscribitur. Sed quia lex illa, quorundam frænare nequivit libidinem, contra Polygamos, anno hoc, severius animadversum fuisse. Mortuo Protonotario Petrichevich, post varias eatenus reflexiones, *Mathias Andreassevich* eligebatur; Domini in Hungaria Locumtenentis, Protonotarius. Sed illo primum sese excusante; quidam Magister *Andreas* lectus in Protonotarium fuisse invenitur. Quò, intra annum fors demortuo, *Mathias Andreassevich* de Novaky, in celebrata 6ta Januarii 1603. Regni Congregatione, juramentum deposuit.

Ad anni hujus Diætam Regni nomine ablegati fuère, *Franciscus Ergelius* Præpositus Zagrabiensis, & *Stephanus Berißlavich*. Et quia Articulo 22. anni hujus Diætæ, constitutum fuerat: ut Octavæ in Sclavonia celebrentur, denotata eodem Articulo modalitate. Quare pro Banalis Tabulæ Assessoribus denominati fuère. *Præpositus* Zagrabiensis Franciscus Ergelius. *Lector* Balthasar Napuli. *Vice-Protonotarius* Stephanus Berislavich. Comitatuum *Notarius* Joannes Samsinoczi. Michael Zelniczey. Christophorus Vragovich. Michael Konszki. Franciscus Medossoczi Vice-Comites Zagrabienses. Thomas Sztrezemley. Gregorius Szugnetich. Gregorius Laczkovich. Stephanus Patachich. *Armales promulgatæ*, Georgii Cheh & Georgii Hervoich. Wolffgangus Druskoczi legitur, cum titulo: *Serenissimi Archiducis Ferdinandi, Insulani exercitus Supremus Capitaneus.* Georgius vero

Urno-

Urnoczi *Dapifer Ejusdem Serenissimi Archiducis. Gomerje* locus Familiæ Zrinianæ, ad castrum Kuitun pertinens, fuisse notatur. Ad locum hunc Rasciani illocabantur.

1603. Tartari in hibernis ad Canisam, Szigeth, Quinque Ecclesias constituti; atrocissima hyeme, oppida *Cestreg*, *Dobronog* diripiunt; & Muram fluvium, per glaciem transeuntes; Insulam *Muraköß*, duplici facta excursione, usque ad *Prelogh* oppidum, igne ferroque vastant. Tum Turcis in societatem ascitis, in Sclavoniam ingressi; *Capto* Capronczæ Præfecto *Grasman*, qui iisdem occurerat; hujusque, cæsis ac dissipatis militibus, omnem eum tractum Dravi, qui à *Capronċza*, usque ad *Varasdinum & Vinicżam* protenditur, crudeliter urendo, prædando, depopulati sunt. Bani Draskovich vigilantia, suburbia Varasdinensia, ab eorum immanitate Salvata. Illi autem Tartarorum, qui *Crisium* versus populatum procurrerant, aliquot locis, non sine clade, prohibiti fuère. Georgium tamen Keglevich, & Balthasarem Vragovich in Castellum *Guscherovecz* impullerunt. Oppugnare Castellum pergebant, sed desistentes, die altero *Ludberghinum* ad castra Turcarum, revertuntur; expugnataque ex itinere *Raszina*, onusti spoliis, & 1500. circiter captivis, suorum autem paucis amissis, eò, quò venerant itinere, ad hibernas stationes suas, reversi sunt. Trautmansdorff Generalis Varasdini, Poseganam Regionem Turcis parentem vastavit. Oppida, Pagos, frumentum hostium concremando, duoque Castella ad Dravum infra Babocjam, cum Nicolao Zrinio, Georgii nuper defuncti, filio; mense Augusto evertit, & succendit.

Ad Diætam, *Ergelius & Franciscus Orehoczi* ablegantur, reparatur Petrina. Fumi rectificantur per Ludovicum Bedekovich & Mihaelem Druskoczi in Varasdinensi: in Zagrabiensi autem Comitatu, per Lucam Chernkoczi, ac Franciscum Medossoczi. Crisiensi demum, per Petrum Szakmardi, & Nobilem Hudoden. Supremus Regni Capitaneatus offertur, Comiti Thomæ Erdöedi, conditione ea: ut cum BANO cointelligentiam observet, atque Vicesgerentem in Confiniis habeat.

Serenissimus Archidux Ferdinandus, per Rudolphum Cæsarem, ea potestate ac Authoritate Regnis Sclavoniæ & Croatiæ præficitur, quà olim *Carolus Archidux* erat. Acceptatusque a Regno, cum illa conditione est: ut cum Bano mutuam servet Correspondentiam, sicuti Carolus olim, cum Georgio Draskovich Bano, ac Episcopo Zagrabiæ.

Reperio hoc anno factam, rerum limitationem, sequenti methodo. *Holoserrici* ulna fl. 2. *Panni Darovecz* tres ulnæ, fl. 1. grossi 5. *Calcei Nobil.* den. 45. *Orizæ* lib. Den. 14. *Carnis* lib. den. 2. *Sævi* den. 4. *Sal cum tritico permutetur*: ut hujus metreta cum cumulo: Salis vero sine eo, sit. *Cum millio autem* per Metretas duas & mediam. Pelles jumentorum nulla ratione extra Regnum auferantur, sub amissione earundem. Ad sequentis anni Diætam, Ergelius, cum Francisco Medossoczi ablegantur. Armales Nobilium *Giurak & Missich* publicatæ. *Nicolaus de Gregorianczi* Castri Meduevar possessor fuit.

Annum hunc Episcopus *Zelniczey*, morte sua conclusit; Decembris enim mensis, die 24. piè obiit. Sepultus in Cathedrali, ad majorem Aram est. Quid egerit? ex prioribus patet. Scripsit, Petrinensem Historiam, ac alia persacile, cum plus litteris, quam æconomiæ deditus fuisse legatur. Disciplinæ veteris, & Personis Ecclesiasticis dignæ, perquam studiosus. Fuit in eo singulare, inimicis benefacere, & per benefacta, reddere amicos. Hanc esse Christianorum propriam virtutem, & DEI præceptum, identidem explicabat. Caput V. Math. quotidie legendum, observandumque commendabat, ut morum Christianorum compendium. *Georgius Patachich* Epp. Bosnensis in libello a se edito, *Gloria Collegii Ungaro Illyrici Bononiæ*, sequentia de Nicolao Zelniczey Eppo Zagr. scribit: *Optima namque vincendi est ratio, vincere sine sanguine, ac inimicum delere cum possis; facere amicum. Sic ille, gloriosius longe, de animis Cœlo devinctis, quam Julius Cæsar de hostibus devictis, triumphavit.* Si Patachichius, ad relatas superius, de annatis dissenssiones, hæc, non reffert; quæ Episcopo huic, *cum animis Cœlo devinctis* fuerint? qui item inimici illi? quos delere potens, fecit amicos? ad ea, non perveni monumenta, ut secundum præcepta, veritatis eruendæ, possim opinari.

Memoriæ.

Thomas *Erdöedi.* Post Caspar *Ztankovachky* Ep. unà cum Joanne *Draskovich*, demum Joannes Draskovich D. C. & Scl. Bani.

Vice-Bani. Post Ladisl. Imprich. *Stephanus Beriszlavich*, dein *Caspar Petrichevich*; postea *Georgius Keglevich*, post hunc *Christophorus Mernjauchich. Protonotarii Martinus Zambothely* 1592. mortuus. Mathias *Zekell.* Caspar *Petrichevich*, quo mortuò, Mathias *Andreassevich. Vice-Protonotarii* Michael *Urnoczi.* Petrus *Pojatich*,

 Caspa-

Caspar *Petrichevich*. Stephanus *Berislavich* sibi successêre. Petrinæ Commendans post Danielem *Francoli*, Joannes Joachim *Amstad de Reichenburg*. Cæteros suo loco daturi.

Memoriæ Canonicorum.

Præpositus Major: Nicolaus *Zelniczey*, postea Franciscus *Ergelius*. *Lector*. Thomas Millich, tum Stephanus Budoczi, simul & Vicarius, ac Juris Ut. Doctor. Demum Balthasar Napuli. *Cantor*: Nicolaus Mikaczius, factus postea Præpositus Chasmens. Abb. B. V. M. de Campo Zagr. inde Episcopus Tininiens. demum Varadiensis. Post hunc Cantor Blasius Giurak. *Custos*: Casparus Zkoblich, dein Thomas Tharczi, demum Petrus Zelniczey. *Præpos. Chasmens.* simul & Glogoncens. Post Mikaczium Vincentius Mislenovich. *Cathedralis*: Stephanus Budoczi. Balth. Napuly. Petrus Domitrovich. *Dubicensis*: Nicol. Jalkoczi transivit ad Camarcensem. Martinus Kossutich, demum Joannes Vidovich. *Camarcensis*: Gregorius Farenich. Nicolaus Jalkoczi. *Goricensis*: Mathias Siffronich, quo mortuo Balthasar Napuli; post quem, Petrus Domitrovich, hoc translato, Joannes Puczinich. *Kemlek*: Joannes Radeczius. *Vasca*: Stephanus Fabriczi. *Chasmensis*: Andreas Fabriczi, quo Siscii per Turcas capto, vacabat diutius ob incertudinem mortis illius. *Bexin*: Caspar Grangya, post cujus decollationem Siscii, Franciscus Ergelius, post hunc Jacobus Capronczay, tum Joannes Nardinus. *Varasdinensis*: post translationem Balthas. Napuli ad Goricen. Joannes Ottavczius, unà Archid. Chasmensis Administrator. *Urbocz*: Georgius Zalatnoki Eppus Rosenensis. *Canonici alii*: Mathias Fintich, Siscy interfectus. Martinus Busanich, Joannes Mokroich, Ambrosius Jaszkay, cæteros ignoramus; fors ob temporum angustias, complures Canonicatus vacasse poterant.

In confirmationem Isthvanffianæ Historiæ, amore item aliarum notitiarum, describimus ex Autographo Armalium, *Michaelis Derk alias Dersenich de Dresnik* sequentia:

„ Ac primo quidem in Præsidio nostro S. Martini, Sacri Montis Pannoniæ, tempore Stephani quondam Fejérkéovy, tunc Archi-Abbatis ejus loci, per aliquot annos, sub vexillo D. olim Imperatoris, & Regis Hungariæ, Rudolphi Secundi, Domini Patruelis & Antecessoris nostri Charissimi, felicissimæ recordationis, serviviſſe. Ex tunc vero, dum idem Feyérkeovy in Episcopatum Wesprimiensem crearetur, in ipsius arce Simegh; similiter obtento per ipsum Episcopatu Nitriensi, in eadem arce, aliquot annis, rectè servitia tum præstitisse: Insuper etiam in omnibus expeditionibus bellicis, contra immanissimum Turcam hostem, per eundem Rudolphum Imperatorem & Regem susceptis; signanter autem tempore reoccupationis Arcium & Præsidiorum nostrorum, Filek, Zechen, Nograd, Kekkéo, Diven, Hattvan, Dregell, Strigoniensis, Vacz, Sambok, Thata, Geztes, Chokakéo, Palota, Wesprim, & Papa, interfuisse; & fidelem ac utilem operam tuam navâsse. Deinde vero sub obsidionis Arcis & Præsidii nostri Thatensis, per Memhett Passam Zaturcensem factæ, tempore, dum videlicet exercitus Cæsareus in Castris versaretur, nullamque notitiam rerum, ulterius per Turcas gerendarum haberet, Belliduce tunc Ejusdem exercitus, Serenissimo quondam Principe Maximiliano Archiduce Austriæ, &c. Patruele itidem Nostro Charissimo, bonæ memoriæ, ante conspectum ipsius, Te, cum decem viris militaribus, mutato Hungarico habitu in Turcicum, Danubium trajecisse, ac per tota castra Turcica penetrando, ibidem aliquot Turcas cepisse: & eidem Principi Maximiliano attulisse, qui, omnem certitudinem intentionis Thurcicæ, Christianis aperiêre. Ad hæc capto tandem per Thurcas dicto præsidio Thatensi, ignorantes rursum Christiani conatum eorundem, quo nempe sese cum exercitu convertere satagerent, Te iterum cum undecim Sociis tuis, Danubium transivisse, ac sub eadem arce Thatensi, tres Thurcas interemisse, & duos vivos tecum adduxisse: Non minus etiam, dum idem Nemhet Bassa, à Præsidio Thatensi, cum toto suo exercitu discederet, & ad campum Rakos, castra sua locaret, te inde quoque captivos Thurcas, omne intentum ipsorum, Christianis postmodum revelantes, attulisse. Expost autem tempore irruptionis & devastationis per Tartaros in Hungariam, & potissimum, certas cis & ultra Vaghum fluvium, ejusdem Regni partes, vulgo Mathius Fœlde habitas & nuncupatas, factæ, plurimos Christianos in diram jam ipsorum Tartarorum, captivitatem abductos, ex manibus eorundem, manu militari, interfectis aliquot Tartaris eliberâsse. In superioribus demum disturbiis Bocskajanis, contra hostes rebelles & æmulos præfatæ Domus Nostræ Austriacæ, dictam arcem

„ Jokeo

„ Jokeo in fide & devotione, Legitimo & Coronato Regi tuo debita, illæsam conservâsse.
„ Alteram vero Arcem *Zomolan* vocatam, ex faucibus ipsorum rebellium, eam tunc possidentium, te occupasse, ac captivos etiam plurimos ex Moravia abductos eliberasse.

„ Sunt litteræ Ferdinandi II. de anno 1619. consequenter validæ, ad confirmandam historiam, rerum ejus temporis gestarum. In his sequens est conclusio: Datum per manus fidelis Nostri, Nobis sincerè dilecti, Reverendissimi in Christo Patris, Domini Petri Pazmanii Archi-Episcopi Strigoniensis, locique ejusdem Comitis perpetui, Primatis Hungariæ, Legati nati, Summi & Secretarii Cancellarii & Consiliarii Nostri. In Civitate nostra Imperiali Francofurti ad Mœnum, XXIV die, Mensis Septembris, Anno Domini Millesimo, Sexcentesimo Decimo Nono. Regnorum Nostrorum, Romani primo, Hungariæ & aliorum Secundo, Bohemiæ vero anno tertio. Reverendissimis ac Venerabilibus in Christo Patribus, Dominis: Eodem Petro Pazmany Strigoniensis, & Valentino Leepes Colocensis & Bachiensis Ecclesiarum canonicè unitarum electo, Archi-Episcopis. Joanne Erdöedy de Monjorekerek electo Agriensis, Petro Domitrovich Zagrabiensis, Joanne Piber electo Varadiensis, Nicolao Dallos electo Quinque-Ecclesiensis, Francisco Ergelio Vesprimiensis, præfato Valentino Leepes Administratore Jaurinensis, Paulo Almasii electo Vaciensis, Joanne Telegdy electo Nitriensis, Mathia Herovitio electo Chanadiensis, Ladislao Maithinii Sirmiensis, Thoma Balasffy electo Boznensis, Paulo David electo Tininiensis, Fratre Alphonso de Reguesens Rosonensis, & altero Fratre Joanne Agatich Administratore Segniensis & Modrussiensis Ecclesiarum, Episcopis, Ecclesias DEI, feliciter gubernantibus. Transilvaniensi Cathedrali Sede, vacante. Item Spectabilibus & Magnificis, Comite Sigismundo Forgach de Ghymes, prædicti Regni Nostri Hungariæ Palatino, Comite Georgio Drugett de Hommona, Judice Curiæ nostræ, Comite Nicolao Tersachky de Frangepanibus, memoratorum Regnorum Nostrorum Dalmatiæ, Croatiæ & Sclavoniæ Bano, Comite Thoma Erdöedy de suprafacta Monjorekerek Tavernicorum, Francisco de Batthyan Agazonum, Andrea Doczy de Nagyliuche Cubiculariorum, Petro de Rewa Dapiferorum, Stanislao Thurzo de Betthlemfalva Pincernarum, Nicolao Ezterhassy de Galantha, præfatæ Curiæ Nostræ; & Melchiore Alagy de Beken Janitorum nostrorum Regalium in Hungaria Magistris; Stephano Palffy de Erdöed Comite Posoniensi, cæterisque quam plurimis, Regni Nostri Hungariæ Comitatus tenentibus, & honores. „ Ferdinandus Mp. Petrus Pazmany Archi-Episc. Strigon. m. p. Laurentius Ferenczffi m.p. Publicæ dein 1623. fuêre in Congregatione Comitatus Posoniensis, habita in oppido *Samarye sunt*; subscribente Notario, *Georgio Huditio.*

„ Historiam Petrinensem, a Nicolao Zelniczey scriptam, perbrevem aliunde, adjungere voluimus. Verum quia superius ea usi sumus, & hanc suis locis retulimus, præcipue cum intra Scriptores Sclavoniæ edi posset, eam missam facimus.

„ Pagina 261. superius monuimus, spe edendæ aliquando Civilis Historiæ, plurima omissa esse. Illa hic supplere atque addere voluimus, sed ut majora, missa facere, oportuit. Fors addi poterunt, sequenti Tomo. Maxime autem servirent, ad Regum quorumdam res dilucidandas, corrigendosque Scriptores quosdam, qui, confusionem non parvam fecerunt, dum attribuerunt uni, quod alterius est. Addere tamen hic voluimus, Comitis Sol de anno 1227. testamentum, quod credimus eruditis Viris, in plurimis lumen daturum.


In nomine Sanctæ Trinitatis, & individuæ Unitatis, Amen.

„ Stephanus DEI Gratia Zagrabiensis Episcopus, omnibus, ad quos præsens scriptum pervenerit salutem, in vero Salutari. Cum Nos ex injuncto teneamur officio, piè petentibus occurrere; & si possumus succurrere his, qui ex Divinæ Providentiæ consilio, per carnis solutionem vocandi deputantur. Maxime illis, nos, si possumus, debemus adesse, quibus in hoc sæculo, linea consanguinitatis sumus obligati. Hinc est, quod cum dilectus Consanguineus Noster, Comes *Sol*, valida laboraret ægritudine, ad nos mittens diligenter; & humiliter supplicans: ut Nos ipsum personaliter, in suis angustiis laborantem, visitaremus; & quæcumque agenda fieri deberent, in dandis Consiliis, & in suis testamentis conficiendis, quia animæ suæ salutem, consulem procuraremus integraliter. Nos autem intuitu precum suarum ad ipsum accedentes, eumque quasi in extremis laborare videntes, consuluimus eidem, ut omnia, quæ ad salutem animæ suæ essent agenda, quam citius posset, Dominum præ oculis habens, ad effectum perducere festinaret. Ipse autem, prius invocato Christi nomine, rogatis convocatisque testibus, videlicet *Abbate Benedicto* Ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Almad, & Diacono Ejusdem Ecclesiæ nomine Chabas, & aliis Castellanis, Nostris Marco & Simeone Presbyteris Canonicis Zagrabiensibus, Magistro Petro, & Martino Canonicis Zagrabiensibus & Weszprimiensibus, Magistro Andrea

„ Cancellario nostro, & Canonico Zagrabiensi, & aliis quam plurimis laicis, & Ecclesiasticis, ibidem assidentibus, in hunc modum condidit testamentum.

„ Ego Comes *Sol*, confero quodam prædium, ob remedium, animæ meæ, Abbatiæ Sanctæ Mariæ de Almad, cui nomen Verustov, cum tribus vineis, & duobus aratris, & servis; exceptis quos manumisi; & sylva, & molendino, & cum omnibus pertinentiis, sicuti ego vivens possedi. Uxori meæ, confero prædium nomine Egrug, cum omnibus pertinentiis; & cum alio prædio nomine Weynec, cum omnibus pertinentiis. Prædium nomine Almad, & Ivanc, confero majori filiæ, uxori Buzad, filii Buzad Comitis, cum omnibus pertinentiis suis; confero &, eidem filiæ meæ, prædium Choacy, cum omnibus pertinentiis. Item filiæ meæ secundæ *Veniver*, confero prædium meum emptitium, nomine Szent-Joan, cum omnibus pertinentiis suis. Prædium *Eörs* nomine, & aliud prædium nomine Pisys, confero tertiæ filiæ meæ *Helbrug*, cum omnibus pertinentiis suis, & cum vinea una, quæ est in Hyg. Quartæ filiæ meæ *Agneti*, confero prædium Thogen, cum omnibus pertinentiis. Prædium Luey, confero Ecclesiæ Vesprimiensi, cum uno aratro, & vineis, & servis & aliis pertinentiis, quod vicinum est, prædio Choacy, quod majori filiæ meæ contuli. Prædium Bukcha, confero Templariis, exceptis vineis illis, quas in eodem prædio servientibus meis, contuli possidendas. Filio Buzad nepoti meo, nomine Thomas, contuli prædium Persen, cum omnibus pertinentiis suis. Prædium tamen, paulo ante nominatum, quod vulgo Bukcha nuncupatur, hac conditione Templariis contuli: quod quamdiu Domina uxor mea viveret, suum fructum, ipsius prædii in omnibus plenarie perciperet; cum vero jam dictæ uxori, extremum diem claudere contingeret, tunc demum possessio ipsa sæpe dicti prædii, cum proprietate ad manus Templariorum devolveretur; servos tamen in eodem prædio commorantes, & vineas, & duo aratra conservet illæsa. Præter hæc autem manumisi servos & ancillas, quorum nomina hæc sunt: Ivanc de Almad, Seequen, & fratrem ejusdem; Sud, Sicust cum fratre suo Chete, & omnes ab eis descendentes; Felceu Jacobus, Cumpurd, Buzad cum uxore, tamen sine filiis & filiabus, isti sunt liberi, sicut in Privilegio Regio continetur. item Lentech, & Nomus de Egrud, Zench cum suis hæredibus ab eis descendentibus; Cus de Verustov cum suis hæredibus; Jula cum suis hæredibus; Joannes sine hæredibus, Rompod sine hærede, Cus, Acur, Thomas, Boc, Beneduc Zula, Heus, Mathæi Beneduc, quem Domina uxor mea levavit de fonte, Opsa, Martina filia, Pedagoge Mariæ, Fescyga, Margaretta, Bug, Texe, Cholu, Scereda, Socmayr, Paul, Ancoleus, Sebestian, Pataz, Mour, Morucz, & si forte aliqua prædictorum, nomina in Privilegio Regio inserta sint; vel si prædia ac possessiones Ecclesiis ac hæredibus a nobis inter vivos; & in extremis collata, vel legata sint, in eodem Privilegio Regio contineatur, non ambitiosæ superfluitati, vel torpori negligentiæ imputetur, quod in præsenti pagina, per repetitionis providentiam declaratur, sed magis confirmatio, validiori relucescat effectui. Ut autem hoc testamentum, ullis unquam temporibus possit in irritum revocari, ad Instantiam sæpe dicti Comitis, præsentem paginam, Sigilli nostri munimine fecimus roborari. Anno ab Incarnatione Domini, Millesimo, Ducentesimo, Vigesimo Septimo. Ut autem hæc extrema collatio, magis memoriæ commendetur, licet prædium Thegen integraliter filiæ meæ Agneti contuli; tamen quinque vineas, ex eodem prædio, aliæ filiæ meæ Veniver, trado, in defectu vinearum, prædiorum, quæ eidem Veniver contuli.

Residua in partis hujus *DEI adjutorio* Continuatione.



AP-

APPENDIX
QUORUNDAM ANTERIORUM.

TUeri cum pertinacia *opinionem*, aut *conjecturam* quampiam; præcipue dum privati est hominis, ambitionis hoc esse effectum, ab olim censui. Tueri errorem atque lapsum, est conditionem hominum, ignorare. Ego diligentiam omnem adhibui, secundum regulas, eruendæ veritatis. Vivimus enim in Christo JEsu, qui semet, veritatem esse definivit; Quin hanc unam docuit; atque *veteris Synagogæ* præjudicia destruxit. Mandavit præterea, ut sequamur vestigia Ejus. Et cujusvis Christiani, est officium, sequi veritatem. Miseret me eorum, quos animadverti lapsos, ex quibusvis affectibus: Illos verò, qui, sive studiorum; sive mediorum defectu, errores descripserunt; culpare, nequeo, quia in his, deliberatam haud invenire est malitiam. Ego tantorum subibo judicia, Faxit DEUS, ut recta justave sint! Hoc impedire nequeo; quamvis ego, judicari non deberem; verùm ea, quæ legenda exhibeo. Hæc *si manca sunt*, a quovis extendantur, illustrentur: *si imperfecta*, perficiantur: *si erronea*, corrigantur. Ad sequendas sive opiniones, sive conjecturas meas, cogo neminem; Auctor enim, descriptarum rerum haud essem, verum Collector unicè; atque amore Patriæ, posterorumque pro commodo, edi hæc posse existimavi. Vereor a plurimis, interpretationes sinistras: At meminerint, inauditum, legitimè convinci, neminem. Erunt: qui censeant, omitti potuisse, ac debuisse plurima, causa præjudicatarum opiniorum. Sed hi, Scriptores Sacros, quin & ipsum Evangelium damnare videntur, in quibus tanta sunt, quæ exmitti, ob *Synagogæ præjudicia* poterant. Illi demum, qui Politica se considerare jactabunt, quid Respublica? quid Status ratio sit? definire nolo, an perspiciant? sunt enim in quavis Republica, casus, circumstantiæque variæ, pro temporis ratione; ideo ad servandam Reipublicæ pacem, rationemque; saluberrimum existimo esse, si quorumvis temporum constet ratio, medendi modus; sic enim: nec *Magistratus* ordinare salutaria putantur *ex lubitu*; habentque hi, quod eligant, num *præsenti rationi Status* conveniant? nec parentes subjective Magistratui, conturbantur, dum legunt videntque iis remediis, olim consultum fuisse Reipublicæ. Ego ex monumentis scribo tantum, Historiam temporum, nequaquam vero, ea, quæ pro temporum circumstantiis, ad rationem gubernationis sunt conductura. Hæc sunt DEI, per Ministros suos, sive Principes, quibus asistit, asistetque Altissimus. Neque prætendi potest, ea fuit olim gubernatio, igitur æqualem esse, nunc, & in mutatis Reipublicæ circumstantiis, oportet. Insanus prætendet, eam vitæ diuturnitatem, quæ olim fuit; eam vivendi rationem, quæ natorum erat hominum; aut fundatæ a Christo Ecclesiæ, quin, moderantur aliter pueri, Senes, fortes, debiles. Nec nocet nosse, sive rationem infantiæ, juventutis; sive medicinas, quæ serviunt, tot tantisque infirmitatibus. Sed quid moror? scripsi ad præscriptum legis, Partis adæ videlicet, Titulum VI. ad vota articuli 70. anni 1723. Innatam cuivis, opinandi, suspicandi, maledicendi potestatem, adimere nequeo. Itaque me esse hominem, ex hoc ipso edoctus sum opere; in quibusdam enim me lapsum fuisse, ex superveniente luce convictus sum: in quibusdam, edoctus ipse uberius. Quædam incuria aliorum, me absente mutata, omissa; ut innumeros typi errores taceam, quibus nunc mederi nequit, nisi Lectoris diligenti attentione, ac benevolentia. *Supplementa majora*, Partis hujus continuatio (si vivam) adferet. Nunc, ordine suo, addo sequentia.

§. I.

Superioribus ad majorem rerum intelligentiam, addenda.

F*ol 7.* post verba: *Zvonimirus eodem ferè anno regnare cepit, quo & Ladislaus*, addenda sunt, nescio qualiter exmissa: „ Quamvis Titulum Regis ab anno 1071. Ladislaum habuisse, ex ponendo inferius (nempe pag. 127.) instrumento deducatur. Nihilominus cum fratre *Geysa*, aut conjunctim Ladislaus regnaverit; aut si intra fratres fuerat Regni divisio, Ladislaus, Superioribus Ungariæ Partibus, præfuit. Geysa 1077. anno, mortuo; Ladislaus totius Sacræ Coronæ Rex effectus est; eodemque anno, videlicet 1077. *Zvonimirus* Dalmatiæ Croatiæque Regnum obtinuit, quod confirmant Diplomata apud Lucium &c. *ut in textu superius.*

Fol. 79. DOMINICUS.

Memoriam *Dominici Episcopi*, cura Decimarum servat, litteris sequentibus: CA„ LANUS DEI Gratia QuinqueEcclesiensis Episcopus Paleatus, & totius Dalmatiæ atque „ Croatiæ Gubernator. Omnibus Christi fidelibus, ad quoscumque hæc præsens pagina „ pervenerit, salutem in Domino. Licet omnes Catholicæ fidei Professores, quod a pio Sal„ vatore præcipitur, hoc propensius exequi teneantur: Viri tamen summates, quos Divi„ na gratia præ cæteris extulit in hoc mundo: non solum præceptis Dominicis, sua debent „ colla subjicere; sed & ipsius consilia attentiori famulatu devotius amplexari; ut & obe„ dientia ex mandatorum observatione proveniens, salutem ipsis pariat sempiternam, & con„ silii salutaris devota completio, multiplicatam gloriam conferat & mercedem. Inde est, „ quod ego non ignarus, novi vel veteris testamenti, in quo, tuba clara canitur & aperta, „ quod omnis Decima, sine omni mutilatione Domino offeratur: & Abel Protomartyris „ Passionem, quem pro sacra Decimarum oblatione inimica fraternitas nequiter interemit, „ non aure surdastri præteriens, de omnibus victualibus, quæ vulgo Cazeu nuncupantur, „ & de omnibus eorum pertinentiis, tam in bobus, quam in ovibus, cum agnis & gallinis „ & panibus & aliis, quæ sunt, quæ ex diversis locis, scilicet Krapina, Okich & Podgoria „ ad Ducatus cellaria congregantur, Decimas dari Venerabili Dominico Zagrabiensi Epi„ scopo, & Ejus Successoribus, sine omni cunctatione & mutilatione, quemadmodum per „ totum Episcopatum suum de aliis Ducatus redditibus, Decimas habet, præcipio. Et ut „ hæc, perpetua stabilitate, reniteat, hujus antiquæ constitutionis, secundum novæ conces„ sionis paginam, sigilli mei munimine, placuit insigniri. Nulli ergo liceat hanc justam „ constitutionem infringere, aut ei ausu temerario contraire. Si quis autem attentare præ„ sumpserit, æternam damnationem, velut Sacrilegus non evadet, & Ecclesiæ Severitatis „ sententia percelletur. Actum est istud anno Dominicæ Incarnationis Millesimo, Centesi„ mo, Nonagesimo Tertio, Indictione XI. Regnante piissimo Rege Bella III.

Discimus etiam, ex his *Calani* litteris, Sclavoniam hanc Superiorem, *Ducatus* Regni Hungariæ prærogativa, fuisse decoratam; ait enim: *ad Ducatus Cellaria congregantur:* item - - *quemadmodum per totum Episcopatum suum, de aliis Ducatus redditibus, Decimas habet, præcipio &c.* Hinc in Titulo, nec Gubernatorem, nec Banum *Sclavoniæ* se exprimit. Ex dato nihilominus mandato hoc, ob Andreæ II. paulò infra narrandos motus, Bellæ III. voluntate, Calanum, *Sclavoniam* creditam habuisse, consequitur.

Dominicum Episcopum vixisse ad annum MCCVIII. combinatio monumentorum evincit. Enimvero 1200. ad preces Dominici, a S. Ladislao data Ecclesiæ confirmat, Rex Emericus; Andreas item Dux, in favorem Dominici Episcopi, contra *Petrum Zudar* fert sententiam. 1201. Emericus Rex, Possessionum Ecclesiæ Zagrabiensis dat Privilegiales, ut vocamus, Reambulatorias &c.

Fol. 79. GOTHARDUS.

Ab Andrea II. anno MCCIX. datus fuit, Dominico Successor. Episcopi hujus, est etiam in pluribus instrumentis memoria, ab anno inclusivè 1209. In Statutorum Capituli libro, sequens est ejus memoria; *Gothardus, quem prædictus tegit lapis albus,* (ergo in Episcopatu hoc, obiit) *non vivit aliquis, qui recordaretur de ipso, sed in Privilegiis bene, reperitur nomen suum.* Errant Catalogi omnes, qui Gothardum, Dominico anteponunt.

Fol. eodem de ANDREA II.

Si Regum quispiam, meditari me fecit in suarum rerum examine; is profectò, fuit Andreas II. Anno 1190. in confirmatis partim; partim a se elargitis Ecclesiæ QuinqueEcclesiensi Privilegiis, vivente Bella III. Patre suo, sequenti utitur Titulo: *Andreas DEI gratia Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Serviæ, Galitiæ, Lodomeriæque Rex* - - In donatione facta, Anno 1194. Comiti *Jerindoni* de Veglia, terrarum, infra *Ducatum Sclavoniæ*, scilicet *Vinodoll* & *Modrùss* æque: *Andreas DEI gratia Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ Serviæ Rex in perpetuum. Cum fidelitas* - - - *dignum duximus, Regiæ Munificentiæ manus copiosius aperire &c.* Anno 1198. (vid. Lucium L. 3. Cap. 13.) quà, Dux Dalmatiæ Croatiæve, Farensem Episcopatum confert. MCC. sub Titulo: *Andreas Dux Dalmatiæ, Croatiæ & Culmiæ:* terram Grabovnicza, DominicoEpiscopoZagrabiensi

bienfi adjudicat. Item MCC. Die 15. Octobris, Andreas Dux, per Jacobum Præpofitum, Magiftrum & Cancellarium Ducis, præfente *Nicolao Bano Sclavoniæ*, Barano Decano Zagrabienfi, donat pro fidelibus fervitiis, terram certam ad fe, per defectum cujusdam *Jerola* devolutam. Anno MCCI. Donat, ut Dux Dalmatiæ, Croatiæ, Culmiæ, ad petitionem fratris fui Emerici, Dominico Epifcopo Zagrabienfi, Infulam *Kognis.* Anno MCCII. Dux Andreas, dat litteras fuper *Koienik* &c. Ab anno MCCV. Andream fuiffe Regem, extra dubitationem eft.

Opinabatur primò, ex veteri confuetudine, Articulo 18. Decreti Andreæ II. Regis indicata, anno 1190. confirmatione illa, fuiffe ufum. Verum, quia Andreas, Belæ III. *Primogenitus* non fuerat; Titulos item Patris ufurpâffet, hæfi dubius. Demum erui ex Diplomatibus, atque Hiftoricis, *Andream*, antequam Rex fuiffet legitimus, Patri, Fratrique *Emerico*; caufâffe incommoda. Patri 1190. amiffa (fi Cromero fides) Halitia. Et motus hi Andreæ, diuturniores fuerint, atque graviores; dum 1194. Comiti *Jerindoni*, memoratam fecit donationem. Finem habuerunt; *Andreæ* Regis, in Caftri *Kheene*, ad Patris Belæ III. mortem, carcere; uti ipfe fateretur, in Diplomate Civitati Regiæ Varasdinenfi ab fe elargito. Obiit autem Bela III. Anno 1196. Hunc mortis Belæ Annum, plures teftantur Cronicæ, intra reliquas, Croatica etiam, quæ *Albæ Regali* mortuum fepultumque recenfet. Sed plura funt in Ecclefia Zagrabienfi inftrumenta, ab Annis 1197. 1198. & 1199. (unum exhibuimus fupra fol. 44.) in quibus Emericus, utitur abfolute Regis Hungariæ titulo, & abfoluta Regia poteftate, mandando, donando, eximendo: per manus *Defiderii* Cancellarii. Neque fe, aut *Primogenitum* exprimit; aut Belæ Patris, ullam facit mentionem; neque hactenus comperi, in Scriptore aut monumento quopiam veftigium, five Emericum, occupaviffe paternum Regnum; five a Patre, in Emericum translatum extitiffe. Quare Cl. Viro & Patri, *Georgio Pray*, Annal. P. I. fubfcribere nequeo, qui, ad annum MCC. Belæ III. mortem, conjectatur. Verum ab experientia exiftimo; errore defcribentis, in documento a *Schönleben* exhibito, pro *Regni Henrici IV.* pofitum: *Regni Henrici I.* Accedunt bina illa diplomata, *Parte I. Epifcop. Agrienfium, Clariff. P. Nicolai Schmitth*, alterum p. 92. ubi Emericus Annum 1201. ait: *Regni autem Noftri anno quinto.* Alterum pag. 93. ubi annus 1202: *Regni autem Noftri anno fexto.* Eft mihi etiam, de anno 1201. *Emerici Regis* confirmatio Privilegiorum, & collatorum tenutorum, Ecclefiæ Zagrabienfis; in quibus hæc conclufio: „ *Datum per manus Defiderii Aulæ Regiæ* Cancellarii, & Scibinienfis „ Præpofiti. Anno Dominicæ Incarnationis Millefimo Ducentefimo Primo, Vbli *Job* Stri„ gonienfi Archi-Eppo; Rdo *Saul* Colocenfi Archi-Epifcopo; *Calano* Quinque-Ecclefienfi; „ *Ugrino* Geurienfi; *Adriano* Ultrafilvano; *Catapano* Agrienfi; *Joanne* Chanadienfi, „ Epifcopis. *Myka* Palatino, & Bihorienfi Comite exiftente; *Jula* Wayvoda, *Achileo* „ Curiali Comite & Kevienfi; *Benedicto* Bachienfi; *Tiburtio* Budrigienfi; *Petro* Sopro„ nienfi Comitibus. Hinc P. Pray conjecturæ fubfcribere nequeo.

Verum, quocunque anno Bela III. mortuus fuerit; evincunt quam plurima monumenta, Andream ab anno 1196. *Dalmatiæ*, *Croatiæ*, *Sclavoniæ*, atque *Culmiæ* Ducem fuiffe. Et dum Andreas, ad preces Emerici Regis, Infulam *Kognis*, donat Zagrabienfi Ecclefiæ 1201, conftituere nefcio, an æquali cum fratre poteftate, Andreas his oris præfuerit? præcipue dum ipfe, Farenfem etiam contulit Epifcopatum. Neque definiam; utrum Andreas, anno 1196. Patre vivente, à carcere fuerit liberatus? *Georgius Marcellevich* in fuis MSS. adverfariis, & extractu momentorum Eccl. Zagr. habet fequentia, ad annum 1217. *Cyriacus tum erat Præpofitus Zagrabienfis, cum Canonicis reliquis, Capitularia Privilegia confirmari, ab hoc Rege* (Andrea II.) *impetravit. Et obtinuit ab eo, Privilegium metale Zagrabienfis terræ, quam Bela Pater, Andreæ donaverat. Vide ad annum 1196.* Sed ad mox dictum annum, nulla reperio Marcellevichy notata, nec confirmationis illius Autographum videre poteram, ad perfpiciendum, an non errâffet Marcellevich, fcribendo *Andreæ*, pro: *Ecclefiæ donaverat.* Sane fi Bela III. anno 1196. terræ Zagrabienfis donationem fecit Andreæ filio, videtur non folum feciffe Andreæ gratiam; at difpofuiffe etiam, ut Emericus Hungariam obtineret; Sclavoniam cum Croatia Andreas. Sed in memorato fol. 45. inftrumento, Andreas Donationem Belæ agnofcit, & fol. 46. exprimit: *de noftris terris propriis.*

Interim anno 1202. Andreas Dux, graviores habuit, cum fratre fuo & Rege difcordias. Has teftatur Andreas ipfe, in Tabullarii Zagrabienfis fub Nro 926. litteris metalibus, Comitis Wratislai, in quibus: *Quod cum Ducatus dignitate fungebamur, & difcordias cum Fratre noftro Emerico Rege habebamus; Nos Comes Wratislaus piè fufceperit, & Nobis fideliter ferviverit; ut hàc de caufa, ex Regis mandato, domus ipfius combufta,*

busta, & *alia Bona direpta fuerint*. Litteræ sunt de anno 1209. *Thomas Archidiaconus* (apud Lucium, Hist. Salonit. cap. 24.) has descripsit discordias, perhibens: *Rex vero ut erat clementissimus, universos ad gratiam suscepit*. Marcellevich vero: *dissensiones inter Emericum Regem, & Andream Ducem, fratres, diplomatum fide & combinatione, post annum 1201. esse debuerunt*. Hæc addere debui, & secundum hæc, superius fol 79. scripta, corrigi, atque intelligi peto.

Fol. 80. STEPHANUS I.

Stephani I. successivè has eruimus memorias, fol. illi 80. addendas. *1mò*: Est ejus, in libro *Statuta* vocato, hæc memoria: *Hujus litteræ apparent jam apud aliquos, in Ecclesia majori* (nempe Zagrabiensi, quæ major vocabatur, respectu Ecclesiæ Chasmensis) *sed tempora Ejus regiminis non sunt nota adhuc, nisi melius perspicerentur Privilegia Ecclesiæ, in quibus sine dubio posset apparere*. *2dò*. Anno 1215. Prædia Ecclesiæ, adhuc intra Episcopum & Capitulum communia, ipse dividit, Capitulo: *Siscium*, *Odra*, *Pribisseu*, *Drenchina* dat; cæteris Episcopo reservatis. Divisionem hanc *Bertholdus* Archi-Episcopus Colocensis, Andrea II. regnante atque annuente, Bano vero Sclavoniæ *Joanne* existente, memorato anno 1215. litteris suis confirmat. Hæ Metropolitani litteræ, anno 1217. a Romano Pontifice, sunt confirmatæ. Sed quia anno eodem Episcopus, *Odram* atque *Siscium* recipere voluisset, (causa ignoratur) Regis Andreæ, obtento eatenus consensu, atque anteriorum confirmationum (Metropolitanæ videlicet atque Pontificiæ) Regia collatione, confirmatione; ipse, aquievit; Capitulumque in Possessorio Siscii atque Odræ stabilitum, nunc etiam est. Quia porro, à S. Ladislao Rege, *territorium* illud Siscienſe, donatum fuisset Ecclesiæ Zagrabiensi; ideo in communi administratione, nunc etiam servatur.

Eodem Stephano procurante, Andreas Rex 1217. dandum salem Capitulo in perpetuum, ex Salinis Regiis supra *Marusium* pro Marcis quinquaginta constituit. Hic *Zegedino* dari debuit Capitulo, ad Festum S. Regis Stephani, annuè. Alia quoque superius commemorata fol. 45. & 46.

Anno 1222. Simultates intra Belam Primogenitum Andreæ, & Ducem Sclavoniæ ab Episcopo hoc fuisse compositas, docet collatio terræ *Pzer*, de Castro Zagrabiensi avulsæ, penes fluvium *Bisztricza* & *Bveszenicza*. Profecto annis his, *Belam* Sclavoniæ, Regia prope potestate præfuisse, plurima docent monumenta, ut: *Donatio terræ Klokoche* cum privilegio libertatum; per manus *Mathiæ Præpositi Zagrabiensis*, anno ab Incarnatione Domini Millesimo CC. XX. quarto. IX. Kalendas Januarias. In qua sequens Titulus, *Bela DEI Gratia Rex*, *Primogenitus Regis Hungariæ*, Testes: *Chak* Comes Bodrugensis; *Allader* Magister; *Martinus* Banus; *Bachia* Comes Zagrabiensis, *Andreas* Magister. Terræ indigenæ: *Guncellinus* Archi-Episcopus Spalatensis; *Martinus* Eppus Corbaviensis; *Michus* Eppus Tininiensis; *Herebertus* Abbas Toplicæ; *Boncellaus* Comes Goricensis; Item anno 1225. Bela Rex Turopolienses, eorumdemque juxta lineam cognationis descendentes, ab obligationis servitute Castri Zagrabiensis eximit, & libertati inferioris officii, de honesta Societate Servientium Regis, asseruit, Nobilitatemque in totam successionis eorumdem posteritatem transfudit. *Adjudicatorias*, Stephani totius Sclavoniæ Bani, *magni luci* pro eisdem Nobilibus, anno 1245. confirmando. Profecto horum consideratione, eorum item quæ Clarissimus P. Georgius Pray, in Annal. Par. I. describit, Andream inter & Belam sæpius dissensiones fuisse, arguimus. *Rogandos*, monendosque Lectores operis hujus habeo: In *Banorum memoriis*, cumprimis primorum horum annorum, quisquis errorem depræhenderit, excusatum me habere dignetur. Fateor: ex instituto, atque cum examine singulorum, mememorias illas non inseruisse; verum partim ex Rittero; partim ex relatis, in adversaria mea; quos me legere, in instrumento quopiam contigit. Sperabam aliunde, (nisi obstitissent fata) me in opere Banorum, defectus emendaturum; hinc facile, errores irrepserunt, etiam in scribendo. Sæculis his, frequens erat Banorum permutatio, variaque Regum in Sclavonia, atque Croatia dispositio (quam hic describere non vacat) ut in Regum litteris, jam omissos invenias: jam insertos. His ponitur tantum, *Banus*, ut ubi? cujusve partis Banus fuerit? erui nequeat. His, modo *Dalmatiæ Croatiæque Banus*: modo *Sclavoniæ*, ac quibusdam: *Totius Sclavoniæ*, legatur. Quare collocatos isthic in textu, Banos: absoluti operis haud esse, agnoscimus. Quin pateret combinatione lectionis priorum. Sane ex Emerici Privilegio fol. 44. elucesceret, *Banos* fuisse plures: ubi: *Concedimus ut nulli Bano &c.* Andreas II. fol. 45. *Alexii condam Bani* meminit, ibidemque ait: *Quam Martinus Banus fidelis noster &c.* cum nihilominus, in earumdem litterarum conclusione dicat: *Bancone Bano*. Horum ab exemplo, videre est: quæ sit, in Banorum perfecta serie,

rie, difficultas? Interim si per me, absolvi non poterit, Banorum Historiæ opus; pro facilitate Scriptoris alterius, sequentia notare; ac superiora corrigere placuit.

Alexius Banus, aut sub Colomano Rege, aut Stephano II. fuisse, hinc deducitur; quod *Topliċam* Ecclesiæ contulisse in perpetuam eleemosynam, ex Belæ III. elargito anno 1181. prouti etiam Andreæ II. anno 1217. Privilegio Eundem constet. Sub *Francica* porro, Zagrabiensi Episcopo, Ecclesiam in possessorio *Toplicæ* extitisse, docent litteræ; proinde *Alexius Banus*, in officio suo, Francicam antecessit. *Boricius* Banus circa 1140. & Seqn. ex Belæ IV. litteris sententionalibus: *Belus* Banus reperitur 1148. apud Peterffy. 1163. verò suppra fol. 76. *Subanus* fol. 78. *Dionysius Banus* anno 1181. quod fuerit, docent Belæ III. litteræ *super Toplica. Calanus* Episcopus QuinqueEcclesiensis anno adhuc 1190. Dalmatiam Croatiamque gubernavit, atque Sclavoniam, litteris suis attestantibus. *Andreas II. ab anno 1196. Dux fuerat.* Sub quo *Nicolaus* Sclavoniæ Banus; Dalmatiæ vero atque Croatiæ, *Andreas*, docentibus ista monumentis. *Dominicus* Banus 1201. *Martinus* Banus 1207. & tam ipse, quam & *Ochucz* Banus 1209. Dalmatiæ vero Croatiæque Banko Banus 1208. *Bertholdus* electus Colocensis, Banus 1210. & 1211. *Joannes Banus* 1215. *Banko* Sclavoniæ Banus 1217. *Bela Rex & Primogenitus Regis Hungariæ, Dux Sclavoniæ*, Et sub eo *Jula* Banus 1219. *Ochucz* iterum 1221. & 1222. *Martinus* denuo 1223. & 1224. *Alladar* 1225. & 1226. ex litteris, Ecclesiæ Zagr. & Turopoliensium &c. *Irenus* 1227. *Colomanus Frater Belæ, Rex & Dux totius Sclavoniæ* ab anno 1228. & sub eo, *Salamon.* Post hunc 1230. & 1231. 1232. *Jula* iterum Banus. Dein *Benedictus*, & 1236. *Opoi* Banus. *Stephanus* totius Sclavoniæ Banus 1240. ex litteris metalibus, *Nobili Porugh* datis super possessione *Tetachich* in Comitatu Likæ, quas Rex Sigismundus transumpsit. Stephanus fuit missus eò, per Belam Regem, ad distinguendas *Castrensium* terras, a metis Bonorum Nobilium. Est in his mentio rivuli *Dragobil*, item penes terras *Mogorovithy in campo Viszoka Goricza, ad montem Dechricta Morskagora.*

Privilegium Andreæ Regis 1217. ex Transumpto Capituli Chasmensis, sequens est.

„ In Nomine Sanctæ Trinitatis & Individuæ Unitatis Amen. Andreas DEI Gratia „ Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Serviæ, Gallitiæ, Lodomeriæque Rex, in perpe„ tuum. Venerandi Regiæ Stirpis *Successores*, tam diligentem, tam circumspectam in suo„ rum antecessorum donationibus & institutis, & in his maxime, quæ ad DEI cultum & ho„ norem deputata sunt, debent habere providentiam. Si qua parte, vel annosa temporum „ canitie, vel importuno malignantium impetu, vacillare viderint; non tantum in melius „ immutare, verum etiam immutata, suæ auctoritatis munimine studeant in perpetuum ro„ borare. Hujus itaque circumspectionis eruditione moniti, præsentium atque posterorum „ notitiæ clarescere voluimus: *Quod cum essemus in exequendo itinere assumptæ Crucis,* „ *injuriam Crucifixi ulcisci volentes; ad sanctam terram proficiscentes*, venissemus ad Za„ grabiensem Episcopatum, ac Monasterium Zagrabiense; *à Sancto Ladislao Rege, san„ ctissimæ recordationis Prædecessore Nostro constructum.* Qui *terram Sclavoniæ seu* „ *Banatum* ab errore idololatriæ ad Christianitatem convertens, *Coronæ Hungariæ sub„ jugavit.* Qui etiam in eodem Banatu Episcopatum instituit, & Monasterium Sancti Re„ gis Stephani construxit, per Venerabiles Episcopos dedicari fecissemus. Episcopus & Ca„ pitulum Ejusdem, nobis humiliter supplicando postulârunt: ut Nos omnia Privilegia su„ per prædiis, possessionibus, & libertatibus, aliisque redditibus, tam a *Sancto Ladislao* „ *Rege, Primo Fundatore Ecclesiæ*, tam etiam a Prædecessoribus Nostris, Sigilli nostri, „ videlicet aureæ Bulæ munimine, confirmaremus. Nos igitur justis ipsorum petitionibus „ inclinati, grato volentes occurrere assensu, habito consilio omnium Magnatum nostrorum, „ omnia Privilegia prædictæ Ecclesiæ, in medium fecissemus deduci, & per Cancellarium „ nostrum Ugolinum de verbo ad verbum coram multitudine perlegi. Et cum ni„ hil, contradictione dignum poterat inveniri in eisdem, omnia Privilegia nostra, & Præde„ cessorum nostrorum renovando, secundum quod in eisdem singulis continentur, Aureo „ Sigillo nostro confirmamus. *Et etiam Authoritate nostra adjungentes, firmiter statui„ mus*: Ut de cætero nullus Banus, sive sit de Regali Progenie, sive de Magnatibus Hun„ gariæ, præsumat prædictos populos Ecclesiæ, coram se, aliqua occasione in judicium „ trahere: aut alicujus rei descendere, aut descensum petere, aut etiam marturinas, seu quam„ cumque collectam, quocunque nomine nuncupatam exigere, sed potius firmiter injungen„ do; Bano, seu Duci, loco & tempore constituto præcipimus: Quod Decimas Marturina„ rum omnium, seu omnium collectarum quocunque nomine nuncupatarum Episcopo ple„ nariè & sine contradictione aliqua & dilatione, quantum limes Episcopalis concludit, per„ solvat. Decimam etiam omnium Tributorum Forensium, seu Decimas proventus por-

 tuum,

„ tuum, quorum sunt, si illi solvere noluerint, cogendi eos cum *gravi judicio*, ut cæteris „ metus in similibus incutiatur, solvere compellat. Statuimus etiam firmiter, ut populus „ Ecclesiæ, sive Episcopi, sive Capituli, in nullius Foro, tributum solvere cogatur. Nec „ etiam Tributarii, seu Salinarii Regis, causâ exercendæ suæ negotiationis, contra Episcopi „ voluntatem, aut Officialium suorum, ad aliquod Forum Episcopi accedere præsumant, & „ si inventi fuerint, capti in careere quadraginta diebus detineantur, omnes res suas, quas „ tunc erga se habuerint amittendo. Istud specialius adjicientes statuimus. Quod *licet nun-* „ *quam Moneta Regalis*, *in Regno Banatus*, *seu Ducatus facta fuerit ab aliquo Re-* „ *ge*, tamen a Successoribus nostris, si fieri contigerit, quod non credimus; Populus Eccle- „ siæ, tam Episcopi, quam Capituli; mercimonia sua emendo, vel vendendo; dare non „ compellatur pro eadem. Nec etiam Monetarii ad aliquod forum Episcopi, causa exercen- „ dæ monetæ, accedere aliquo modo præsumant. Et si inventi fuerint, per quadraginta „ dies capti, ob Officialibus Episcopi in carcere detineantur; omnes res suas, quas tunc er- „ ga se habuerint amittendo. Hæc igitur omnia prædicta a Nobis, & Prædecessoribus nostris „ Statuta, quæ ab eis, & à nobis usque nunc sunt observata, sic firmiter in perpetuum a fi- „ liis & hæredibus nostris volumus observari, ut in nullo excedere videantur, attentando a- „ liquid contra jura prædicta, tam a Nobis, tam a Fratre nostro felicis recordationis, Rege „ Henrico; quam etiam a Fundatore sanctissimo Rege Ladislao, vel etiam ab aliis Regi- „ bus, seu Ducibus sunt concessa & collata. Et si aliquis Banus, sive Dux, aliquid contra „ prædicta jura attentare præsumpserit, quod non credimus; si fuerit de Regali progenie, „ paterna maledictione, incomprehensibilis amaritudinis in perpetuum puniatur; Et nun- „ quam *ad coronam*, *quam hæreditario jure habere debebat*, possit pertingere; sed toto „ tempore vitæ suæ sit vagus & profugus; suis, quod satiari non valens, sit semper aliena „ mendicans. Quod si autem fuerit de Nobilibus Hungariæ, & citatus fuerit ab Episcopo „ ad Regis præsentiam, antequam Episcopo respondeat, quinquaginta Marcas Episcopo, „ Rege eundem fortius compellente, persolvat. Ut igitur hæc omnia, quæ a Nobis, ac ab „ omnibus Prædecessoribus nostris sunt collata & concessa, nostris, nostrorumque Successo- „ rum temporibus, irrefragabiliter salva semper & inconcussa in perpetuum possint perma- „ nere, Sigilli nostri, videlicet aureæ Bulæ munimine, fecimus roborari. *Datum per ma-* „ *nus Magistri Ugolini*, *Aulæ Regiæ Cancellarii*, *Anno ab Incarnatione Domini Mil-* „ *lesimo*, *Ducentesimo Decimo Septimo.* Venerabli *Joanne* Archi-Episcopo Strigoniensi, „ *Reverendo Bertholdo* Archi-Episcopo Colocensi existente. *Calano* Quinque Ecclesiensi „ Episcopo. *Vilhelmo* Ultrasylvano Episcopo. *Simone* Varadiensi Episcopo. *Roberto* „ Vesprimensi Episcopo. *Desiderio* Chanadiensi Episcopo. *Jacobo* Vaciensi Episcopo. *Pe-* „ *tro* Episcopo Jaurinensi. *Stephano* Zagrabiensi Episcopo. *Thoma* Agriensi electo, Epi- „ scopis, Ecclesias feliciter gubernantibus. *Jula* Palatino Comite existente; *Dionysio* Tha- „ vernicorum Magistro, & Comite novi castri. *Ochucz* Curiali Comite; *Bankone* Bano, „ *Rosone* Vaivoda. Cæterisque Comitibus Comitatus tenentibus. *Regni Nostri Anno* „ *Tredecimo.*

Fol. 80. STEPHANUS II.

Joannem Archidiaconum de Gvercse Ecclesiæ hujus Canonicum, & anno 1334. scribere incoantem, secuti; agnoscimus nos erràsse, in designando anno, cùm mortis *Stephani I.* tum &, exordii Episcopatus *Stephani II.* Enimvero Stephanus hic, annum 1227. in dato a se Privilegio consignat: *Anno Secundo*, item in altero, expedito 1235. ponit: *Anno Episcopatus Nostri Decimo.* Proinde Antecessor ejus anno 1225. Mensis Januarii fit mortuus, eodemque anno Stephanus II. succedere debuit. Quare fol. 81. erratum est: in anno: ubi *Litteris suis anno 1237.* at legendum 1235.

Superioribus in textu, addenda sequentia: *1mò.* Cum anno 1229. Decimæ denegarentur Episcopo, rem ad Andream Regem detulit. Qui jubet litteris suis (fol. 9. in libro seu Protocollo Capli) per totam Diœcesim has reddi, dando etiam facultatem Episcopo, in contumaces per excomunicationem animadvertendi. *2dò.* In litteris anni 1232. Diœcesis Zagrabiensis populus desribitur *Ferus*, *Sylvester & gens indomita.* Quod occasionem fecit, fundando *Posegano Capitulo.* *3tiò.* Extat etiam Privilegium pro quodam *Michaele* 1229. expeditum, cum subsequente statutionis per Capitulum Albense confirmatione, ubi terram novam Castri Zokol, *Andreas* donat Michaeli, *pro fidelitate*, ut ait *sua*, *quam a puero præstitit Regi*, *maximè in expeditione Rasciæ existenti.* Hæc expeditio Rasciæ, ad quem collocanda annum? & cur? qualisve fuerit? dehinc examinandum. *4tò.* *Duelli Judicium* in usu fuisse ex Privilegio patet; ubi pro terra quadam *Toplica* Capitulari contigua

tigua adjudicato per sententiam Duello, *Christianus* quidam nomine contra *Motmerium* triumphavit, victi mater, *novi beneficio* coram Bela Rege, & Primogenito in anno 1225. processit, duello iterum oblato, res fuit composita, ut docent litteræ *per manus Mathiæ Præpositi Zagrabiensis, & Cancellarii*, Bano Aladaro, *Chak* Budrugiensi, Theodoro Mussuniensi, *Jula* Ferrei Castri Comitibus. *5tò.* Anno 1228. Nobiles *Volthecà* & ejus fratres *Szida & Mega*, filii *Merten*, colocando filiam *Volthecæ* nomine *Dragozt*, Roberto Comiti, filio Abelis, hæreditariam possessionem *Culpatew* vocatam ei dederunt in perpetuum, positis, & descriptis metis ibidem. *6tò.* Cantoris *Pancratii* insigne est ab hoc Episcopo elogium: hic vir (ita Stephanus) ut curam gerens animæ suæ, spiritualis & homo totius Religionis & honestatis, videns familiam Capituli cum Episcopalibus sæpe rixari ob viciniam terrarum; pro pace, peccatisque impediendis & tollendis, ab Episcopo emit XXX. marcis, terram illam; Episcopus autem aliis plurimis & diversis aquisitis, ordinatis, & multiplicatis abundanter, quod eam terram a se venditam, resarciverit.

De Persecutione Tartarorum addenda.

Sub Bela IV. irruisse in Hungariam Tartaros; rapinis, spoliis, incendiis, homicidiis, Ungariæ Regnum desolavisse; res indubia est, ex tot monumentis, & Scriptoribus coævis. At de *quibusdam circumstantiis*, variare admodum Scriptores, æquè certum est. Proinde ad illustranda quædam, addere visum est.

Extat descriptum in libro Capituli fol. 57. Belæ IV. Regis, de anno 1245. (Dionysio Bano, & Stephano, Episcopo Zagrabiensi testibus) Privilegium & Donatio, supra terram *Viscuz* ultra Dravam in Sclavonia, cum metis insertis, pro Comite *Hudina* expeditum, in quo sequens Donationis exprimitur causa: Quod Tartaricæ maximæ irruptionis tempore, Regi ultra Dravam, id est in Sclavoniam proficiscenti, adfuit cum suis expensis. Et Rege versus maritima proficiscente, barbarorum impetum, suis pluribus etiam cognatis amissis, fortiter sustinens; maximam hominum multitudinem defendit. Sane vehementer metuo, quædam a Scriptoribus, præcipue exteris, esse confusa *in tempore*. Hinc Belam, ab Austriæ Duce captum, thesauris spoliatum fuisse, antequam in Sclavoniam & Dalmatiam ivisset, ut vult *Pernoldus* (apud *Pray p. 265. in Bela IV.*) persuasum necdum habeo; minus autem latas a *Friderico* fuisse suppetias Belæ, aut ab hoc, depulsos Tartaros. In rei hujus fidem, en Diploma Belæ IV. quo, nunc etiam gaudet, Nobilis Communitas *Draganich* vocata. Hoc nos, ex tot Regum Autographis transumptis, etiam sub Ludovico II. Judicialibus, a nobis visis, examinatis, describimus. Hoc lubenter communicamus, ob tantarum rerum cognitionem.

Donationales & Privilegiales Belæ IV. Regis Ungariæ.

„ BELA, *DEI gratia, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Serviæ, Gallitiæ, Lodomeriæ, Comaniæ, Bulgariæque Rex.* Omnibus Christi fidelibus, præsens scriptum intuentibus, salutem in eo: à quo triumphi largiuntur gloriosi; Qui, in se credentibus, totius Orbis Regibus Marchionibusque & Potestatibus, præbuit feliciter regnare, & dominari. Regiæ Excelsæ Sublimitati ex innata sibi liberalitate convenit: omnium Nationum pariter & linguarum gentes, sibi semper subjectione adhærentes, de eorum multitudine gratulari; & eosdem taliter providere: ut universi amplius, viventes, & *supervenientes*, eorum, felici exemplo, immittando, ad summæ fidelitatis opera exercenda, arctius, frequentiusque immittentur; & eosdem audacius animent ad similia exhibenda. Illis quoque, pro suis honoribus commodisque & prosperis profectibus, fama celebris, ferventioribus testatur studiis desudasse, dignè meritoque dexteram suæ munificentiæ affluentius elargiri; & ea, quæ ex voto sinceræ benignitatis favorabiliter conceduntur, & donantur; jus appetit, ordo expostulat, ratioque justa exquirit, ut suarum lucidarum litterarum seriem debeant exordiri, ne lapsu temporis calamitate exurgente, exhinc incommoda irritentur; oculis gratiosis intueri; & ad memoriam posterarum extremitatum perpetuam, litterarum patrocinio debeant commendari. Proinde ad universorum tam præsentium, quam futurorum notitiam, harum serie, volumus pervenire: *Quod cùm humani generis sordidis sceleribus prævalentibus*, multitudo inæstimabilis, rabidæ gentis Tartaricæ, ex affluenti indignatione trium machinarum Domini Plasmatoris Nostri, per climata totius Regni nostri persusa, severrimè ulciscendo, fuisset; & Nos unà cùm fidis Primatibus, & egregiis Nobilibus Nostris extra Monarchiam nostram, usque ad littora pontus, acrissimè

„ simè persequendo, in *quandam Maritimam Insulam Veglæ contiguam* repellendo coercuisset; de qua etiam, vi extrahere satagendo, per varia naufragia, & derivativa ingenia belluina, in Nos, & exercitum nostrum irruere; & caput Nostrum Regium truncare: aut Nos, in miserabile jugum paganissimum, traducere conassent; ubi in quodam turbinoso invasionis afflictu, nobis hinc inde trepidè dillatantibus, imminente eventu, perpetuo Divino anatemati dato, circumquaque multitudine pugnatorum, gentium ipsorum Tartarorum obsessi, universis tam novis insultibus, asperrimis jaculis, crudelium verberum ictibus afficiendis, gladiis feriunt turmas nostras, sagittas, lanceasque suas inebriant, sanguine occisorum. Undique ut muro obstructo, aut pisces in gustro comprahensi, incommodissimis verberibus strictissimè afflicti, ut nec antea procedere; & nec fugæ locum habere poteramus; ubi inter nostros & ipsos Tartaros, servato intervallo, nostrorum funera, plusquam ultimum capitis nostri exterminium, more Rachelis, jugulo, alta ad Dominum, intensius suspiria fundebamus, *Kirie-Eleizon*, & Protector Noster aspice DEUS, gementes exclamabamus, vitam nostram, & nostrorum, summo desiderio, à mortis impetu arctius evitare cogebamur; jam elisi, & præceps præcipiti, terribilem necem in momento expectabamus. Pater tandem ineffabilium misericordiarum, & Dominus piæ consolationis, in quo spes est omnium fidelium, opitulando, suæ dèxteræ virtutem porrigere dignatus est: Et excelsi angulo suo jube, de, & quasi de nube olimpi, à Paracleto missi, tres incliti viriles juvenes, *Kreecs* videlicet, & *Kwpissa*, nec non *Raak* vocati, de Sirmio oriundi, ut fortes athletæ, cum triginta octo fortissimis pugnatorum fratribus, & consanguineis suis, fulcitis optimo militari apparatu; à nobis non postulati, nec Stipendiarii, salario appreciati; sed tanquam fidelissimi Christicolæ in Nostram Regiam fiduciam, illico Regio nostro lateri adhærentes, ad gratissimum votum nostrum Regium, contra asperrima agmina, in pugnam dictorum Tartarorum, militari brachio, viriliter se contulerunt pugnaturos, Caput Nostrum Regium, priusquam sua propria, fideliter eliberantes; hinc inde per acies, & propagulas, cum eorum caterva ipsos Tartaros in ore ipsorum feritantes; ubi acies fortiorum pugnatorum persenserunt, illac se ferventius contulerunt pugnaturos. *Banderium nostrum Regium*, in Gyro fidelium nostrorum Aulicorum trepidè tenentium, ad honorem & perpetuum incrementum nostrum Regium, & totius Regni nostri, feliciter reservantes. Interea unum mirabilem artificem præ omnibus fortiorem & acriorem, sævacem, diligenti habito, clanculo, prædictus *Kreecz*, tenso suo arcu, sua acutissima sagitta, simul ambos suos exfixit oculos, & coram oculis nostris Regiis, verticem, in peccatum, projecit maris: Rursus in alios sævaces & pugnatores, audacius insultando, & eosdem illac & isthac, ut jumenta in ore gladiorum, subtus pedes eorum, in terram calcando, & ut aucas in piscinam, per littora pontus, transpassim trucidando; illico volente Altissimo, qui Solus cuncta præordinat, resumptis viribus, ad refulciendum & corroborandum animum nostrum Regium, cum universis Primatibus, & aliis Gentibus nostris, acrius in opem, & Nostræ Personæ in salubriorem remedium, iterum in ipsos Tartaros, asperrimè ut imbres pluviarum irruendo, & eosdem translatius, ut flamen exordio Voraginis, trans litus & ultra, usque fluvium *Kerka* & ad *Bresczá* traspartius sunt transfugati. Et nos exinde ad salubriorem processimus remedium, vota nostra Altissimo in æternum aspirando, ubi annotati fideles nostri *Kreez*, *Kupissa*, & *Raak*, re, verissimè tanta Nobis, & Regno nostro, ac Sacræ Nostræ Coronæ, fidelissima exhibuerunt obsequia, quantum Caput nostrum Regium prævalebat. Quæ, licèt præ thedio legentium misimus silentio, sed quantum totius Christianæ Religionis una valuit Zona. Pro quibus nedum latam, vel largam terram; sed dignum dicere, unam partem unius Comitatus, vel honoris nostri Regii, in Regno nostro, à nostra perpetuè mererentur obtinere Majestate. Nam & ipsi, *Kreecz*, *Kupissa*, & *Raak*, in hujusmodi ipsorum agilibus certaminibus, & præliis, non parva, ad capita & humeros eorum, letthalia tulerunt vulnera; & viginti quinque fratres, & proximos eorum, vita miserunt exutos; nihilominus tamen, ut in aliqua parte suorum fidelissimorum obsequiorum, & sanguinis effusione, ac fratrum & proximorum suorum nece miserrima; nec non expensarum, plurima onerositate, à Nostra Majestate se agnoscant benignè remunerari, hanc eisdem *Kreecz*, *Kupissa*, & *Raak*, præbuimus gratiam & libertatem: ut *amodo in æternum illibati Nobiles*, & *veri Aulites Regales censeantur*. Et cuncta militaria præludia ante Conspectum nostrum Regium, & alias ubivis, facere, valeant & possint. Quocirca quasdam spatiosas terras nostras regales; unam videlicet contiguam, terræ Monasterii SSmæ & intactæ DEI Genitricis Mariæ in *Thoposzka*; aliam in contiguitate terræ, generationis *Sallacz*, reliquam in contiguitate terræ Generationis *Dréesnik*, vocatarum; omnes in Comitatu Za-

„ gra-

„ grabiensi sitas & habitas, per Venerabilem Virum Magistrum Farkasium, Ecclesiæ Albensis Præpositum, Aulæ Nostræ Cancellarium, fidelem, & dilectum nostrum, à Nostra Majestate specialiter ad hoc deputatum, reambulatas, & separatim ab aliis possessionariis hominibus, metaliter distinctas & segregatas, & unamquamque, in suum gyrum, confertas; ac omnibus commetaneis & convicinis earundem terrarum, palam & publicè, & lucidè & manifestè denunciatas & designatas, cum omnibus ipsarum terrarum utilitatibus, & pertinentiarum integritatibus, & fructuositatibus universis, quovis nomine & vocabulo censitis & designatis, prænotatis fidelibus nostris *Kreecz*, *Kupissa*, & *Raak* de prædicto Sirmio, & eorum hæredibus, hæredumque Successoribus, & posteritatibus universis, de consilio & beneplacito ac voluntate Prælatorum & Baronum & Procerum Regni nostri universorum præmaturo, dedimus, donavimus & contulimus, imo damus, donamus, & perennaliter conferimus, & in scriptis nostris, eisdem, tenendas, gaudendas & possidendas perpetuè, & irrevocabiliter; Patrocinio mediante, confirmamus. *Exinde quoque, Universos Successores Nostros, felices Reges Hungariæ, in Christo Rege sempiterno, devotissime obsecramus: Ut hæc: nostra liberalis donatio, & perennalis confirmatio,* prænominatis fidelibus nostris, *Kreecz*, *Kupissa*, & *Raak* ac eorum cunctis posteritatibus, perpetuo, indemniter, & illæsa, ac in omnibus suo modo observata, valeant perdurare. Ita etenim, & eo modo servitia Eorumdem *Kreecz*, *Kupissa* & *Raak*, ac eorum cunctarum posteritatum, de prædictis terris, Nobis & Nostris Successoribus Regibus Hungariæ perpetuo vigeant, & per eosdem in æternum administrari debeant & teneantur; ut dum & quando, generalis & communis Regni Exercitus, ad confinia ejusdem Regni, aut alias contra partes, & æmulos protervos, proclamatus fuerit: Et Nos aut cæteri Successores nostri Reges, propria accederimus, vel accederint Persona; ex tunc, prænarrati Nobiles nostri, *Kreecz*, *Kupissa*, & *Raak*, ac eorum posteritates, dum per Banum, ac Capitaneos, vel Belliductores Regios, ammoniti fuerint, semper *tribus Equitibus Pharetrariis* in eorum propriis sumptibus, ad quindecim dies *sub Banderium Regium* comparere parati sint & teneantur. Transactis verò ipsis quindecim diebus, semper in nostro, ac cæterorum Regum, usuali stipendiali salario, & sumptibus, quo eisdem Nos, & cæteri Reges, aut Bani, vel Capitanei, aut Regii Belliductores demandaverint, accedere: Et dummodo talis exercitus ad propria rediverit, famulari debebunt & tenebuntur. Decimas autem eorum, dum prædictas terras, ipsorum gentibus appopulaverint, ex tunc ipsi, ac Jobagyones ipsorum; Decimas autem in Provincia Monasterii SSmæ DEI Genitricis Virginis Mariæ in Thopolszka usuatas, & consuetas, tempore suo solvere & administrare teneantur. Judicia quoque, & universas ipsorum justitiarias, in Sede Comitatus Zagrabiensis, adinstar aliorum Nobilium ejusdem Sedis, prosequi, actitare, & actitatas observare teneantur. Alias enim universas, & quaslibet causas Justitiarias jobagyonum ipsorum, quæ in eorum territoriis, & inter eosdem Jobagyones ipsorum, quomodocunque contingunt, homicidia, violentiæ, furticinia, & alia quævis sæcularia vitia, omnes annotati Nobiles *Kreecz*, *Kupissa* & *Raak*, & eorum posteritates, in eorum Sede, quacumque Feria hebdomadali, per eosdem legitimè præfixa, judicare: Et universos maleficos rusticos, juxta eorum excessus, punire: & quæcumque Birsagia ad majus, tres Marcas, & pœnam pacis, centum Denarios usuales; medietatem præfati Nobiles; aliam medietatem Judices ipsorum, per eosdem legitimè, pro tempore constituti, tollere, & prosequi, recipereque valeant, atque possint. In cujus Donationis, & perennalis Confirmationis memoriam, firmitatemque perpetuam, concessimus has litteras privilegiales, duplicis Sigilli Nostri, in appensione, munimine roboratas. Datum per manus, Venerabilis Viri Magistri Farkassy, Albensis Ecclesiæ Præpositi, Cancellarii Nostræ Majestatis dilecti, fidelis nostri, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo, Ducentesimo, Sexagesimo, IV. Nonas Octobris, Regni autem Nostri Vigesimo Sexto. „

Præmissas Donationales & Privilegiales Belæ IV. Ludovicus Rex in suis Confirmationalibus transumit, & per extensum inserit: ubi Titulus sequens: „ *Ludovicus DEI Gratia Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Serviæ, Galliciæ, Lodomeriæ, Comaniæ, Bulgariæque Rex, Princeps Salernitanus, & honoris ac Montis S. Angeli Dominus.* Omnibus Christi *Fidelibus &c.* Deinde transumpto & inserto Belæ supra descripto Privilegio, ubi: *Prædictum Privilegium, præsentibus de verbo ad verbum insertum, in nulla sui parte vitiatum, cum toto sui tenore de consensu & beneplacita voluntate Excellentissimæ Principissæ Dominæ Elisabeth Genitricis, ac Stephani Ducis fratris, Nostrorum Charissimorum;* nec non de consilio *Prælatorum & Baronum Regni Nostri* approbamus, acceptamus, ratificamus, & præsentis Scripti Nostri Patrocinio

„ privilegialiter Innovantes, perpetuo valituras, confirmamus. In cujus confirmationis testimonium, firmitatemque perpetuam, præsentes concessimus Litteras Nostras Privilegiales duplicis Sigilli Nostri novi & authentici munimine roboratas, nihil tamen & penitus, de appensione trium Sigillorum. *Paterni unius videlicet demactati*, Et *alterius in Transalpinis deperditi*, Tertii *quoque Nostri Wzwra casualiter amissi*, in hac parte advertentes. Datum per manus Reverendissimi Domini Nicolai Archi-Episcopi Strigoniensis, Summi Cancellarii Nostri. XV. Calendas Junii Anno Domini Millesimo, Tercentesimo, Quinquagesimo Quarto, Regni autem Nostri Anno Decimo Tertio. Venerabilibus in Christo Patribus Dominis, Nicolao Archi-Episcopo Strigoniense, & Fratre Dionysio Archipostulato Colocense, Dominico Spalatense Archi-Episcopo; Nicolao Agriense, Demetrio Varadiense, Andrea Transilvaniense, Nicolao Quinque-Ecclesiense, Gregorio Chanadiense, Colomano Jaurinense, & Michaele Vaciense, Episcopis: Joanne Wesprimiense, Nicolao Zagrabiense, Fr. Pelegrino Bozniense, Fr. Thoma Sirmiense, Fr. Stephano Nitriense, Electis, Ecclesias DEI feliciter gubernantibus. Magnificis Viris Nicolao Palatino, Judice Comanorum: Stephano Vaivoda Transilvano, Comite de Zwnok: Oliverio Mag. Thavernicorum Reginalis Majestatis, Thoma Judice Curiæ nostræ, Paulo Mag. Thavernicorum Regalium, Dominico Bano Machoviensi, Dionysio Agazonum Nostrorum Magistro, Nicolao Kwnth Comite Posoniensi, aliisque quam pluribus Regni Nostri Comitatus tenentibus, & honores.

2dò. Ad mandatum Sigismundi Regis, in Anno Domini 1394. iidem Nobiles de villa Draganich, nemine prorsus contradicente statuti sunt, per Regium hominem Nobilem I-*vankaza* dictum, de Mlaka, & *Georgium de Raven* Archidiaconum Bexin, Capituli Zagrabiensis hominem, Festo Cathedræ S. Petri Apostoli. Est Vladislai Regis Confirmatio cum sequenti Titulo: *Vladislaus DEI Gratia Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, Ramæ, Serviæ, Galliciæ, Lodomeriæ, Cumaniæ, Bulgariæque Rex, nec non Silesiæ & Lucemburgensis Dux, Marchioque Moraviæ & Lusatiæ*, Omnibus &c. In qua primo additur, cum illud: *eatenus, quatenus eædem rite & legitime existunt emanatæ, viribusque earum veritas suffragatur*; cum &: *salvis tamen juribus alienis*. In reliquo forma & stylus. Conclusio autem est sequens: *In cujus* „ rei memoriam, firmitatemque perpetuam, præsentes Litteras Nostras Privilegiales, pendentis & authentici Sigilli nostri duplicis munimine roboratas duximus concedendas. Datum per manus Reverendissimi in Christo Patris Domini Thomæ Archi-Episcopi Strigoniensis, Aulæ Nostræ Summi & Secretarii Cancellarii, dilecti & fidelis Nostri, Sedecimo Die Mense Maji, Anno Domini Millesimo, Quadringentesimo, Nonagesimo Nono, Regnorum Nostrorum Anno Hungariæ Nono, Bohemiæ vero Vigesimo Nono. Venerabilibus in Christo Patribus Dominis. Eodem Thoma Strigoniensi, Petro Colocensi Archi-Episcopis, nec non Illustrissimo & Reverendissimo Domino Hypolitho Esten de Aragonia, S. R. E. Diacono Cardinali, Agriensi (Zagrabiensi Sede Vacante.) Ladislao Gereb Transilvaniensi, Dominico Varadiensi, Sigismundo Quinque-Ecclesiensi, Francisco Jauriensi, Joanne Vesprimiensi, Nicolao de Bathor Wacziensi, Luca Chanadiensi, Antonio Nitriensi, Nicolao electo Sirmiensi, Gabriele Bozniensi, Brictio Thiniensi, Michaele Segniensi, (Modrusiensi Sede vacante) Ecclesiarum Episcopis, Ecclesias DEI feliciter gubernantibus. Item Spectabili & Magn. Stephano de Zapolia, Comite perpetuo terræ scepussiensis, ac Regni Nostri Hungariæ Palatino. Comite Petro Gereb de Wingarth Judice Curiæ Nostræ, Comite Petro de Bozin, & de S. Georgio, Vaivoda nostro Transilvano, Comite Siculorum, Josa de Som, Comite Themesiensi, ac Generali Capitaneo Partium Regni nostri inferiorum. Georgio de Kanisa Regnorum nostrorum Dalm. Croat. & Sclavoniæ: Petro Tarnok de Machkas, & Jacobo Gerlyschye Zewriniens. Banis, Blasio de Raska Tavernicorum, Nicolao Banffy de Lindva Janitorum, Emerico de Peren Dapiferorum, Joanne de Kanisa Pincernarum, Joanne Ernusth de Chaktornja Agazonum Nostrorum Regalium Magistris, aliisque compluribus Regni nostri officia tenentibus, & honores.

3tiò. Ludovicus II. occasione Brevium Judiciorum Budæ, post Terminum Epiphaniarum, Duodecimo Die Termini, Anno Domini 1519. easdem confirmat. Quidam Nobilis *Georgius Pawlichich*, a Vidua *Egregy condam Petri Kuzel, Chawicza, sub* Fidejussoria cautione, Privilegiales prædictas obtinuerat. Ad harum restitutionem, coram Ludovico procedebatur, qua occasione per Judicium transivêre, & a Rege sunt confirmatæ. U- „ bi Titulus: *Nos Ludovicus DEI Gratia, Rex Hungariæ & Bohemiæ.* Recognoscuntur:

„ tur: *Nobiles olim Belæ Regis Comitatus Zagrabienſ.* tam expeditio, quam & confir- „ matio Judicialis; hinc nec haberentur inſerta Baronum nomina.

4tò. FERDINANDUS II. æquè confirmavit, ſub Sigillo pendenti, ubi: *Datum per* „ *manus Reverendiſſimi Domini Nicolai Olahi Epiſcopi Zagrabienſis, Compatris &* „ *Conſiliarii, ac in dicto Regno noſtro Hungariæ Cancellarii noſtri, fidelis nobis ſin-* „ *cerè dilecti. In Civitate Noſtra Vienna Auſtriæ, Duodecimo Die Menſis Septembris* „ *Anno Domini Milleſimo, Quingenteſimo, Quadrageſimo Octavo, Regnorum Noſtro-* „ *rum Romani 18. aliorum vero 22.* Titulus Ferdinandi ſequens eſt: *Ferdinandus Di-* „ *vina favente clementia Romanorum, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmat. Croat. Sclavon.* „ *Ramæ, Serviæ, Gallitiæ, Lodomeriæ, Cumaniæ, Bulgariæque Rex, ſemper Au-* „ *guſtus. Infans Hiſpaniarum, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ,* „ *Styriæ, Carinthiæ, Carnioliæ, Marchio Moraviæ, Dux Lucemburgæ ac Superioris* „ *& Inferioris Sileſiæ, Wirtembergæ, & Thekæ, Princeps Sveviæ, Comes Habſpurgy,* „ *Tyrolis, Ferreti, Kyburgi, & Goritiæ, Langravius Alſatiæ, Marchio S. R. Impe-* „ *rii, ſupra Anaſum Burgoviæ, ac ſuperioris & inferioris Luſatiæ, Dominus Marchiæ* „ *Sclavoniæ, Portus Naonis & Salinarum &c.*

5to. MAXIMILIANUS II. Similiter prædicta omnia confirmavit. Titulus: *Nos Ma-* „ *ximilianus II. DEI Gratia electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, ac Ger-* „ *maniæ, Hungariæ, Bohemiæ,* & reliqua ut ſuperius in Titulo Ferdinandi I. quoad omnia. Confirmatio fuit ad preces Honorabilis Joannis Liwbich Canonici ambarum Eccleſiarum Wratiſlavienſium, ac Artium & Philoſophiæ Magiſtri, tam ſuo, quam & univerſorum Nobilium nomine, ut Canonicus hic, ſuam hinc deſcendentiam deducere credatur. Reſidua ſunt ſtylus præter concluſionem, quæ talis eſt:

„ Datum per manus fidelis noſtri, Reverendi Joannis Liſthy, electi Epiſcopi Eccleſiæ „ Weſzprimenſis, locique ejuſdem Comitis perpetui, Vice-Cancellarii Aulæ, & Conſiliarii „ noſtri, Viennæ, Auſtriæ, Sedecimo Die, Menſis Septembris, Anno Domini Milleſimo, „ Quingenteſimo, Septuageſimo Primo. Regnorum Noſtrorum Romani ac Hungariæ & a- „ liorum, Nono; Bohemiæ vero 23. Venerabilibus in Chriſto Patribus Domino Antonio „ Verantio Archi-Epiſcopo Strigonienſi, Georgio Draskovich Zagrabienſi, Paulo Bornemi- „ ſza Tranſilvanienſi, Stephano Radetio electo Varadienſi, Joanne Monoſzlai electo Quinque-Ec- „ cleſienſi, Præfato Joanne Lyſthio electo Veſzprimienſi, eodem Paulo Bornemiſza Guber- „ natore Nitrienſi, Joanne ab Willak Vacienſi, Gregorio Bornemyzza Chanadienſi, Stepha- „ no Feyerkéowy electo Tinienſi, ac Georgio Siwkovich Segnienſi, & Adminiſtratore Mo- „ druſienſi, Eccleſiarum Epiſcopis, Eccleſias DEI feliciter gubernantibus. Colocenſi & Bacſi- „ enſi Archi-Epiſcopalibus Canonicè unitis, item Agrienſi, Jaurinenſi, Boſnienſi, & Sirmi- „ enſi, Epiſcopalibus Sedibus vacantibus. Item Spectabilibus & Magnificis, Comite Nicolao „ de Bathor Judice Curiæ noſtræ, Præfato Georgio Draskovich, & Franciſco Szluiny de Fran- „ gepanibus, Segniæ, Vegliæ, Modruſiæque Comite, Regnorum noſtrorum, Dalmatiæ, „ Croatiæ, & Sclavoniæ Banis; Comite Georgio de Zrinio Thavernicorum, Franciſco de „ Tháh Agazonum, Balthaſare de Batthyan Dapiferorum, Joanne Pethëo de Gerſe, Cubicu- „ lariorum; Ladislao Banffy de Alſo-Lindva Janitorum noſtrorum Regalium, ac Franciſco „ Thurzo de Bethlehemſalwa Curiæ noſtræ Magiſtris. Comite Echio a Salmis & Neuburgh „ Comite Poſonienſi, cæteriſque quam plurimis, Regni noſtri Comitatus tenentibus, & ho- „ nores.

6tò. RUDOLPHUS demum, univerſas priorum Confirmationales, & Privilegiales Belæ, in forma libelli tranſumit, innovat perpetuo valituras, & confirmat. Titulus Rudolphi per omnia cohæret, cum Titulo Maximiliani, concluſio eſt ſequens: „ Datum per ma- „ nus fidelis noſtri, nobis dilecti, Reverendiſſimi Georgii Draskovich Archi-Epiſcopi Colo- „ cenſis, & Adminiſtratoris Eccleſiæ Jaurinenſis, locique ejuſdem Comitis perpetui, Conſi- „ liarii, & Aulæ noſtræ ſummi Cancellarii, in Civitate noſtra Vienna Auſtriæ, Duodecima „ Die Menſis Februarii, Anno Domini Milleſimo, Quingenteſimo, Octuageſimo Tertio, „ Regnorum noſtrorum Romani Octavo, Hungariæ ac aliorum Undecimo, Bohemiæ vero „ Anno ſimiliter octavo. Venerabilibus in Chriſto Patribus, Dominis, præfato Georgio Dras- „ kovich, Colocenſi & Bacchienſi Eccleſiarum Canonicè unitarum Archi-Epiſcopo, Stepha- „ no Radetio Agrienſi, Joanne Monoſzlay Zagrabienſi, Gregorio Bornemizza Varadienſi, „ Nicolao Telegdino Quinque-Eccleſienſi, Stephano Fejerkeowy Veſprimienſi, Eodem Ge- „ orgio Draskovich Adminiſtratore Jaurinenſi, Martino Pethe de Hethes electo Vaczienſi,

L111 „ Ste-

„ Stephano Matthyssi electo Chanadiensi, Zacharia Mossoczi electo Nitriensi, Petro Heresinczy electo Tinniensi, ac Fratre Michaele de Czetino electo Segniensi, nec non Administratore Modrusiensi, Ecclesiarum Episcopis, Ecclesias DEI feliciter gubernantibus. Strigoniensi Metropolitana, Transilvaniensi, Bosniensi, & Sirmiensi Cathedralibus Sedibus vacantibus. Item Spectabilibus & Magnificis Comite Nicolao de Bathor, Judice Curiæ nostræ, Christophoro Ungnod de Sonnegh Regnorum nostrorum Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclavoniæ Bano, Comite Georgio de Zrinio Thavernicorum, Ladislao Banffy de Alsolyndva Agazonum, Balthasare de Batthyan Dapiferorum, Nicolao Palffy de Erdöed Cubiculariorum, Michaele de Rewa Janitorum, & Michaele Varday de Kiswarda Pincernarum nostrorum Regalium Magistris. Eodem Nicolao Palffy de Erdöed Comite Posoniensi, cæterisque Regni nostri Comitatus tenentibus, & honores. Rudolphus m. p. Sigill. Georgius Arohi-Episcopus Colocensis, & Administrator Jaurinensis m. p.

In priorum robur, est quoque Belæ IV. Privilegialis, anteriorum Belæ III. & Andreæ II. videlicet Litterarum, Confirmatio, de anno 1251. Nonis Aprilis (Regni autem Belæ Regis XVI.) expedita, pro *Joanne*, *Friderico*, *Bartholomæo*, *Jerindone*, Filiis *Jerindonis* olim Comitis de Veglia. Ubi reliqua inter: *tempore persecutionis Tartarorum in partibus nostris maritimis, nobis constitutis, non solum in mari cum navibus muniti; verum etiam in terra cum armatis, prout temporis necessitas, & negotii qualitas exigebat, ad custodiam Personæ nostræ: nec non ad persequendum inimicos, & infideles nostros, tam fideliter serviverunt & constanter, quod inter alios Regni nostri fideles, ex debito fidei meruerunt computari. Ad habilitandum fidelitatem eorum; Et ut memoria eorum, cæteris vigeat in exemplum, hæredibusque ipsorum proficiat temporibus successivis, Donationem Comitatus de Modrus - - - nec non & donationem Vinodoll &c.* Fide, præsentis tum Belæ IV. & ad posterorum memoriam, superiora inserentis, præter tot alias cognitiones, videre est: Tartaros repulsos extitisse; persecutosque ad fluvium *Kerka*, ac oppidum *Bresçze*; (quod firmaretur Frangepani Diplomatis verbis: *nec non ad persequendum inimicos & infideles nostros*) ut hinc Tartaros, *Austriam* depopulatos fuisse, *in recessu*, sive fuga concludendum veniat. Istud etiam ex Joannis Clerici Narbonensis epistola (*apud Pray pag. 270.* in Bela IV.) satis deducitur, dum scriberet: *In hac demum æstate - - Tattari - Pannoniam, quam per traditionem ceperat, exiens dictum oppidum &c.* Item: *ex ipsis fugientibus Princeps Dalmatiæ* (fors Frangepaniorum aliquem designat) *cepit octo, quorum Dux Austriæ novit unum. - - Hic, ex parte Regis nequissimi Tattarorum, bis venerat ad Regem Hungariæ Nuncius* - - Sane hæc, satis exprimunt, Austriam in fuga Tartarorum fuisse vastatam. Proinde si verum est, a *Friderico* Duce Austriæ, *Belam IV.* hospitio fuisse receptum, Thesauris spoliatum, detentum, coactùmve pro sui libertate, magnam terram Hungariæ, Austriæ vicinam cedere; hæc post Tartarorum fugam, atque in redditu Belæ IV. indignè patrata fuerint; ut ait Pernoldus, motivo ex sequente: *pro restitutione damnorum, quæ Austriæ prioribus annis fecerat, & pro coactione ad solvendum sibi aurum maximum; & pro extorto a Wiennensibus tributo.* Horum consideratione, Cl. *Josephus Benczur*, in edito opere, *Ungaria semper libera*, non solum libertatem perpetuam egregie tuetur Ungariæ; sed & lapsum fuisse *Mathæum Parisiensem*, rectè observat, qui, ex lubitu scripsit; à Friderico eliberatum fuisse a Tartaris Hungariæ Regnum. Quæ addi possent, ex Annalibus P. Pray legenda.

Cæterum in Extractu monumentorum Abbatiæ Toplicensis a Clariss. Rittero compilato, legimus: *Belæ Regis Privilegium Nro 17. quô, dotavit Ecclesiam Toplicensem annualibus viginti* Marcis *super sex generationes Comitatus de Gora, pro remedio animæ matris suæ Anno 1225.* Utinam litteras has, legere potuissem, spero in iis, *Gertrudis* mortem descriptam haberi. Belæ IV. fuisse Fratrem *Andream* (adeoque *Andream II.* Regem, filium habuisse nomine Andream) ex sequenti instrumento, per me in suo vero Authographo viso, extra dubium venit. Sic autem habet.

Colomanus DEI Gratia Rex Ruthenorum, & Dux totius Sclavoniæ, Omnibus - - terram *Konzka* vocatam jure perpetuo donat, familiæ *Dragan* & *Dragvech* filio, in Anno 1232. testibus: Jula *Bano*, Jula Magistro *Tavernicorum*, Demetrio *Dapiferorum*, Nicolao *Comite de Zala*, Opoi Comite de *Symigio*, Petro Comite de *Wlkov*, Georgio Comite *de Barana*, ubi donationis motivum: *Nobis fidelem fructum cum effusione sanguinum, eo tempore, cum frater noster Dux Andreas, a quibusdam vesano ductus consilio, in Regnum nostrum, videlicet Sclavoniam, violenter irruisset &c.*

Pag.

Pag. 92. TIMOTHEUS II.

Facta ibi est: *Elisabethæ Majoris Reginæ Hungariæ*, sive Matris *Ladislai IV.* mentio. Ex instituto, nec Matris, nec Regis filii historiam scripsimus; neque nunc eandem damus. Eruditioni nihilominus Lectoris, ad emendandos quosdam Scriptores nostros, qui, *Elisabetham* hanc, cum altera Ludovici I. vidua & Reginæ MARIÆ Matre, fors confuderunt, communicamus.

Esse nobis. 1mò. *Elisabeth* hujus, suspicione quavis carentes litteras: *Per manus Viri discreti Vorbazy, Præpositi de Posaga, Aulæ Nostræ* (sive Reginæ præfatæ) *Cancellarii, Doctoris Legum, & Domini Papæ Capellani, dilecti & fidelis.* Anno Domini Millesimo CC. LXXX Sexto, expeditas in membrana, duplicis Sigilli, munimine roboratas, super Possesione *Bezenicze* in Comitatu Posegano, de Consilio omnium Baronum suorum, ubi sequentia: *Et specialiter cassamus, & irritamus Privilegia & instrumenta, Jacob filii Ponyth; qui, contra Nostram Majestatem, talem commissit infidelitatem: quod inter Dominum Ladislaum, inclytum Regem Hungariæ, Karissimum filium Nostrum, & Nos, cum in legationibus nostris, ut de eo confidimus, discordiam seminavit, & suscitavit non modicam. Et postmodum cum possessionem Regiam, & Nostram,* Kalman *Kyralchey vocatam, per nos sibi collatam repetivissemus ab eodem, ipse elatus in superbiam, contra Regiam Majestatem & Nostram, Thavernicum Nostrum Paulum nomine, ad hoc, ad ipsum destinatum, capite detruncavit & occidit. Et sic ipsam possessionem Nostram Chey, funditus destruxit, a nobis infideliter se retrahendo.*

Successive per Magistrum Cruciferorum, Dominico cuidam, prædicta possessione Bezeniche, in feudum collata existente; ratione possessionis *Turgusa*, Contradictoribus evocatis existentibus, in *sententionalibus* litteris, *Alexandri* Comitis, & Judicis Curiæ, Caroli I. Regis; in *Vissegrad* Octavo Die termini, Anno 1325. latis, atque a Carolo privilegialiter confirmatis, cum Prælatorum & Baronum insertis nominibus, II. Idus Julii anno 1325. per manus Magistri End, Præpositi Albensis, & Vice-Cancellarii exprimitur: *Quod cum prædicta Domina Elisabeth Regina, præscriptam particulam terræ Turgusa vocatam, cum omnibus suis utilitatibus & pertinentiis, per distinctas metas, Markolpho filio Martini, pro eximiæ fidelitatis antidoto, primo in interemptione Pauli filii ipsius Marcolphi, qui, pro laudabili votivæ fidelitatis constantia, pro defensione* REGINALIS PERSONÆ, *circa currum ipsius Dominæ* ELIZABETH, *dictum Paulum vitam exterminásse continebat, perpetuo contulisset, &c.*

Sane de his, intra *Ladislaum & Elizabetham* matrem discordiis, ut videre est adeo gravibus; quod *Paulus*, pro defensione *Reginalis Personæ*, circa Reginæ currum fuerit interemptus, an a quopiam scriptum sit? mihi ignotum esse confiteor. *Timotheum* Episcopum Zagrabiensem, suspectum Reginæ fuisse; prætensumque complicem, vestigia reperio. Atque ideo, relata superius in textu, evenisse Timotheo a Regina incommoda. Concludere nolim, hæc narrata, Reginis, a Ludovici I. morte, aut esse applicata; aut idem, ab exemplo hoc iisdem evenisse.

Fol. 101. addenda.

Optimates, qui *1307. Carolo*, adversus Othonem adhæserunt, eumdemque Carolum evocari curárunt (fide Excellentis Viri Domini *Adami Raiscany*, *Apostolicæ Majestatis Consiliarii, Excelsæ Aulicæ Cameræ Posoniensis; & Regii Cameralis Archivi olim Directoris*) fuére sequentes: Magister *Ugrinus* filius Pous de genere Chak: Mgr. *Dominicus*, filius Magistri Stephani de genere Ratolth: *Omodæus* Prælatus de genere Aba: *Koposs* Prælatus de genere Borsa; *Stephanus* Prælatus: Filius Irenæi Bani de genere Alcus: *Rolandus* Prælatus: *Ladislaus* Banus, & Mgr *Kokoss* de genere Ratolt: Mgr *Desew* de eodem genere: *Nicolaus* Vaivoda, filius Stephani Palatini. Item *Thomas* Archi-Episcopus Strigoniensis: & *Vincentius* Archi-Episcopus Colocensis, Carolum I. in Campo Rakos, apud Ecclesiam B. Petri, pro Rege receperunt 1307. *evocatur tunc Carolus* ut supra in textu.

Fol. 127. De Dextera S. Stephani Regis.

Sciendum. In Cathedrali hac Basilica, coli memoriam, Festi *Dexteræ S. Regis Stephani.* Credidimus Dexteram illam, quæ S. Regis Ladislai, venerationi exponitur, esse Dexteram S. Regis Stephani. Quia porro levioribus inniteretur conjectura fidei hujus nostræ, cura me tenuit; si quæpiam de S. Regis Dextera, doceri possem. Accidit, ut anno 1764. Die 1. Decembris, a duobus maturis atque probis, cognitionem rerum Dalmatiæ; cum pri-

primis vero Ragusæ habentibus visitarer, ab his, ad Christianam fidem paratisque jurare, testibus doctus sum. 1mò. Manum S. Regis Stephani Hungariæ, cum digitis, ac in uno eorum, nunc etiam extante annulo, *Ragusæ* in templo Dominicanorum decenter ornatam, servari; & ab universo populo honorari. Hanc, ut ipsi audivissent, post Belam IV. a Tartaris persecutum, causa securitatis & custodiæ, eò devenisse. Sub Carolo VI. Franciscanus quidam ex *Brot*, postquam precibus, Reliquiam hanc non obtinuisset; clam sufferre adnixus, quod exiliò, fuerit castigatus. 2dò. Mathiam Corvinum Regem, occasione quadam cistam ingentem isthic deposuisse, cum ingentis valoris monilibus & Thesauris, aureis, & scripturis. Reliqua inter, partem Coronæ, perlis atque unionibus mirificè ornatam, quæ, pars, gestatæ ab Salvatore Coronæ, fide instrumenti alicujus, creditur. Olim ad venerationem publicam, credita fuit, hæc reliquia Monialibus. Verum postquam fuisset compertum: turpia eas lucra quærere, Reipublicæ illius sententiâ, ad Cathedralem esse translatam, annuatimque ad Moniales, publicam Reliquiæ hujus instituti processionem, die illo, quò, thesauro hoc orbatæ sunt, ut suarum prædecessorum, turpis æconomiæ poenas darent, caverenturque a sacratis Personis, memoriâ poenæ, ab ejusmodi lucris. Plura item alia.

Et quia, rem eandem ab aliis *Ragusæ* natis, ante, ac anno 1763. audivissem, & ab Abbate Raguseo quodam NN. reliqua inter, intellexissem: in publico isthic Palatio, cerni cubiculum, cum inscriptione: *Monumenta Regum Croatiæ*, quô tamen, ob prætensiones Hungariæ Regum, nemo admitteretur, credi tamen ab omnibus, potiora isthic reposita esse, Regum Hungariæ & Croatiæ monumenta, Dona item Raguseis facta, ab Andrea II. Bela IV. Ludovico I. Ex his, Gladium Corvini, Reipublicæ donatum; Pelvim a Ludovico datam (quæ, quod Pilati sit, pronunciantis: *Innocens ego sum, à sanguine justi hujus*, vulgus putat) pluraque alia, ad servandam Regum Hungariæ memoriam, populo exhiberi. Ideo; facta reflexione, tot circumstantiarum, & fatalium temporum; veteris nostræ Reipublicæ; securitatis loci illius: defectus monumentorum publicorum, atque Monilium veterum &c. ad assentiendum quatuor testibus, pronior effectus sum. Per litteras ad Consulem isthic recurri; Illustrissimum videlicet Dominum *Michaelem Maria Mileschich*, virum lectissimum, orando de quibusdam informari, communicarive quæpiam. At is de dato Ragusæ 2. Augusti 1766. MSS. in versu vulgari bina, ad me relegavit. In litteris humanitate plenis, altissime tacet, de monumentis; cæterisque Regum memoriis, hæc, nec affirmando; neque negando. De S. Regis Stephani dextera, scribit: *Quod mihi mandaveras, ut te de sacra manu, D. Stephani Hungariæ Regis facerem certiorem, scito: Litteras authenticas extare, quæ de ipsius manus veritate testantur. Sed quando? & quomodo sacrum pignus ad nos devenerit, prorsus est incompertum. A conjectura tamen longè non abest, easdemmet sacras Reliquias, ad nos fuisse delatas, cum Solimanus Turcarum Sultanus, devicto apud Mohachium Ludovico Rege, Budam expugnavit &c.* Conjecturæ huic subscribere nequeo. Verum quandocumque *Sacra Dextera*, Ragusam delata extitit; eam tantum, delatam fuisse, credi vix potest.

Fol. 128. *exmissa.*

Post verba illa: *Datum Zagrabiæ Anno Domini 1344.* addenda: „ Circa hos annos, „ *Margaretha* Regnorum *Dalmatiæ*, *Croatiæ*, & *Sclavoniæ Ducissa*, & *Ludovici Re-*,, *gis Soror*, reperitur. Enimvero *Nicolai Bani* in anno 1278. expeditas, Nobilibus Cam-„ pi Turopolya litteras, a Rege Ladislao IV. Carolo I. Ludovico I. sub *Sigillo novo* con-„ firmatas, ipsa etiam, anno 1345. quà *Ducissa* Sclavoniæ confirmat - - Anno 1346. ut „ *in textu* paginæ citatæ 128.

Fol. 141.

Ad Historiam Caroli II. & Mariæ Reginæ, illustrandam.

Sententia meâ, quamvis a plurimis, maximi nominis Viris, *Caroli II.* atque *Mariæ Reginæ* res, notatæ habeantur; nihilominus necdum exhaustæ sunt; nunc etiam plurima desiderantur. Diligentissimus, atque immortales promeritus laudes *P. Georgius Pray*, benè rectève scripsit plurima; verum neque studio suo, completa sunt quævis, atque omnia. Quare secuturo Scriptori, ego præter superius descripta, quæ ad illustrandam, casuum ejus temporis, historiam, servire poterunt, communico.

1mo. Habemus in Autographo membranæ Carthæ, suspicione quavis carentes, litteras sequentes.

„ *Nos Sigismundus*, DEI Gratia Rex Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Marchio-

„ que

„ que Bramdemburgensis &c. Memoriæ commendantes, tenore præsentium significamus, „ quibus expedit Universis. Quod quia *Tybaldus filius Deseu de Zenche*, *assecla Johannis Cinasi*, *filii condam Johannis de Palisna nostri Notorii infidelis*, una cum eodem „ Domino suo, & ejus sceleratis sequacibus, in plerisque suis nefandis excessibus, & pravis „ processibus, signanter crimen læsæ Majestatis concernentibus, & non modicis Regni Nostri „ deprædationibus, & Regnicolarum nostrorum interemptionibus, per ipsos contra sacrum „ Regium Diadema, & in fastidium Nostræ Majestatis temerariè perpatratis personaliter ex„ titisse; & sibi opem & operam, per sua bellica tentamina, toto nisu adhibuisse; *Et nunc* „ *cum eodem*, in contemptum decoris regalis, existere perhibetur. Pro eo nos, una cum Præ„ latis, & Baronibus Regni nostri, sanè exinde deliberantes, ex consilioque & sanctione u„ nanimi eorumdem, ne hujusmodi ingens facinus impunè prætransivisset, & inultum: Præ„ fatum Tybaldum de prædicta Zenche, simul cum hæredibus suis mediante Nostra Regia „ authoritate perpetuæ infidelitatis indelebili nota offuscatum esse decernimus: & portioni„ bus possessionariis ipsius in possessionibus Rosachnyk, in prædicta Zenche & Zavorsya vo„ catis, habitis, in Comitatu Crisiensi existentibus, manibus Nostris Regiis prævia ratione effe„ ctivè applicatis, privamus, & prorsus eum destitutum fore pronunciamus, ac ipsi perpe„ tuum silentium imponimus de eisdem, præsentium vigore suffragante. Quibus sic legitimè definitis. - - Tum dictas Tybaldi portiones possessionarias quinquaginta sessiones populorum in se continentes, donat *Ladislao filio Petri dicti Castellani de Zenthleluk* ob servitia prædecessoribus Hungariæ Regibus præstita, *ac Serenissimæ Principis Dominæ Mariæ Reginæ Contoralis nostræ percaræ &c.* Feria VI. proxima post Festum Inventionis sanctæ Crucis Anno Domini, Millesimo CCC. LXXX. nono.

2dò. *Crisy*, Feria III. ante Festum B. Laurentii, Anno 1387. *Nos Maria &c. De* „ *insigni* Stemate, bonæ indolis juveni Stephano filio condam Magistri Joannis, filii Lauren„ tii de Kanisa, qui anno *præterito in districtu de Gara*, quando videlicet per rebellionem „ Joannis condam Bani, & alterius Joannis Prioris Auranæ manus violentas, nobis & Geni„ trici Nostræ Serenissimæ Elizabeth Reginæ injecerunt, non sine potiorum Procerum, No„ strorum, tunc nobiscum existentium decollatione: inter quos & ipse Stephanus captus, & „ per unum annum incompedatus, Eidem & fratribus suis possessionem Baratt, in Comitatu „ Jaurinensi, *a Castro Gesztes* abstractam, conferimus.

3tio. Fide *D. Adami Raicsani*, hæc nobiscum communicantis „ Anno 1388. in Vi„ segrad, *Maria & Sigismundus* Rex, insimul: *Joanni de Kanisa* Archi-Electo Strigonien„ si; ac Magistris Nicolao Szaladiensi, Sopronienfi, & Castri Ferrei Comitatuum Comitibus; „ & Stephano; filiis condam Magistri Joannis de Kanisa, pro hæredibus, & cunctis Soboli„ bus contulerunt possessiones Korpad &c. *per notam Joannis & Ladislai* filiorum, Ste„ phani de dicta Korpad; qui, partibus Joannis Bani, & alterius Joannis Prioris Auranæ, „ crimine Majestatis notatis, adhæserunt, signanter vero prædictus *Joannes Korpad*, ad „ territoria terræ Bosnensis profugiens, & cum Schismaticis Bosnensibus confinia Regni Hun„ gariæ deprædans, tandem cum *Dominico Dathos*, & *Nicolao de Harapk* in conflictum „ deveniens, in eodem captus, catenatusque *Budam* allatus; *ibidem per vicos & compita* „ *in cauda equi tractus*, & Saxeis aulæis, membratim corrosus, & extra muros dictæ Ci„ vitatis præcipiti tractatu translatus, ibidem decolatus & per dolabrum quadripartitus, & „ bis duo in frustra concisus est, Cujus funus sicuti olidum cadaver, inibi relictum fuerat.

„ 1388. Visegrad. Maria & Sigismundus conferunt dominium *Harsan*, Magistro Viro „ Stephano, filio Philippi de Konog Bano Machoviensi; *per notam Joannis*, *filii Petri* „ *de Horvath*; *Ladislai*, *filii Philippi de Zuglag*; *Stephani*, filii Nicolai de Hederva„ ra; proximorum dicti Joannis Horvath: *ac Joannis Berislo de Graborja Prioris Au*„ *ranæ*, nepotis ejusdem Joannis Horvath: *ac Francisci* Berislo de eadem: cum adjutorio „ Egregiorum, *Georgii*, filii condam Andreæ Bajnod; & Magistri Pauli, filii condam Jo„ annis *Bani de Alsan*; & Nicolai, filii ejusdem Magistri Pauli. Ex his, præter alia, Joannem Horvath alium esse; *a Joanne Berislo* Priore Auranæ, condiscimus.

„ Anno 1392. Budâ in Dominica Reminiscere, *Sigismundus Rex*, ideo: quod Joan„ nes, filius Georgii de Szenthe in Comitatu Crisiensi, perfidiæ telo sauciatus, condam Jo„ anni Christophoro, filio Joannis de Palisna adhæserit; ac præter multa facinora cis oppi„ dum Gara, adversus Serenissimas Dominas Elisabetham Socerum, & Mariam conjugem, „ ipse etiam operatus fuerit; cuncta Bona Ejusdem, Dominis de Kanisa contulit.

Cæterum, Venetiis 1758. ex Typographia Remondiniana, *Laurentii de Monacis*, *Veneti*, *Cretæ Cancellarii*, *chronicon de rebus Venetis*, vulgatum est. Cui, *Carmen*, *seu historia de Carolo II. cognomento parvo Rege Hungariæ*, cum dedicatione; *ad Serenissi-*

nissimam Dominam Mariam Hungariæ Reginam (in qua exprimitur, voluntate Reginæ, carmen scriptum esse) adjungitur. Hoc, eruditus videat Lector. Si conferatur Stylus Dedicationis, Carminis gravitas, cum aliis in Chronica scriptis libris, dubito; an ejusdem Auctoris, opus esse? censeri debeat.

Fol. 143. ad §. verum, quae illa disturbia? addendum: *post mentionem facturi* „ Anno 1397. IV. Nonas Martii, Joannes Banus filius Petri de Horvath; ac alter Joannes „ Prior Auranæ; filius Joannis de Palisna primævi pseudoducis, in districtu Garensi, per „ Sigismundum castigati sunt; una cum Stephano filio condam Dionysii Bani de Simontornya; „ Stephano Vaivoda filio, Stephani, filii Laczk de Csaktornya, Andreæ filio condam Nicolai „ Vaivodæ, filii dicti Stephani, filii Laczk prædicti de Debregesth. *Qui, Ladislaum Apuliæ Regem, filium Caroli parvi; cum filia Paizath* Turcarum Imperatoris copulare: „ & eundem Ladislaum in Ungariæ Regem coronare procurabant, ejusque Vicarios egerunt. „ Hæc ex communicatis *ab Adamo Raiscáni.*

Residua quæ desunt, *in supplemento continuationis partis hujus*, DEO auxiliante daturi. Prouti etiam: Banorum seriem, ex monumentis variis; præmissis notitiis Dignitatis hujus, generalibus.

§. 2dus

De iis, quæ corrigi necessum est, ad confusionem evitandam.

Cap. 2. fol. 3. Bela IV. montem *Grecs*, antea in liberam Regiamque Civitatem erexit, quam isthic *Castrum* ædificari fecisset. Post depulsos Tartaros; quia bellum ei fuisset, cum Styris, atque Ottoccaro; ut fieri bellorum solet temporibus, Bohemi, arcem modernam *Samobor* ædificârunt, (docente hoc, donatione arcis hujus *Samobor*, facta dehinc Ivan Comiti, quam in suo Autographo vidimus) tum *Bela*, arci huic opposuit, erectum in monte *Grecs* castrum; indulsitque in elevatiori erigendam arcem *Medved*, sive Medvevar, nunc desertam. Ad hunc sensum, accipienda & respectivè corrigenda sunt etiam, quæ *fol. 88.* exponuntur, *Anno Regni Belæ IV.* &c. Hæc edocti sumus, ex lecto Autographo illo, Belæ IV. Anno 1266. XII. Kal. Decembris expedito, Sigilloque pendenti roborato, in quo, parte adversa: Regis effigies, cum bina circumscriptione, aversa: quasi cor prominens, ac in eo Crux duplicata. In hoc: *Quod cum olim fines & termini Regni seu Ducatus Sclavoniæ*, continuis latronculorum, & frequentibus insultibus pulsarentur; Nos tam convicti Nostræ „ propriæ, quam Subditorum nostrorum in illis partibus degentium securitati, prospicere sa- „ lubriter cupientes: *Castrum in monte Grech juxta Zagrabiam, ob tutiorem eorumdem* „ *confiniorum conservationem decrevimus constituendum. In cujus Castri constructio-* „ *nem, fideles Nostri Cives, in ædificando sibi domos ibidem, & alias ædes illuc transfe-* „ *rendo, sumptus non modicos, labores continuos, & damna plurima usque ad exina-* „ *nitionem extremæ virtutis, fideliter subierunt, exponentes se & sua, illis temporibus* „ (nempe belli cum Styris & Ottocaro) *pro Regio sive Ducatus honore, crebris pericu-* „ *lis & fortunæ &c.* Meminit: *Belæ Charissimi filii sui, & Sclavoniæ Ducis* in hoc Diplomate. Itaque dum Bela IV. fideles Cives suos vocat; montis *Grech* incolas; dum horum recognoscit servitia, *idem annus* erecti Castri & Civitatis haud esset. Et est Civitati huic Regiæ, aliud Diploma Belæ, sub *Bulla aurea*, erectæ Civitatis.

Fol. 19. Cap. 6tò. hæc: *Samoboriensibus vero in MCVIII. datum a Colomano, Bela IV. testatur in eorum Diplomate*, revocamus. Equidem ad rei hujus veritatem cognoscendam, opportunè, jussu *Mariæ Theresiæ*, præteritis his annis fuêre Zagrabiæ commissiones, intra oppidanos, ac Dominium; dein ad viam juris relegatæ. In Privilegiorum, monumentorumque ab utrinque exhibitione, Privilegium illud, cujus Ritterus meminit Colomani Hungariæ Regis, anni 1108. compertum non est (fors ab iis deperditum, aut vi acceptum, uti de hujusmodi factis, haberent testimonia Samoborienses) verum Belæ IV. *in Villa Vereucza* expeditam exhibuerunt confirmationem cum metis, *Anno 1242.* (Regni vero sui VIII.) ubi: *Quod accedentes ad præsentiam Nostram, hospites nostri de Samobor, prope Castrum Osckich existentes, humiliter a nobis flagitârunt & instanter; ut modum & statum libertatis eorum, de gratia & Providentia piæ memoriæ Regis Colomani, charissimi condam fratris nostri, juxta tenorem libertatis hospitum de Petrina liberaliter concessa, Nostrarum authoritate litterarum dignaremur confirmare. Nos itaque considerata eorum utilitate - - in Privilegio memorati fratris nostri taliter vidimus continentias &c.* Quamvis porro, nec Colomani litteræ inserantur; nec vel memoria haberetur persecutionis Tartaricæ; & ob Belæ IV. anno 1242. fatales circumstantias, annus hujusmodi libertatum indulgen-

gendarum, opportunus vix fuerit; neque haberetur inserta Dies, Mensis, expeditionis, nec per cujus manum; immo *insolita* hæc esset clausula: *Ut igitur enarratæ libertatis series supradictis hospitibus salva semper & irrevocabilis permaneat, præsentem ipsam authoritatem, ac duplicis Sigilli nostri impræssionem, propensius confirmamus.* Cum nihilominus pro legitimis habeantur, & sint sæpius agnitæ in supremis Fororum tribunalibus; Quin oppidi Samobor immunitas, ex aliarum communitatum litteris firmaretur, dum instar *Samobor* aut *Petrina* libertates, illis a Regibus tribuerentur; ideo, si Samoborienses alias olim, non habuissent litteras, ex præfatis haud Colomannum I. Hungariæ Regem, verùm *Belæ IV.* fratrem, qui post 1228. Dux fuerat Sclavoniæ, supra in textu disignari, & fore annum 1238. scribendum isthic fuisse.

Fol. 75. Francica Episcopus Zagrabiensis, ad *Bacsiensem* Archi-Episcopatum (fide instrumenti Cap. I. fol. 1.) fuit translatus, hinc illud *Colocensem*, errorem fatemur.

Fol. 94. Translatio illa, domus Nazarethanæ B. V. M. facta Tersactum Die 10. Decembris 1291. a nobis in sua fide relinquitur. Accidere potuit. Satis ac perquam scrutando, miramur in Veteribus Frangepanorum Carthis, nullam rei tantæ fieri mentionem etiam sæculo XV. In litteris Monasterio Tersactensi datis, a *Martino, Joanne, Stephano Frangepanibus.* Sed nec à *Joanne Archidiacono de Gverche*, aut ullis scripturis ejus temporis; dum nihilominus minora quoque notata inveniremus. MSS. porro nostrum (ut pag. 138. monemus) posterius esse censemus; ut mentionem, isthic, facti illius insertam, a nobis unicè insinuatam esse, (eò quod Tersactum in Comitatu esset Zagrabiensi) cuivis persuasum esse volumus.

Pag. 160. Joannes IV. Episcopus Zagrabiensis, alter est a Joanne Quinque-Ecclesiensi, ut successivè eruimus, *in notitiis Ecclesiæ Quique-Ecclesiensis.* Hinc revocamus verba illa: *Credibilius translatus ex Episcopatu Quinque-Ecclesiensi.*

Fol. 171. Joannes Tininiensis Episcopus, *sponte resignaverit*, corrigendum. Enimvero testantibus tot monumentis *ad Episcopatum Segniensem* transiverat, egitque Oratorem sæpius, Romam, in Poloniam &c.

Cæterum: Residua quæ correctione indigent, *in supplemento Continuationis Partis hujus*, dare constituimus. Oramus perdemisse eruditos Lectores: ut sive necessariæ quorundam explicationis; sive errorum commissorum a nobis (cæteros autem excusatos habere velint) nos admonere, atque sincere reflectere dignentur; ac si quæ ipsis forent, amore eruendæ veritatis, sive certorum monumentorum communicatione, sive Scriptorum coævorum testimoniis adjuvare; soli enim pro viribus, eruendæ veritati studuimus. Quam porro sint obscura pleraque, ii, qui in his versantur studiis, fatebuntur. Ut innumera taceam, pro exemplo sit:

Anno 1439. Matko de Thalowcz Banus, & Auranæ Gubernator, prædium *Ostrosyn*, quod *Thomas & Ladislaus Benvenuthi de Okics*, jure Prioratûs Auranæ possideret, eximit a quibusvis servitiis, & censibus, dicendo: „ *Quod Nos*, qui ex debito Nostri honoris „ officio, cunctorum Sacri Regni Hungariæ Coronæ, fideliter obsequentium, servitia pensare; & ipsis pro iisdem juxta annutum Regiæ & Reginalis Majestatum Nobis factum, „ digna impendere censuimus præmia meritorum: consideratis multiplicibus servitiis Nobilis Viri Thomæ Benvenuthy de Okics, per ipsum in nonnullis nostris exercitualibus progressionibus, per nos hinc inde; *Et præcipue in recuperatione Regni Croatiæ prædicti*, „ factis; juxta totalium virium suarum qualitatem, *ipsis Reginalibus Majestatibus*, & per „ consequens nobis exhibitis & impensis. Propter cujus quidem suæ fidelitatis observantiam „ *Castrum Czethyn* ipsum, pro magna summa peccuniaria, titulo pignoris concernens, per „ *rebellium Regalium* resistentiam privatus, & destitutus fore dignoscitur. Instrumentum hoc, suspicione omni carens, in Autographo vidimus. Habet illud: *Spectabilis & Generosus Dominus Nicolaus Skerlecz de Lomnicza, C. & A. S. M. Consiliarius*, *Tabulæ Banalis Assessor*, & *Banalis Regnorum Dalmatiæ, Croatiæ & Sclavoniæ Magister Proto-Notarius.* Vir ad litteras natus, eruditus apprimè, utiliumque litterarum cupidissimus. Hoc documento suo, cuivis famulaturus.

Sigismundum Regem 1437. humanis ereptum, scimus. Eidem ringente *vidua sua Barbara*, successisse in Regnis ac Imperio, *Albertum* generum, ac *Elisabeth* filiam, clarum est. Incommoda ipsis causata, à variis, descripta sunt per complures. Verùm belli, *pro recuperatione Regni Croatiæ* (demto hoc instrumento) quod ego sciam, nulla est, apud Scriptores memoria. *Lucius lib. V. Cap. V. editionis Amstelodami pag. 270.* scribit sequentia; *Ita Veneti bellum cum Sigismundo gerentes, præter Ragusium & Vegliam, Dalmatiam universam recuperárunt, pacemque cum eodem fecerunt 1433. Et post ejus mortem Al-*

misanos quoque se dedentes receperunt 1444. Ut post Sigismundi mortem, Venetos arma in Croatiam intulisse, argui posse videatur. Sed Matko Bani fidelitate, *Croatiam* ab iis fuisse recuperatam. Fors per Frangepanios, *Cileæ Comitibus* affinitate conjunctos, ob Imperatricem Barbaram, a Sigismundo ob concitationes Bohemorum captam, & inclusam; *Ulricum* item Comitem Cileæ, a præfectura Bohemiæ, ab Alberto, anno 1438. amotum, rebellio illa, excitata est, ait enim Matko: P*er rebellium Regalium resistentiam privatus*, Ritterus in MSS. opere suo, quod *offucias Joannis Lucii* inscripsit, ad hoc caput Lucii non pervenit. Proinde plurima rerum nostrarum obscura esse, docere hoc exemplo volui. Ex anteriori instrumento firmamur: uti Hungariam; sic & Sclavoniam, Croatiamque *Alberto* atque *Elisabethæ* a morte Sigismundi adhæsisse, habet enim: *juxta annutum Regiæ*, & *Reginalis Majestatum nobis factum*, sed paulo post Croatiam rebellâsse; *per rebellium Regalium resistentiam.*

Demum orare debeo, reflectereque Lectorum quospiam, ut legum habeant rationem, non solum Part. 2. Tituli VI. & articuli 70. anni 1723; verum etiam, quod, inauditus convinci nemo debeat. Hoc *Benedictus XIV.* Magnus verè Pontifex, suæ *Congregationi Indicis*, edito *Brevi* suo, Anno 1753. Die 9. Julii, cujus initium *Solicita*, justè prudenterque præscripsit. Ad singulorum genium, nec a me; nec ab alio scribi potest. Quidquid mali in meo est opere, tale detestor, ac emendare paratus sum, atque ut a quovis, in Charitate Christiana corrigatur, orare non desino. Si quid vero est, boni atque utilis; sacratum volo, DEO, tum Reipublicæ Apostolici Regni, Patriæ item, ac posteris.

